ORNITHOLOGIA SVECICA.

AUCTORE

SV. NILSSON,

PHILOSOPHIÆ DOCTORE,

IN ACADEM. LUNDENSI ADJUNCTO ET SOCIET. PHYSIOGR. MEMBRO.

PARS PRIOR.

CUM X TABULIS ÆNEIS PICTIS.

HAVNIÆ, MDCCCXVII.

APUD *J. H. SCHUBOTHIUM*, AULÆ REGIÆ BIBLIOPOLAM.

PRÆMONENDUM.

Parti Operis hujus posteriori (quæ proxima anno D. v. in lucem proferetur) præfamen, Dispositionem avium, fata Ornithologiæ nostræ et explicationes abbreviationum complexurum, præponetur.

VIRO ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO,

JOH. GABR. COMITI DE

TROLLE WACHTMEISTER

REGIS REGNIQUE SVECIÆ JUSTITIÆ CANCELLARIO

ÆQUISSIMO,

REGII ORDINIS SVECANI DE STELLA POLARI

COMMENDATORI SPLENDIDISSIMO,

MÆCENATI MAXIMO.

Non facile scriptor invenietur, qui Patrono justius vel devotius memoriam laboris et industriæ suæ consecraret, quam nos *Tibi*, Vir illustrissime! Quo nihil Patriæ in Ornithologia, nec mihimet ipsi in beneficiis majus et eminentius obtigerit. Tua virtus erat, Vir generose! quæ ætate apud plerosque ludis tantum obnoxia, haud fallacem naturæ interpretem se exhibuit, nomenque apud rerum naturalium studiosos, dum natura ipsa perennat, mansurum sibi vindicavit. Postea vero, summos in republica ho-

nores jamdudum adeptus, quantum Tibi æquata Themidis libra tribuit otii, potissimum Faunorum dedicas choro. Tu idem eras, qui prima eademque leviora tentantem, me hortabaris ut pergerem; meditanti vero majora mihi et robur et animum addebas, cum ea conferres auxilia, quibus sublatis sublata mihi fuisset copia hoc edendi specimen. Nihil igitur æquius habeatur, quam ut Tuum ipsius Opus Tibi porrigam; quod quidem, quo minus pretii in manibus meis perdiderit, eo melius mihi successisse

putabo. Sed quomodocunque vulgo judicabitur, equidem tum habeo quod mihi in perpetuum gratulabor, si eodem, quo antea, favore et gratia, me semper dignum censueris.

Mansurus, dum vixero,

Nominis Tui illustrissimi

cultor devotissimus

Sv. Nilsson.

ORNITHOLOGIA

SVECICA.

AVES SVECIÆ.

DIV. I.

TERRESTRES.

ORDO I.

ACCIPITRES.

GENUS I.

FALCO.

Rostrum aduncum, robustum, basi cerâ instructum, in qua *nares* patulæ, nudæ.
Caput subdepressum, pennis arcte tectum.
Lingua carnosa, lata, apice subbifida.
Pedes ambulatorii. *Digiti* unguibus robustis, arcuatis, acutis instructi.

DISSECTIO I.

Tibiæ pennis plumosis usque ad digitos tectæ:

I. FALCO CHRYSAËTOS, *Lin. Faun.*

Diagn: Corpus fuscum ferrugineo immixto. Caput et collum supra fulvo-ferruginea, subtus nigricantia. Cauda apice nigricans, basi alba, vel cinereo fuscoque varia.

SYNONYMA.

Avis senior:

Falco chrysaëtos Lin. Faun. Sv. p. 19 . n. 54. Syst. nat. edit. XII. I. p. 125. n. 5. Retzii Faun. Svec. p. 59. n. I. Gmel. Syst. I. p. 256. Lath. Ind. Orn. I. p. 12. n. 8. Wachtmeister, Wet. Acad. N. Handl. 1801. p. 185. (fem. var.) p. 187. (mas var).

Aquila aurea, Briss. Orn. I. p. 431.

Le grand Aigle, Buff. Hist. Ois. I. p. 76. vers. Germ. Martini I. p. 94. tab. I. Planches enlum. 410.

Golden Eagle, Pen. Brit. Zool. I. p. 161. Lath. Syn. I. p. 31. vers. Germ. Bechst. I. p. 31. n. 5. Arct. Zool. II. p. 214. A.

Der Goldadler Bechst. Naturg. Deutschl. *) 2 B. p. 205.

Avis junior:

Falco fulvus, Lin. Syst. Nat. XII. I. p. 125. n. 5. Gmel. Syst. I. p. 256. Lath. Ind. Orn. I. p. 10. n. 4. Wachtm. Wet. Ac. Hand. 1801. p. 181.

Falco Melanaetus et fulvus, Retz. Faun. Sv. 60. n. 2.

Falco niger; Gmel. I. p. 259.

Falco Melanonotus Lath. Ind. I. p. 16. n. 26.

Aquila, Briss. Orn. I. p. 419.

Melanaëtus seu Aquila nigra, Briss. Orn. I. p. 434.

Aigle commun, Buff. Ois. I. p. 86. vers. Germ. Martini I. p. 108. tab. 12. Pl. enl. 409.

Black Eagle, Pen. Brit. Zool. I. p. 165. Arct. Zool. II. p. 195. Lath. Syn. I. p. 28. n. 2. vers. Germ. Bechst. I. p. 25. n. 2.

Ring-tailed Eagle, Lath. Syn. I. p. 32. n. 6. vers. Germ. I. p. 28. n. 6. et var. A. p. 29. Edw. aves T. I. tab. I.

---

*) Editio prima citatur, ubi non expresse dicitur: 2te Aufl.

Black backed Eagle, Lath. Syn. I. p. 49. vers. Germ. I. p. 39. n. 22.
Der gemeine Adler, Bechst. Nat. Deutschl. 2. B. p. 212.
Svecis: Örn, Landörn.

Museum Paykullianum — Museum Lundense.

OBSERV.

Omnes fere ornithologi *F. chrysaëtum* et *fulvum* ut distinctas Species enumerant. Illustrissimus Comes *Wachtmeister* primus erat qui hoc non solum in dubium vocabat sed etiam contrarium demonstrabat *); (vide *Försök till de Svenske Falk-Arters beskrifning och bestämmande.* Wet. Ac. Handl. 1801. p. 171. &c.) Quem ego quoque eo lubentius sequor, quod utramque avem et *chrysaëtum* et *fulvum* Auctor. sæpenumero unâ vidi et diligenter comparavi, nec vero minimam partium constantiorum vel proportionum differentiam indagere potui. Sola fere differentia in colore caudæ semper consistit. Sed hujus sunt innumerabiles varietates et transitus a *fulvo* in *chrysaëtum.* Ne vero quis dubitet, an verum viderim *chrysaëtum;* Auctores præstantiores, qui avis mentionem fecerunt, breviter recensere volumus: *F. chrysaëtos*, Lin. Faun. Svec. cum mea ave annosa optime convenit, præter: *Caput collumque supra magis nigricantia.* Hoc vero loco aliquid omissum esse, absque dubio est. *Leche* enim, maximus tunc temporis ornithologus, a quo Descriptiones plurimas avium recepit Linné, ita in *adversariis* de *F. chrysaëto* habet: *Caput tegitur pennis flavo-fulvis longisque, instar pennarum colli galli-gallinacei;* et *Willoughby*, quem citavit *Linné*, dicit: *The Feathers of the neck are rigid and ferrugineous: Will. Orn. Ang. p.* 58. (Rajum, quem etiam citavit Linné, ad manum non habeo). Ita igitur, ni fallor, dicere voluit Linné: *Corpus . . . . ferrugineo fuscoque nebulosum. Caput collumque supra magis ferruginea, subtus nigricantia.*

The Golden Eagle, Pen. l. c. p. 162. in nostrum maxime quadrat, estque eâdem magnitudine ac *The black Eagle* l. c. p. 166. a quo tantummodo caudæ colore differt.

---

*) Hoc postea cum Illustr. Wachtmeister assumsit Bechstein in 2da edit. Nat. Deut. B. 2. p. 521 et 522.

Le grand Aigle et *Aigle commun*, Buff. Pl. enl. 409. et 410. Utraque figura, ab Auctore ipso citata, absque ullo dubio ad meam pertinet avem, scil. fig. 410. ad seniorem, et 409 ad juniorem. Si vero ea, quæ fusa et elegantia de generoso suo *Grand Aigle ou Aigle royal* scripsit eloquens Auctor, cum iis conferimus, quæ de ignobili *Aigle commun* dixit; facile pro diversis avibus eas habeamus. Illa vero omnia Auctor, stilo magis splendido et magnifico quam vero studens, ab antiquis Scriptoribus, mirabilibus rebus additis, desumsit, propriaque forte imaginatione auxit, ut Reginam avium totâ majestate et præstantia ostenderet. Non igitur quas descripsit, sed quas depinxit aves consulendæ sunt.

Plurima quæ *Beckstein* de suo *Goldadler* l. c. dixit a Buffon desumta sunt, eidemque fonti originem debent.

DESCRIPTIO.

A. Femina senior:

Longitudo avis ab apice rostri, ad apicem caudæ 3. ped. 3 poll. Rostrum ab angulis oris ad apicem $2\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad ejusdem apicem 2 ped. 2. poll. Cauda extra alas extenditur 3 poll. Cauda I. ped. 3. poll. Tibiæ $4\frac{1}{2}$ poll. Digitus medius cum ungue $3\frac{1}{2}$ poll. Digit. post. $3\frac{2}{8}$; Unguis medius ant. $I\frac{3}{8}$; ung. post. $2\frac{2}{8}$ poll.

Rostrum coeruleo-nigricans, apice nigro, basi rectum, mox ante ceram in uncum validum, acutum, dependentem exiens. Cera et Iris flava. Os frontis supra oculos margine rotundato eminens. Tibiæ robustæ, usque ad digitos tectæ, antice pennis plumosis luteo-rufescentibus, postice plumis albis. Digiti lutei unguibus nigris, validis, acutis.

Caput et collum teguntur supra pennis longis, acutis, splendentibus, fulvoferrugineis, brunneo immixto; frons saturatior. Regio inter nares et oculos albida, setis nigris adspersa. Gula et jugulum saturate fusca, vel nigricantia. Dorsum, pectus, abdomen et tectrices

alarum fusca, nigro, ferrugineo et albido immixtis. Crissum et femora intus rufescentia, extus rufo-fusca. Remiges nigricantes; primores versus basin cinerascentes, albo variegatæ, quæ albedo in sequentibus augetur. Rectrices basi albæ, apice nigricantes, in medio (ubi hi colores confluunt) fusco, cinereo et albo, irregulariter variegatæ.

B. Mas senior:

Non modo corpore, sed etiam rostro, unguibus &c. minor præcedente, cui præterea subsimilis.

Varietas Maris senioris:

Magnitudo corporis, rostri, unguium &c. minor quam feminæ. Caput et collum supra fulvo-ferruginea, subtus saturate fusca. Dorsum nigricans, pennis dilutioribus insertis. Alæ supra fuscæ marginibus pennarum grisescentibus. Pectus et abdomen dilute ferruginea, maculis oblongis nigro-fuscis, in abdomine fere confluentibus. Remiges primores nigræ, secundariæ intimæ fuscæ cinereo et albido variegatæ. Cauda supra ab apice ad tertiam partem nigra, immaculata, dehinc cinereo parum variegata; subtus fasciis 2 vel 3. angustis, irregularibus, cinereo-albis. Tibiæ pennis griseo-ferruginescentibus vestitæ. *Mus. Payk.*

C. *Avis junior:*

Longitudo circa 2½ ped. Rostr. 2⅛ poll. A flexura alæ ad apicem 2. ped. 1. poll. Cauda 1. ped. 1. poll. Tibiæ 4⅝ poll.

Rostri forma et color ut in præcedentibus. Cera lutea. Iris fusco-lutea. Tibiæ antice pennis plumosis sordide albis; postice plumis albis vestitæ.

Caput et collum supra ferruginea, apicibus pennarum dilutioribus; fronte et vertice magis fuscescentibus. Gula et jugulum fusco-nigricantia. Dorsum, pectus et abdomen fusca, pennis nigricantibus immix-

tis. Tectrices alarum in ferrugineum vel griseum inclinantes. Crissum rufescenti-album. Remiges apice nigræ, primores juxta basin latere interiore cinereæ, qui color in sequentibus magis albescit, ita ut secundariæ sint apice nigræ, basi niveæ, in medio ex albo et fusco variæ. Cauda alba, vel sordide alba, ab apice ad tertiam partem nigricans.

OBSERV.

Plurimas hujus speciei varietates in variis Patriæ Museis et in natura vidimus. Illas vero omnes adferre superfluum duximus, cum plerumque in eo consistunt quod alia specimina magis, alia minus fulvi coloris supra caput et collum habent; alia parcius, alia uberius colore ferrugineo sunt adspersa. Cum enim diu vivit hæc avis; diu quoque crescit, et per totum hoc tempus varias colorum mutationes subit. Caudæ autem colore maxime variat. Cauda enim, ut jam diximus, in ave juniori, alba est et ab apice ad tertiam partem nigra; tempore vero, hi duo colores, modo irregulari, nec in duobus speciminibus exacte simili, miscentur, fuscumque colorem, cinereo variegatum confluentes efficiunt. Qua vero ætate hæc mutatio plane peracta sit, nescio.

HISTORIA AVIS.

Septentrionalium Patriæ provinciarum loca solitaria, nemorosa et petrosa præsertim incolit, ibique in rupibus et excelsis arboribus nidum ponit. Altissime volat. Lepores, Capreolos, Tarandorum hidos, aliaque Mammalia minora et aves prædatur. Alio victu deficiente, cadavera petit. Hieme instante montuosas interdum regiones relinquit, et in Scaniæ usque campos descendit, ubi Leporibus præsertim infestus. Cautus fixuque difficilis. Terra nive obrutâ, in pedicis vulpinis interdum capitur.

II. FALCO NÆVIUS:

Diagn: Rufo-fuscus, Remigibus nigricantibus, Rectricibus saturate fuscis apicibus pallidis.

SYNONYMA.

Falco nævius, Gmel. Syst. I. p. 258. Lath. Ind. I. p. 14. n. 18.

Aquila nævia, Briss. Orn. I. p. 425.

Aquila Mogilnik, Nov. Comm. Acad. Petrop. XV. p. 445 tab. XI. b.

Falco Mogilnik, Lath. Ind. I. p. 17.

Rough-footed Eagle, Lath. Syn. I. p. 37. n. 14. vers. Germ. Bechst. I. p. 35. n. 14.

Russian Eagle, Lath. Syn. I. p. 43. n. 24.

Junior Avis:

Falco maculatus, Gmel. Syst. I. p. 258. Lath. Ind. I. p. 15. n. 19.

Spotted Eagle, Lath. Syn. I. p. 38. n. 15. vers. Germ. Bechst. I. p. 35. n. 15.

Der Schreier (F. nævius) Bechst. Nat. Deut. 2. B. p. 226.

Mus. Payk.

OBSERV.

Cel. *Bechstein* l. c. sub nomine *f. nævii* Lin. (i. e. Gmel.) avem describit, quam Gmelin, Latham &c *f. maculatum* appellant. Avis quam ego infra describam, cum *f. nævio* Gmel. Lath. probe convenit. Cum vero etiam in *f. maculatum* quadrat, præter maculas scapularum et alarum tectricum albas, et cum constat quam varient falcones pro varia ætate; haud temere has aves conferendas putavi. Judicet vero is, cui avem per omnes ætates observare contingat, an recte contulerim. Figura Frischii 71. plerumque ad hanc avem citatur, mea autem sententia potius ad F. Buteonem pertinet.

DESCRIPTIO.

Longitudo avis circa 2. ped. Rostr. 2. poll. A flexura alæ ad apicem 1. ped. 6. poll. Cauda circa 9. poll. Tibiæ 2. poll. Digit. med. $2\frac{2}{8}$ poll. Digit. post. $1\frac{7}{8}$ poll.

Rostrum coeruleo-nigricans, dente obtusissimo, basi elongato-rectum, apice valde aduncum, cera lutea. Regio inter nares et oculos setulis nigris adspersa; Tibiæ, usque ad digitorum exortum, pennis cinereo-rufis, postice plumis albis, tectæ. Digiti lutei.

Corpus totum rufo-fuscum, capite et femoribus aliquantum dilutioribus. Tectrices alarum minores pallide rufo-fuscæ, marginibus pallidioribus. Remiges primores nigræ, basi albæ; secundariæ nigricantes, basi cinerascentes, apice dilutiore. Tectrices alarum inferiores rufo-fuscæ maculis albis. Cauda alis parum longior, nigro-fusca lineis transversis, obsoletis, cinerascentibus, apice albido. Tectrices caudæ inferiores albæ. Crissum albo-rufescens.

LOCUS.

Specimen, in Lapponia occisum, in Museo Paykulliano asservatur.

III. FALCO LAGOPUS.

Diagn: Corpus albo-fuscoque varium. Caput et collum alba striis fuscis. Cauda alba, versus apicem saturate fusca, apice albo.

SYNONYMA.

F. Lagopus, Brün. Orn. bor. p. 4. n. 15. Gmel. Syst. Nat. I. p. 260. Lath. I. p. 19. n. 33. Retz. Faun. Svec. p. 62. n. 6. Wachtmeister, Wet. Acad. H. 1801. p. 191. n. 5.

Falco communis leucocephalus, Gmel. Syst. I. p. 270. δ. Lath. Ind. Orn. I. p. 30. δ.
Faucon à tête blanche, Briss. Orn. I. p. 325.
White-headed Falcon, Lath. Syn. I. p. 66. n. 49. C.
Rough-legged Falcon, Pen. Brit. Zool. 2. p. 200. n. 92. Lath. Syn. I. p. 75. n. 54. vers. Germ. Bechst. I. p. 64. n. 54.
Der rauhbeinige Falke, Bechst. Nat. Deut. 2. B. p. 228.
Der rauhfussige Falke, Teutsche Ornith. Heft. II. cum figuris coloratis maris et feminæ egregiis.

Junior avis:

Falco Sclavonicus, Lath. Ind. I. p. 26. n. 54.
Falco pennatus. Gmel. Syst. I. p. 272. Lath. Ind. Orn. I. p. 19.
Faucon patu, Briss. Orn. VI. app. I. p. 22. t. I.
Booted Falcon, Lath. Syn. I. p. 75. n. 55.
F. S. Johannis, Lath. Ind. I. p. 34. n. 74?
St. John's Falcon, Arct. Zool. II. p. 93. tab. 9?.

Mus. Lund. Mus. Payk.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circa 2 ped. A flexura alæ ad apicem I. ped. 5. poll. Rostr. I½ poll. Cauda 8 poll. Tibiæ 3 poll. Digit. medius 2 poll. Digit. postic. I½ poll.

Rostrum nigro-fuscum, breve, parum aduncum, dente marginis obtusissimo vix notabili. Cera lutea. Iris flava. Tibiæ ad digitos usque tectæ pennis sordide-albis, fusco longitudinaliter maculatis.

Caput, collum et pectus lutescenti-alba, striis ad raches pennarum fuscis. Regio inter nares et oculos alba, setulis nigris. Dorsum et alæ supra fusca marginibus pennarum ferrugineis et albidis. Abdomen saturate fuscum macnlis (interdum) albis. In aliis (maribus) abdomen lutescenti album, maculis saturate fuscis fere

confluentibus. Remiges primores ab apice fere ad medium nigricantes, intus albo variæ; secundariæ fuscæ, basi albæ maculis fuscis. Cauda alis complicatis parum longior, supra saturate fusca, interiore medietate et apice extimo albis; subtus alba apice griseo. Tectrices superiores albæ maculis fuscis, inferiores sordide albæ. Femora sordide alba, maculis fuscis, in maribus, transversis; in feminis, longitudinalibus.

Junior avis:

Caput, collum, totumque corpus supra fusca marginibus pennarum albis, vel cinereo-albis; pectus, abdomen et femora alba maculis transversis fuscis. Tibiæ saturate fuscæ undulis albis. Cauda alba fasciis nigris, quarum extima ceteris latior.

Mus. Payk. e *Lapponia*.

LOCUS.

Habitat in Lapponia et Nordlandia. Rarissime in Sveciam australiorem descendit. Mores ejus nondum mihi bene noti.

DISSECT. II.

Tibiæ antice quoad partem plumis vestitæ; postice nudæ.

A.

Margo maxillæ superioris dente obtusissimo aut nullo.

IV. FALCO ALBICILLA.

Diagn: Corpus fuscum griseo immixto, capite et collo pallidioribus (sordide albidis); Cauda rotundata, brevis, alba.

SYNONYMA.

Falco albicilla, Lin. Faun. Sv. p. 19. n. 55. Gmel. Syst. I. p. 253. Lath. Ind. Orn. I. p. 9. n. 2. Wachtm. Wet. Ac. Handl. 1801. p. 175. I. Retz. Faun. Sv. p. 61. n. 3. Ödman, Acta Upsal. Vol. IV. p. 225.

Vultur Albicilla, Lin. Syst. nat. XII. I. p. 123. n. 8. Fabric. Faun. Groenl. p. 53.

Falco leucocephalus, Lin. Syst. Nat. XII. T. I. p. 124. n. 3. Gmel. Syst. I. p. 255. Lath. Ind. Orn. I. p. 11. n. 5.

Falco albicaudus, Gmel. Syst. nat. I. p. 258.

Falco hinnularius, Lath. Ind. Orn. I. p. 15. n. 20.

L'Aigle à queue blanche, Briss. Orn. I. p. 427.

L'Aigle à tête blanche, Briss. Orn. I. p. 422.

Le petit Aigle à queue blanche, Briss. l. c. p. 429.

Le Pygargue, Buff. Ois. I. p. 99. vers. Germ. Martini I. p. 125. Pl. enl. 411.

Cinereous Eagle, Pen. Brit. Zool. I. p. 170. tab. XVIII. Lath. Syn. I. p. 33. n. 8 Vers. Germ. I. p. 32. n. 8.

Lesser white tailed Eagle, Lath. Syn. I. p. 39. n. 16. Vers. Germ. I. p. 36. n. 16. Anh. p. 658. n. 16.

Bald Eagle, Lath. Syn. I. p. 29. vers. Germ. I. p. 25. n. 3.

Der Fischadler, Bechst. N. D. 2. p. 222.

Junior avis:

F. Melanætus, Lin. Syst. Nat. XII. I. p. 124. n. 2. Lath. Ind. Orn. I. p. 10. n. 3. (Diagn.) Gmel. Syst. Nat. I. p. 254. (Diagn.)

Black Eagle, Will. Orn. (Angl.) p. 61. t. 2. fig. inf.

Svecis: Hafsörn.

OBSERV.

Me contulisse *F. Albicillam, leucocephalum, Albicaudum* &c. mirum videbitur nemini, qui avem sub varia ætate examinavit.

Cur vero huic speciei *F. Melanaëtum* quoque adjunxerim; explicationem fortasse postulare videbitur. Caussam breviter exponam: Willoughby l. c. (quem citarunt omnes Ornithologi F. melanaëtum commemorantes), describit Aquilam sub nomine: *the Black Eagle, called Melanaëtus or Aquila valeria*, de qua inter alia dicit: *The jaws and Eye-lids were bare of Feathers — — — The head, neck and brest black — — — The Beak — — black at the end, then yellow &c — — The Leggs were feathered down but a little below the knees &c.* quæ quidem omnia in *F. albicillam* juniorem, non vero in *F. fulvum* (i. e, chrysaëtum jun.) quadrant. *Gmelin* autem et secundum illum *Latham*, Diagnosi hujus avis descriptionem brevem a *F. fulvo* desumtam addiderunt.

DESCRIPTIO.

A. Femina senior:

Longit. avis 3 ped. 3 poll. Rostr. 3 $\frac{2}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 2. ped. 3. poll. Cauda II. poll. Tibiæ 4$\frac{2}{8}$; Digit. intermed. 4. poll. Digit. post. 3. poll. Unguis post. I$\frac{7}{8}$; unguis antic. intermed. I$\frac{1}{2}$.

Rostrum cerino-luteum, elongatum, rectum; maxilla superior margine sinuosa, apice unco dependente incurvato. Cera lutea in qua nares oblongo-ovales, oblique-transversæ. Iris flava. Tibiæ plumis fuscis ad medium antice tectæ, indeque cum digitis luteæ. Femora extus pennis longis fuscis. Regio inter nares et oculos plumis destituta, setulis albis adspersa.

Caput et collum, pennis acutis, longis, supra subtusque, pectus et alæ complicatæ supra pallide grisea, dilute fusco immixto. Gula sordide albida. Dorsum et Uropygium saturate fusca, Abdomen fuscum pallide griseo immixto. Crissum nigricans. Remiges primores nigræ, basi cinerascentes; secundariæ fuscæ. Cauda rotundata, cum alis complicatis æqualiter extenditur, Rectrices albæ, versus basin fusco variegatæ. Tectrices superiores quatuor elongatæ, albæ apice (interdum) fuscæ.

B. Mares minores sunt, plusque fusci coloris in capite et collo habent. Quo senior avis, eo albidior, quo junior eo obscurior; ita ut pulli primo ætatis anno facillime pro diversa specie haberi possint.

C. Pullus, primo ætatis anno:

Feminâ annosâ multo minor. Longit 2. ped. 6. poll. Rostr. $2\frac{7}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 2. ped. 1. poll. Cauda 10 poll.

Rostrum et cera nigra; regio inter nares et oculum setulis nigris adspersa. Iris avellana. Tibiæ plumis fuscis antice semitectæ, dehinc cum digitis luteæ. Ungues nigri.

Caput et collum nigricantia, gula pallidiore. Dorsum et alarum tectrices fusco ferruginea maculis nigrofuscis (singula penna apice nigrofusca). Pectus et abdomen ferruginescentia maculis oblongis nigris. Remiges primores nigræ, basi cinereæ; secundariæ griseofuscæ. Rectrices nigricantes, rachi et latere interiore fere ad apicem albæ, fusco punctatæ. Tectrices Caudæ superiores albo et fusco variegatæ; inferiores albæ, apice nigricantes.

Mus. Lund.

D. Avis biennis:

Rostrum dilute fuscum, versus basin pallidius (lutescens). Iris quam præcedentis pallidior. Caput et collum supra fusca apicibus pennarum pallidioribus; subtus dilute griseo-fuscescentia. Dorsum et alæ supra fuscæ, ferrugineo et griseo immixtis. Pectus et abdomen pennis albicantibus, apicibus fuscis. Femora pennis longis saturate fuscis. Cauda ut prioris, sed albedine auctiori.

Mus. Lund.

OBSERV.

Illustriss. Comes *Wacktmeister*, pullos ex nido desumtos, per biennium et quod excurrit, educavit, mutationesque colorum observavit. Hæc eadem Specimina, unde etiam Descriptiones datas ego formavi, in Museo Academiæ Lundensis adhuc asservantur. Ex his vero patet, *pullum Albicillæ* in omnibus fere cum *F. Ossifrago* Auctor. congruere. Rev. igitur Ödman et Ill. Wachtmeister non sine jure suspicantur, *juniorem Albicillam* nomine *Ossifragi* sæpe esse descriptam. Caussas vero, cur nihilo tamen minus ego *Ossifragum* ut distinctam Speciem enumerem, hæc est: Avem a nob. Wormskiold e Groenlandia allatam accepi, quæ quoad colores cum *Albicilla bienni* probe convenit, sed magnitudine rostri, unguium &c *Albicillam* vel seniorem facile superat. Rostrum præterea habet aterrimum, sed ceram flavam. Cauda quæ in *Albicilla* rotundata, in hac æqualis est. Hanc avem, quam et postea in Mus. Payk. vidi, quæque in *Teutsche Ornith.* Heft. XVII. nomine *Seeadler* egregie depicta est, pro genuino *Ossifrago* habeo.

HISTORIA ALBICILLÆ.

Nemorosa et rupestria loca juxta maria et lacus præsertim amat. Superioris tamen quam inferioris Sveciæ frequentior incola. Nidum vel in excelsis arboribus, vel in altis rupibus construit. Tria ova ponit, quorum plerumque duo tantum prolifera. Vivam vel recentem prædam pullis adportat. Mammalia mediocris magnitudinis, aves et pisces prædatur. Etiam infantes aliquando subripuit. Putrescentibus cadaveribus vescitur. Phocam vitulinam &c. adgressus, interdum in fundum sequi cogitur. Vox acutissime sibilans. Pulli facillime mansuescunt. (Vide nova *Act, Upsal. IV. p.* 234 *et sequ.* ubi *Rev. Ödman* Historiam avis ex autopsia fuse, concinne et ingeniose dedit.)

V. FALCO OSSIFRAGUS.

Diagn: Corpus ferrugineum maculis fuscis. Caput et collum supra saturate fusca apicibus pennarum

pallidis. Rectrices nigricantes, rachibus et interiore latere albidis. Cauda æqualis. Rostrum nigrum. Cera lutea.

SYNONYMA.

Falco Ossifragus, Lath. Ind. Orn. I. p. 12. n. 7. Gmel. Syst. Nat. I. p. 255.

The Sea-Eagle or Osprey, Will. Orn. (Angl.) p. 59. t. 1. fig. infer. Pen. Brit. Zool. I. p. 167. n. 44. f. 17. Arct. Zool. II. n. 86. A. Lath. Syn. I. p. 30. n. 4. vers. Germ. I. p. 26. n. 4.

L'Orfraie, Buff. Ois. I. p. 113. tab. 3. Pl. enl. 415.

Le grand Aigle de mer, Briss. Orn. I. p. 437.

Der Seeadler, Borkhaus. Teutsche Ornith. H. XVII. (Figura maris et feminæ egregia).

Mus. Payk. e. Lapponia.

OBSERV.

Cur hanc avem, juniori *Albicillæ* subsimilem, ut distinctam Speciem exposuerim, caussam supra dixi. Forte tamen mera pro climate varietas *Albicillæ*. Junior saltem non est.

DESCRIPTIO:

Longit. avis 3 pedes et aliquot pollices; Rostrum $3\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem 2 ped. 4. poll. Cauda 1. ped. 3 poll. Tibiæ $4\frac{1}{2}$ poll. Digit. medius $4\frac{1}{2}$ poll. postic. $3\frac{1}{2}$ poll. unguis medius $1\frac{5}{8}$ poll. ung. postic. 2 poll.

Rostrum nigrum forma præcedentis at aliquantum majus et robustius. Cera flava. Regio inter nares et oculos setis nigris adspersa. Pedes flavi unguibus nigris.

Caput et collum supra pennis acutis, longis, saturate fuscis apice extimo pallidis; subtus dilute griseo-

rufis, apice nigris. Dorsum et alarum tectrices ferruginea maculis nigricantibus. Remiges primores nigræ basi cinereæ; secundariæ nigricantes, latere interiore cinereo variegatæ, apice pallidiores. Femora teguntur pennis longis cinereo-fuscis. Tibiæ antice pennis fuscis semivestitæ, inde cum unguibus luteæ. Cauda subæqualis nigra, interiore Rectricum latere et ad raches albo variegata. Tectrices superiores et inferiores ex fusco, ferrugineo et albo variegatæ.

LOCUS:

Rupes septentrionis, mari adjacentes, habitat. Animalia, quæ in undis degunt, præsertim devastat.

VI. FALCO HALIÆTUS.

DIAGN: Corpus subtus, caput et collum supra subtusque alba; latera colli et dorsum fusca; pennæ femorum brevissimæ. Cera pedesque cærulei, unguibus teretibus, subæqualibus.

SYNONYMA.

Falco Haliætus, Lin. Faun. Sv. p. 22. n. 63. Syst. Nat. XII. T. I. p. 129. Gmel. Syst. I. p. 263. Lath. Ind. I. p. 17. Retz. Faun. 62. n. 5. Wachtmeister Wet. Ac. H. 1801. p. 188.

L'Aigle de Mer. Briss. Orn. I. p. 440 tab. 34.

Le Balbuzard, Buff. Hist. Ois. I. p. 103. t. 2. vers. Germ. Martini p. 182. Pl. enl. 414.

Osprey, Pen. Brit. Zool. I. p. 174. n. 46. Arct. Zool. II. n. 91. Lath. Syn. I. p. 45. n. 26 — Suppl. p. 13.

Der Fischaar, Bechst. Nat. Deutschl. 2. p. 229.

Der Flussadler, Borkh. Teutsche Orn. H. IX. (Mas et fem. egregie depicti.)

Svecis: Fisk-kjuse, Sjöhök.

Mus. Lund. Upsal. Paykull.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circa 2 pedes. Rostr. $1\frac{5}{8}$ poll. alæ compositæ I.ped. 8 poll. Cauda $8\frac{1}{2}$ poll. Tibia $2\frac{2}{8}$; Digit. med. fere 3. poll. Digit. post. $2\frac{2}{8}$ poll.

Rostrum coeruleo-nigrum, longiusculum, basi rectum, maxilla superior in medio dente obtusissimo, apice unco valido. Cera coerulea. Iris pallide flava. Regio inter oculos et nares setulis nigris adspersa. Pedes coerulei, nudi, scutellis parvis, imbricatis scabri. Digiti, quorum extimus versatilis, subtus rugosissimi. Femora pennis plumosis, brevibus, albis tecta. Ungues nigri, magni, in semicirculum curvati, teretes, aliquantum compressi, fere æquales, exteriore tamen et postico paulo majoribus. Caput, collum, pectus et abdomen alba, vertice et pectore striis et maculis fuscis adspersis. Ab oculo ad latera colli utrinque descendit fascia fusca. Dorsum et tectrices alarum saturate fusca. Remiges nigro-fuscæ, basi et (ad partem) latere interiore albæ, fusco transversim fasciatæ. Cauda alis complicatis brevior, æqualis, supra obscure-cinereo fuscoque fasciata, subtus albida fasciis fuscis. Par intermedium Rectricum immaculatum, fuscum.

A. avis junior:

Caput supra et pectus magis maculata. Dorsum et alæ supra fusca, marginibus pennarum albidis. Cauda fasciis supra magis conspicuis. Crissum rufescens.

Mus. Payk.

B. variet:

Primo descriptæ similis, pectore autem anteriore fusco marginibus pennarum albescentibus.

Mus. Payk.

HISTORIA.

In Scania rarior, in ceteris Patriæ provinciis frequens. Jam maria jam lacus visitat. Supra aquas voli-

tans, in pisces majores se præcipitat. Neque semper latrocinium ejus inpunitum; unguibus enim aduncis in piscem nimis magnum infixis; agitatis alis ejulans avis in undas detrahitur. Lacubus glacie obductis, oras nostras relinquit; tempore vero, quo dissolvitur glacies, redit. Nidum in præaltis arboribus construit. Ova 3. alba, brunneo-marmorata. (Historiam avis cet. vide Nov. Act. R. Ac. Scient. Holm. Tom. V. p. 301. et Act. Upsal. T. V. p. 54.)

VII. FALCO LONGIPES, *mihi.*

(Tab. I.)

Diagn: Supra nigro-fuscus maculis colli testaceo albis; subtus testaceo albus maculis nigricantibus. Femora fusco undulata. Cauda fasciis fusciis et cinereis. Rostrum validum. Tibiæ prælongæ, digitis brevibus.

DESCRIPTIO.

Habitu distinctissima avis, inter majores est. 1. ped. 11. poll. longa. Rostrum $1\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 15 poll. Cauda circa 9 poll. extra alas extenditur 4 poll. Tibiæ fere 5 poll. Digitus posticus $1\frac{1}{2}$ poll. intermed. $1\frac{6}{8}$.

Rostrum nigro-fuscum, validum, aliquantum elongatum, fere edentulum, maxilla superiore unco dependente, longo, terminata. Cera lutea? Iris — Regio inter nares et oculos pilis adspersa. Pedes lutei, tibiis elongatis, digitis brevibus, unguibus nigris.

Caput supra nigricans. Occiput, cervix et colli latera variegata pennis basi albo-testaceis, apice nigricantibus. Circa oculos circulus nigricans e quo macula nigra versus nucham ducta. Dorsum nigro-fuscum

pennis hinc inde margine tenui fuscis. Tectrices alarum minores colore dorsi, at magis in fuscum inclinantes, marginibus tenuibus ferruginescentibus. Remiges extimæ nigræ, basi albæ fasciis fuscis; ceteræ cum tectricibus majoribus cinereo-fuscæ, fasciis transversis, angustis, obsoletis, nigricantibus, basi et latere interiore a basi albæ vel testaceo albæ. Corpus subtus testaceo vel flavo-album; gula et genis striis nigris, pectore et abdomine maculis oblongis vel subcordatis nigricantibus, in infimo ventre confluentibus. Tectrices alarum inferiores testaceo-albæ maculis nigricantibus. Crissum maculis transversis parvis et rarioribus. Femora teguntur pennis brevibus albo-testaceis, undulis numerosis nigro-fuscis. Rectrices latere exteriore cinereæ fasciis angustis (6.) fuscis; basi at latere interiore testaceo-albæ fasciis angustioribus fuscis; pone apicem albidum fascia lata nigricante. Rectrices intermediæ binæ, præter fasciam pone apicem latam nigram, cinereo, fusco et albido irregulariter maculatæ et litturatæ.

OBSERV.

Pulchram hanc et distinctissimam avem nullibi descriptam invenio, nisi forte *Falco leucopsis Bechsteinii* (Naturg. Deutscht. 2te Aufl. 2. B. p. 572) huc pertinet. Nomen *F. longipes*, quod Illustr. comes *Wachtmeister* ei addidit, ut maxime characteristicum retinui. Figura data Benevolentiæ nobiliss. *Paykull* debetur.

LOCUS.

E Lapponia allata in *Museo* egregio *Paykulliano* asservatur.

VIII. FALCO ÆRUGINOSUS.

DIAGN: Corpus saturate fuscum, gula et vertice rufescenti-albis. Pedes longi, graciles.

SYNONYMA.

Falco æruginosus, Lin. Syst. Nat. I. p. 130. Faun. Svec. p. 66. Retz. Faun Sv. p. 74. n. 21. Gmel. Syst. Nat. I. p. 267. Lath. Ind. Orn. I. p. 25. Wachtm. Wet. Ac. H. 1801. p. 203.

Le Busard de Marais, Briss. Orn. I. p. 401.

Le Busard, Buff. Ois. I. p. 218. tab. 10. Pl. enl. 424. vers. Germ. Martini II. p. 22. tab. 27.

Moor Buzzard, Pen. Brit. Zool. I. p. 192. n. 57. tab. XXVII. Arct. Zool. II. p. 225. L — Lath. Syn. I. p. 53. Sup. p. 15. vers. Germ. Bechst. I. p. 48. n. 34.

Accipiter korschun: Nov. Comm. Acad. Petrop. T. XV. p. 444. tab. XI. a. (ad hunc pertinet, minime ad *f. milvum*, ut Lath. vult.)

Rostweihe, Bechst. Nat. Deutsch. 2. p. 250.

Junior avis:

Falco rufus, Gmel. Syst. Nat. I. p. 266. Lath. Ind. Orn. I. p. 25. n. 51. Retz. Faun. p. 65. n. 10. Wachtm. Wet. Ac. H. 1801. p. 205.

Le Busard roux, Briss. Orn. I. p. 404.

La Harpaye, Buff. Ois. I. p. 217. Pl. enl. n. 460. vers. Germ. Martini II. p. 20. tab. 26.

Harpy-Falcon, Lath. Syn. I. p. 51. n. 32. vers. Germ. I. p. 46. n. 32.

Brandfalke, Bechst. Nat. D. 2. p. 261.

Svecis: Hönstjuf. Mus. Payk: &c.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circiter 22. poll. Rostr. 1⅝ poll. A flexura alæ ad apicem 1. ped. 4. poll. Cauda 7. poll. Tibiæ 3. poll. Digit. antic. med. 2⅜; post. 1⅜

Rostrum nigrum dente obtusissimo, vix notabili. Cera virescenti-flava. Iris lutea. Regio inter nares

et oculos setis nigris, nares quoad partem tegentibus, vestita. Pedes longi, graciles, lutei, unguibus nigris.

Caput et collum supra rufescenti- l. testaceo-alba lineis longitudinalibus fuscis. Gula et superior juguli pars alba, rufescenti tincta. Ceterum corpus supra saturate fuscum, rufo tinctum; subtus fuscorufum. Remiges primores nigricantes latere interiore basi cinereæ, secundariæ fuscæ apice pallido, latere interiore cinereæ. Cauda supra fusco-rufa, subtus grisea.

A. variet. Antecedenti similis, sed humeri macula magna, ovali, rufescenti-alba. Mus. Upsal.

B. Junior; F. rufus Auctor.

Magnitudine, forma et proportione partium primo descriptæ similis. Color partium nudarum idem. Caput supra pallide ferrugineum striis fuscis. Gula albo ferruginescens, immaculata. Dorsum et tectrices alarum superiores saturate fusca pennis ferruginescenti marginatis. Superior pars pectoris pallide ferruginea maculis longitudinalibus fuscis. Abdomen, crissum et femora saturate ferruginea. Remiges primores nigræ; secundariæ cinereæ. Cauda supra cinerea, lateribus ferruginea, subtus alba. Mus. Payk.

HISTORIA AVIS.

Amat loca uliginosa, flumina et paludes. Nidum in arboribus depressis vel in ipsa terra, locis paludosis ponit. Ranas, Lacertas, pisces et aves aquaticas prædatur. Rarior. Migratoria.

IX. FALCO STRIGICEPS*), *mihi*

DIAGN: Caput torque e pennis rigidis cinctum. Rostrum breve. Tibiæ longæ, graciles. Cauda fasciata.

* Variat admodum, unde varia ei data sunt nomina, e quibus tamen nullum characteristicum. *F. cyanus* colorem maris

MAS.

Supra canus, subtus albus.

FEMINA.

Supra fusca, subtus luteo rufa maculis fuscis.

SYNONYMA.

Falco cyanus, Lin. Syst. nat. I. p. 126 (mas.) Lath. Ind. Orn. I. p. 39. n. 94. Gmel. Syst. nat. I. p. 277. (mas).

Falco pygargus, Lin. Syst. I. p. 126. Gmel. Syst. I. p. 277.

Falco torquatus, Briss. Orn. I. p. 345.

Lanarius cinereus, Briss. Orn. I. p. 365. (mas.)

L' Oiseau St. Martin, Buff. Hist. Ois. I. p. 212. vers. Germ. Martini II. p. 12. tab. 24. Pl. enl. 459. (mas).

La Soubuse, Buff. Ois. I. p. 215. tab. 9. Pl. enl. 443. (fem.) vers. Germ. Martini II. p. 17. tab. 25. (fem).

Henharries, Pen. Brit. Zool. I. p. 193. n. 58. Lath. Syn. I. p. 88. Sup. p. 22. (mas) vers. Germ. Bechst. I. p. 78. n. 74.

Ring-tail, Pen. Br. Zool. I. p. 194. n. 59. Lath. Syn. I. p. 89. — Suppl. p. 22. (fem.) vers. Germ. I. p. 79. n. 75.

Accipiter macrourus, Nov. Com. Acad. Petrop. T. XV. p. 439. tab. VIII. et IX.

Falco macrourus, Gmel. Syst. I. p. 269. Lath. Ind. I. p. 29. n. 64.

---

tantum indicat. *F. pygargus* femina appellatur; hoc tamen nomine *F. albicilla*, ab antiquis ornithologis nominabatur. Cum vero ab omnibus mihi cognitis Falconibus facillime distinguitur pennis illis rigidis, erectis, quæ more *Strigum* caput cingunt, nomen *Strigiceps* aptissimum mihi visum est.

F. hudsonius, Gmel. Syst. Nat. I. p. 277. Edw. aves 107. t. 107. (fem. var. f.).
Der blaue Habicht, Bechst. Nat. D. 2. B. p. 256 (mas).
Die Halbweyhe, Bechst. N. D. 2. p. 253. (fem.)

DESCRIPTIO.

A. mas senior:

Longit. avis 1. ped. 5. poll. Rostrum 1. poll. A flexura alæ ad apicem $13\frac{1}{2}$ poll. Cauda 8 poll. Tibiæ 3. poll. Digit. med. $1\frac{1}{8}$ poll. postic. $1\frac{?}{8}$ poll.

Rostrum breve, fere edentulum, nigrum, basi undique setulis nigris nares subtegentibus instructum. Cera viridi-lutea. Iris et pedes lutei. A gula circa aures versus nucham series pennarum brevium rigidarum; unde Caput *Strigem* parvam refert. Tibiæ longæ, tenues. Ungues fusci.

Caput, Dorsum et Alæ supra coerulescenti-cana, pennis scapularum fuscescentibus. Occiput macula fuscescenti, albo immixto. Gula, jugulum et anterius pectus pallide coerulescenti-cinerea. Ceterum subtus tota alba, lineis rarioribus fuscis ad raches pennarum. (Sæpius tamen immaculata.) Remiges primores nigræ, basi albæ, secundariæ fusco-cinereæ apice pallidæ, latere interiore albæ. Cauda cinereo-canescens fasciis fuscis. Rectricibus intermediis sæpe immaculatis. Tectrices superiores et inferiores albæ.

B. femina:

Mare major, rostro pedibusque aliquantum robustioribus.

Caput supra fuscum marginibus pennarum rufescentibus. Fascia per oculos fusca, supra et infra quam fascia albida. A sinu oris ad aures macula semilunaris fusca, sub qua, a jugulo ad nucham, collare e pennis rigidis, nigris, albo-marginatis. Dorsum fu-

sco-fuliginosum. Subtus avis luteo-rufa maculis longitudinalibus fuscis. Femora albida maculis et striis ad raches ferrugineis. Remiges primores supra fuscæ, subtus albæ fasciis transversis nigris. Rectrices fasciis supra cinereis et fuscis, subtus albis et fuscis, fere pollicaribus.

C. *Mas junior:*

Caput supra fuscum marginibus pennarum ferrugineis, supra et infra oculum fascia albida. Macula auris semilunaris fuscescens. Dorsum et Alæ supra cinerea, fusco tincta. Remiges primores nigræ. Cauda cinerea fasciis fuscis. Pectus cinereo album striis fuscis. Abdomen et crissum alba.

D. *variet.*

Supra fusca marginibus pennarum pallide rufescentibus. Fascia per oculos fusca, supra et infra quam, fascia alba. Macula auris rufo-fusca. Collare album punctis fuscis. Subtus avis alba, rachibus pennarum rufo-fuscis. Remiges et Rectrices ut antecedens.

Mus. Payk.

E. *variet.* Latera capitis, caput supra et dorsum fusca. Stria alba supra oculos et macula alba infra. Avis subtus testacea immaculata. Remiges fuscæ fasciis saturatioribus, latere exteriore cinereo. Rectrices I. I. pallide testaceæ, basi albæ, apice fascia fusca. 2. 3. 4. 5. fasciis latis fuscis, et testaceis; 6. 6. cinereo-fuscæ fasciis latis saturatioribus.

E Gottlandia. Mus. Holm.

F. *variet.* fem.

Caput supra, orbita et macula auris nigra. Dorsum obscure fuliginosum pennis nigris insertis. Supercilia albida. Collare e pennis nigris albo marginatis. Iugulum sordide album maculis fuscis fere confluentibus. Pectus et abdomen alba maculis et striis minutis

raris, fuscis. Remiges nigricantes tectricibus penultimis nitide cinereo-coeruleis apicibus et fascia per medium nigris. Rectrices rufo-cinereæ, intermediæ nitide cinereæ, omnes fasciis quatuor distantibus nigris, quarum ultima latior. *F. Hudsonius* Gmel.

Mus. Payk.

HISTORIA.

Rarior. Migratoria. Autumno abiens, vereque redux in Scania obvenit. Mures et aviculas prædatura supra agros et campos haud multum a terra elevata volitat.

X. FALCO MILVUS.

DIAGN: Corpus ferrugineum maculis fuscis, capite albicante. Cauda forficata. Pedes breves, cum cera, lutei.

SYNONYMA.

Falco Milvus, Lin. Syst. Nat. I. p. 126 n. 12. Gmel. Syst. Nat. I. p. 261. Lin. Faun. Sv. n. 57. Retz. Faun. p. 66. n. 11. Lath. Ind. Orn. p. 20. n. 37. Wachtm. Wet. Ac. H. 1801. p. 197. n. 8.

Milan royal, Briss. Orn. I. p. 414. t. 32. Buff Ois. I. p. 197. t. 7. vers. Germ. I. p. 267. tab. 21. Pl. enl. 422.

Kite, Pen. Brit. Zool. I. p. 185. n. 53. Arct. Zool. II. p. 223. H Lath. Syn. I. p. 61. n. 43. Suppl. p. 17. vers. Germ. Bechst. I. p. 56. n. 43. Anh. p. 662. n. 43.

Gabelweihe, Bechst. Nat. Deutsch. 2. p. 243. Teutsche Ornithol. H. V. tab. I. 2. mas et fem.

Avis junior:

Falco ater, Gmel. Syst. I. p. 262. Lath. Ind. I. p. 21. n. 38. Retz. Faun. p. 66. n. 12.

Milan noir, Briss. Orn. I. p. 413. Buff. Ois. I. p. 203. Pl. enl. 472. vers. Germ. Martini I. p. 274.
Black kite, Lath. Syn. I. p. 62. n. 44. vers. Germ. I. p. 57. n. 44. Anh. p. 663.
Svec. Glada.

OBSERV.

Falcone atro, *Auctor.* diligenter cum *Milvo* collato; non possum non ad partes cel. *Le Vaillant* accedere, qui utramque avem pro eadem specie habet. Pullos scil. e nido Milvi exceptas educavit, qui ad secundam usque deplumationem *F. atrum* auctor. perfecte referebant. (vide Hist. nat. Ois. d'Afr. par *Le Vaillant*, ed. min. T. I. p. 157.

DESCRIPTIO.

A. senioris avis:

Longit. 2. ped. 2. poll. Rostr. $1\frac{6}{8}$. A flexura alæ ad apicem I. ped. $8\frac{1}{2}$ poll. Cauda fere 13 poll. Tibiæ $2\frac{1}{8}$ poll. Digit. med. $2\frac{1}{8}$; Digit. post. $1\frac{6}{8}$.

Rostrum nigricans, elongatum, superne compressum; maxillæ superioris margo dente obtusissimo; apex unco magno instructus. Cera et Iris flava. Regio inter nares et oculos, mentum et orbitæ, setulis nigris. Tibiæ breves, antice ad dimidiam partem pennis plumosis lutescenti-albis vestitæ, dehinc cum digitis, luteæ. Ungues nigri, acutissimi.

Caput et collum alba, fusco striata, ferrugineo immixto. Dorsum et alarum tectrices pennis saturate fuscis, marginibus late ferrugineis vel albicantibus. Iugulum, pectus et abdomen ferruginea striis longitudinalibus fuscis. Crissum pallide ferrugineum. Remiges primores nigræ, latere interiore a basi ad medium albæ; intermediæ (6. 7. 8.) extus ferrugineæ, intus albæ fasciis fuscis; secundariæ nigricantes apice albicantes, latere interiore pallidiores, obscuro fasciatæ.

Cauda ferruginea forficata. Rectrices intermediæ cum alis compositis æqualiter extenduntur; laterales 2. poll. longiores sunt et fuscæ.

B. junioris avis:

Rostrum, pedes &c. formâ et proportione exacte præcedentis, quâ tamen, ut junior, aliquantum minor. Caput et collum albida striis longitudinalibus numerosis fuscis. Dorsum et tectrices alarum saturate rufo-fusca rachibus pennarum nigris. Pectus, abdomen, femora et crissum saturate rufo-ferruginea striis longitudinalibus nigris. Remiges nigricantes. Cauda alis parum longior, aliquantum forficata. Rectrices fuscæ fasciis obsoletis saturatioribus, apice albidæ.

HISTORIA MILVI.

Migratoria avis, læti nuncia veris. Inter XX. et XXVtum diem Mens. Martis *Milvos* e meridie in Scaniam primos redeuntes, alteque per paria volantes, per plures annos observavi. In Scania, quam in ceteris Patriæ provinciis frequentior avis. Volatus pulcherrimus. Immotis enim alis, caudæ tantum flexibus cursum dirigens, jam sublimis cum conjuge ludens, coelo sereno, gyros per aëra ducit; jam humilis supra campos et agros volitans, rapinam meditatur. Interdiu in arvis et pratis interdum sedit. Noctu in arboribus quiescit. Timida admodum et ignava, nullas nisi inermes prædas petit. In Mures, Lacertas, Ranas, aviumque pullos rostro impetum facit. Nidum in summo arboris excelsæ cacumine et ramulis construit. Ova 3. ponit. Iam medio Septembri provincias Sveciæ superiores relinquit. In Scania ad initium Octobris obvenit.

XI. FALCO BUTEO.

DIAGN: Cera pedesque seminudi lutei. Cauda brevis, cinereo fuscoque transversim lineata. Rostrum dente obtuso. Lora setulis adspersa.

SYNONYMA.

Falco Buteo, Lin. Syst. Nat. I. p. 127. Faun. Sv. p. 21. n. 60. Retz. Faun. p. 69. n. 16. Gmel. I. p. 265. Lath. Ind. I. p. 23. n. 47. Wachtm. Wet. Ac. H. 1801. p. 199. n. 9.

La Buse, Briss. Orn. I. p. 406. Buff. Ois. I. p. 206. tab. 8. Pl. enl. n. 419. vers. Germ. Martini II. p. 3. tab. 22.

Common Buzzard, Pen. Brit. Zool. I. p. 188. n. 54. tab. 25. Arct. Zool. II. p. 224. J. Lath. Syn. I. p. 48. Suppl. P. 14. vers. Germ. Bechst. I. p. 44. n. 28. Anh. p. 659.

Bussard, Bechst. Nat. Deutschl. 2. p. 238.

Varietates:

Falco versicolor, Gmel. Syst. I. p. 272. Lath. Ind. I. p. 33. n. 73.

Spotted Falcon, Pen. Brit. Zool. I. p. 189. n. 55. tab. 26.

Falco albidus, Gmel. Syst. I. p. 267.

Der weissliche Bussard, Teutsche Ornith. H. XI.

Falco variegatus. Lath. Ind. Orn. p. 24. n. 48.

Speckled Buzzard, Lath. Syn. I. p. 97. vers. Germ.

Svecis: Qvidfogel, Musväg. I. p. 88.

DESCRIPTIO.

Longit: avis I. ped. 8. poll. Alæ extensæ 4. ped. A flexura alæ ad apicem I. ped. 3 poll. Rostr. I½ poll. Tibiæ 3⅝ poll. Digit. med. 2⅛ poll. Digit. postic.

$1\frac{1}{2}$; Cauda $8\frac{1}{2}$ poll. — extra alas compositas extenditur ad I. poll.

Rostrum nigricans, dente marginis obtusissimo. Cera et anguli oris flava. Iris pro ætate variat, fusco-grisea, rufa, et pallide grisea. Regio inter nares et oculos setulis nigris, quæ quoad partem nares rotundato-triangulares tegunt, adspersa. Pedes lutei unguibus nigris. Tibiæ quoad partem antice teguntur pennis plumosis.

Caput et collum supra, dorsum et alarum tectrices fusca marginibus pennarum in aliis magis, in aliis minus ferrugineis et albidis. Subtus corpus album, luteo leviter tinctum maculis fuscis in pectore majoribus et fere confluentibus, in abdomine distinctis, cordatis. Gula striis fuscis. Crissum maculis raris cordato-fasciatis. Remiges primores nigricantes, latere interiore a basi albæ; secundariæ fuscæ, apice albicantes, latere interiore albæ, fusco fasciatæ. Cauda subæqualis. Rectrices obscuro-cinereæ fasciis, angustis, numerosis (10-12) fuscis, apice et latere interiore ferrugineo-albæ. Femora fusca, marginibus pennarum ferrugineis.

OBSERV.

Variat ad modum pro vario sexu et varia ætate totum Accipitrinum Genus, nec ulla Species quam hæc magis. Caussæ vero adhuc incognitæ. Neque enim clima, sexus, ætas *solæ* sunt rationes. Non igitur mirum ornithologos, qui in Speciebus determinandis nihili fere nisi coloris rationem habuerint; his varietatibus nomenclaturam studiose auxisse. Sunt vero præcipuæ varietates:

Var. A. Fuliginoso-fusca, alarum tectricibus dilutius marginatis. Crissum albo fuscoque transversim fasciatum. Abdomen undulis rarioribus albis. Femora fuliginoso-fusca immaculata. Cauda fusco cinereoque transversim lineata, fascia latiore fusca pone apicem albicantem.

In Scania et Uplandia sæpius occisa. Mus. Payk, &c.

Var. B. Fuliginoso-fusca, gula et jugulo albis, fusco maculatis. Abdomen albo fuscoque transversim fasciatum. Crissum rufescenti album maculis raris transversis fuscis. Cauda ut in var. A. Mus. Payk.

Var. C. Caput et collum ad sternum usque, Dorsum et alarum tectrices fusca, pennis præsertim colli anterioris et alarum] tectricum ferruginescenti-albo marginatis. Macula major oblonga, albida, sub oculis. Pectus, abdomen, crissum alba immaculata, ferrugineo leviter tincta. Uropygium lutescenti-album, macula magna fusca in medio. Rectrices basi et ad raches ferruginescenti albæ, lineis transversis, numerosis, cinereis et fuscis.

E Hallandia. Mus. Payk.

Var. D. Caput et collum alba maculis rarioribus fuscis. Dorsum et alarum tectrices fusca, pennis albo lata fimbriatis. Pectus, abdomen et femora extus alba immaculata. Femora intus et crissum albo rufescentia. Rectrices mediæ albæ fasciis transversis fuscis; ceteræ fusco et cinereo transversim fasciatæ. cet. ut anteced. Mus. Payk.

Obs. Huc pertinet *The spotted Falcon*, Pen. l. c.

Var. E. Caput et tota avis subtus alba, maculis fuscis in vertice raro sparsis. Ab angulis oris ad latera colli maculæ fuscæ in serie dispositæ. Superior pars pectoris maculis fuscis fere confluentibus. Abdomen maculis nonnullis parvis fuscis. Tectrices alarum minores albæ maculis fuscis. Cet. ut anteced. *E Nordlandia in Mus. Payk.*

Var. F. Caput et tota avis subtus testaceo-alba maculis raris fuscis ad latere pectoris. Dorsum et alarum tectrices minores testaceo alba macnlis fuscis. Remiges fuscæ, omnes, præter primores tres apicibus albæ. Rectrices medietate interiore et apice albæ, exteriore cinereæ lineis transversis fuscis. Junior est. E Scania. *Mus. Payk.*

Var. G. Colore primæ descriptæ, sed magnitudine minore. E Lapponia Mus. Payk.

In Mus. Paykulliano tota hæc series varietatum invenitur, quas unâ vidi et diligenter comparavi. In omnibus, præter colores, similes sunt. Rostri eadem forma et magnitudo. Pedes eâdem magnitudine, iisdem scutellis teguntur. Ungues similes. Proportio demum partium eadem.

Idem habitus; unde, me judice, eadem Species. *Varietatem G* in Hallandia nidificantem ipsi sclopeto occidimus. Nidus, pulli, conjux, vox, volatus &c exacte *Buteonis.*

HISTORIA.

Segnis et ignava avis, hyeme instante abit, verno tempore redux. In sylvis, prata adjacentibus, frequens. Nidum planum ex ramulis aridis in arbore quadam struit. Ova 3. l. 4. Mammalia minora ut Erinaceos, Talpas, mures et aves ex. gr. Perdices, Coturnices &c. præsertim vero amphibia: Ranas, Natrices et Lacertas prædatur. Tetraonis urogalli feminam etiam in nido olim inveni. Autumni tempore, præsertim in Scania frequens. Jam supra silvas tota familia gyros per aërem ducit, jam sæpibus insidit, jam in pratis sylvestribus, depressis, amphibia quæritura ambulat. Vel sedens vel volans sonum ejulantem *Gaah!* edit.

XII. FALCO APIVORUS.

DIAGN: Rostrum plane edentulum. Lora pennis tecta. Ungues rectiusculi, Cauda cinereo fuscoque fasciata.

SYNONYMA.

Falco Apivorus, Lin. Syst. Nat. I. p. 130. n. 28. Lin. Faun. Svec. 23. n. 65. Gmel. Syst. I. p. 267. Lath. Jnd. I. p. 25. n. 52. Wachtm. Wet. Ac. H. 1801. p. 201.

La Bondrée, Briss. Orn. I. p. 410. Buff. Ois. I. p. 208. Pl. enl. 420.

Honey-Buzzard, Pen. Brit. Zool. I. p. 190. n. 56. Lath. Syn. I. p. 52. vers. Germ. I. p. 47. Suppl. p. 14.

Wespenfalke, Bechst. Nat. Deutschl. 2. p. 264.

Wespen-Bussard, Teutsche Ornith. Borkh. &c. H. XIV

DESCRIPTIO.

Longit. avis I. ped. 10 poll. Alæ extensæ 3. ped. 9 poll. Rostrum $1\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem I. ped. $2\frac{1}{2}$ poll. Tibiæ $2\frac{1}{8}$ poll. Digitus med. $2\frac{3}{8}$ poll. Digit. postic. $1\frac{1}{2}$; Cauda 9 poll.

Rostrum nigrum, plane edentulum, modice curvatum, supra compressum, fere carinatum. Cera flava. Iris lutea. Nares oblongæ, obliquæ nudæ. Tibiæ antice pennis fere semitectæ, dehinc luteæ, unguibus rectiusculis nigricantibus. Regio inter nares et oculos *pennis* (non setulis) tecta, unde tumida apparet.

A. Mas:

Caput supra et cervix fusco alboque varia. Latera capitis cinerea maculis minutis albis. Dorsum et alæ supra saturate fusca. Remiges primores nigricantes; secundariæ fuscæ latere interiore a basi albido maculatæ. Subtus tota avis alba maculis distantibus rotundato-cordatis, fuscis. Gula striis fuscis. Crissum maculis transversis fuscis. Cauda supra cinerea fusco nebulosa, fasciis quatuor distantibus, pollicaribus (extima tamen latiore) saturate fuscis, apice albo; subtus cinereo-alba obsolete fasciata.

Mus. Payk.

B. Femina:

Latera capitis cinerea albo immixto. Caput supra, Dorsum et tectrices alarum fuliginoso-fusca, marginibus pennarum dilutioribus. Subtus cinereo-fusca rachibus fuscis, in abdomine et crisso maculis transversis albis, distantibus. cet. ut anteced.

Mus. Payk.

C. Junior:

Supra nigro-fusca, apitis et colli singula penna apice maculâ albâ. Remiges nigricantes apice macula alba. Subtus albida; gula striis, pectore et abdomine

maculis latis nigro-fuscis. Rectrices nigro-fuscæ, cinereo et albo transversim lineatæ, fascia lata nigricante pone apicem album. Femora et crissum lutescenti-alba, maculis transversis fuscis.

Mense Augusti in Smolandia occisa.

D. variet:

Caput et collum supra ferruginea punctis albis et nigris adspersa. Frons albida. Macula per oculos fusca. Dorsum et alarum tectrices nigro-fusca marginibus ferrugineis. Avis tota subtus ferruginea lineis ad raches fuscis. Cauda nigricans lineis transversis cinereo-rufis, pone apicem album fascia lata nigra.

Mus. Payk. An. fem. junior?

OBSERV.

Variat admodum, sed hoc uno charactere ab omnibus, quos ego saltem vidi, Falconibus, primo intuitu distinguitur, quod regio inter rostrum et oculos pennis, non setulis dense et tumide sit vestita

HISTORIA.

Rarior. Migratoria. Multa et quoad habitum et quoad mores cum *Buteone* habet communia. Imbellia tantum Animalcula prædatur. Mammaliis parvis, amphibiis et Insectis vescitur. In arboribus exselsis nidulatur. Ova ponit 3-4.

XIII. FALCO PALUMBARIUS.

DIAGN: Supra fuscus, subtus albidus undulis vel maculis fuscis. Cauda longa, rotundata, fasciis latis (5.) fuscis et cinereis.

α. senior:

Tota avis subtus alba, undulis fuscis numerosissimis pulcherrime ornata. *F. palumbarius*, Lin.

β. junior:

Subtus rufescenti alba, maculis longitudinalibus fuscis. *F. Gallinarius*, Gmel. *F. Gentilis*, Lin. Faun.

SYNONYMA.

α. Senior:

Falco palumbarius, Lin. Faun. Sv. 23. n. 67. Syst. Nat. I. p. 130. n. 30. Lath. Ind. Orn. I. p. 29. Retz. Faun. Sv. 74. n. 22. Gmel. Syst. Nat. I. p. 269. Wachtm. Wet. Ac. H. 1802. p. 249.

Astur, Briss. Orn. I. p. 314.

L'Autour, Buff. Ois. I. p. 230. tab. 12. Pl. enl. n. 418. vers. Germ. Martini II. p. 46. tab. 32.

Gooshawk, Pen. Brit. Zool. I. p. 184. tab. 24. Lath. Syn. I. p. 58. Suppl. p. 16. vers. Germ. I. p. 53. n. 39.

Der Stockfalke, Bechst. Nat. Deutschl. 2. p. 268. Teutsche Ornith. H. VI. tab. I. 2. mas et fem.

β. junior:

Falco gentilis, Lin. Faun. Sv. p. 20. n. 58. Retz. Faun. 66. n. 13. Gmel. Syst. I. p. 270.

Gentil Falcon, Pen. Brit. Zool. I. p. 181. n. 50. tab. XXI-XXII.

Falco Gallinarius, Gmel. Syst. I. p. 266. Wachtm. Wet. Ac. H. 1802. p. 251.

Falco Buteo, *var. γ.* Lath. Ind. Orn. I. p. 24.

Falco marginatus, Lath. Ind. Orn. I. p. 26. n. 55. (Descriptio optima).

Autour sors, Buff. Pl. enl. 461.

Hühnerfalke, Bechst. N. D. 2. p. 263.

Svecis: Slaghök.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circa 2. ped. Rostr. $1\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 1. ped. 3. poll. Cauda $10\frac{1}{2}$ poll. extra alas ad 5. poll. et magis extenditur. Tibiæ $3\frac{1}{2}$ poll. Digitus med. $2\frac{5}{8}$ poll. Digit. postic $2\frac{3}{8}$ poll. unguis postic. $1\frac{3}{8}$ poll. anter. med. $1\frac{2}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, basi coerulescens; margo maxillæ superioris dente obtusissimo. Cera virescenti lutea. Nares sinuoso-rotundatæ. Iris flava. Regio inter oculos et nares setulis nigris adspersa. Anguli oris et palpebrarum margo, flavi. Tibiæ, antice fere ad medium tectæ pennis mollioribus, dehinc cum digitis, luteæ. Ungues nigro-fusci, validi.

Caput supra saturate fuscum, fascia alba, striis parvulis fuscis adspersa, a fronte supra oculos ad nucham. Cervix, dorsum et alæ supra fusca. Tota avis subtus alba; in gula lineis longitudinalibus; in jugulo, pectore, abdomine, femoribus et alis subtus lineis transversis, seu undulis numerosissimis fuscis pulcherrime ornata. Remiges fuscæ, saturatius fasciatæ, latere interiore a basi maculis albis. Cauda longa, rotundata. Rectrices cinereæ, fasciis 5. l. 6. fuscis, latis, (fere pollicaribus) extima latiore; apice albo.

Avis junior:

var. α. Supra saturate fusca, marginibus pennarum ferruginescentibus. Supercilia, latera capitis et colli ferrugineo-albida striis longitudinalibus fuscis. Subtus alba, rufo leviter tincta, maculis longitudinalibus fuscis, postice obtusis; in femoribus et crisso angustioribus; in hypochondriis latioribus fere cordatis. Remiges et Rectrices ut in anteced. sed fasciis caudæ fuscis saturatioribus linea albida marginatis.

var. β. Præcedenti similis, at subtus testacea maculis rufo-fuscis. Mus. Payk.

var. γ. Similis varietati α, sed pennæ Dorsi, tectricesque alarum albo marginatæ. Mus. Payk.

var. δ. Alba, maculis longitudinalibus rufescentibus in capite, collo et alarum tectricibus minoribus; lineis longitudinalibus rufescentibus in pectore, abdomine et femoribus. Præterea tota alba.

E Norrlandia. Mus. Payk.

HISTORIA.

In nemorosis Veciæ haud rara. Hiemes nostras edurat. Plures vero, præsertim juniores, hieme quam æstate, Scaniæ campos visitant. Audax avis et sanguinem sitiens, Tetraones, Perdices, Columbas, Anates et juniores Lepores prædatur. Sub ipsis fenestris ædium Gallinis cædem parat. In sylvis densis nidum ponit in arbore excelsa. Cum Corace supra sylvas in aëre pugnantem, illumque fugantem vidi. Modus aggrediendi singularis. Volvens enim sese in aëre, pedibus sursum protractis, in pectus et abdomen hostis sui impetum faciebat.

Pullus, medio mens. Julii, juxta nidum occisus, hoc gaudebat colore: Anguli oris et cera viridi lutea. Iris albida. Corpus supra obscure-fuscum pennis ferrugineo marginatis; subtus albide-rufescens maculis ovalibus et cordatis fuscis. Cauda ut in ceteris.

XIV. FALCO NISUS.

Diagn: Supra coeruleo-cinereus; subtus albus, transversim undulatus. Cauda longa æqualis coeruleo-cinerea fasciis (5) nigricantibus apice albo. Tibiæ tenues, longæ. Digitus medius prælongus.

SYNONYMA.

Falco nisus, Lin. Faun Sv. 23. n. 68. (fem.) Syst. nat. I. p. 130. Gmel. Syst. Nat. I. p. 280. Lath. Ind. I. p. 44. n. 107. Wachtm. Wet. Acad. H. 1802. p. 272.

Sparrow Hawk, Pen. Brit. Zool. I. p. 198. n. 62. Lath. Syn. I. p. 99. n. 85. Vers. Germ. I. p. 89. (junior fem.)

L'Epervier, Briss. Orn. I. p. 310. Buff. hist. Ois. I. p. 225. tab. II. Germ. vers. Martini II. p. 35. tab. 31. Pl. enl. 412. 467.

Der Sperber, Bechst. Nat. Deutsch. 2. p. 320.

Svecis: Sparfhök.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circa 12 poll. Rostr. $\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 8 poll. Cauda $5\frac{1}{2}$ poll. Extra alas cauda extenditur 2 poll. Tibiæ $2\frac{2}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{1}{2}$ poll. Digit. postic. I. poll.

Rostrum coerulescens apice nigro. Margo maxillæ superioris dente obtusissimo. Cera viridi-lutea. Iris flava. Pedes longi, tenues, flavi. Digitus medius prælongus, gracilis, sub articulis nodulis verrucosis. Ungues nigri. Cauda æqualis, longa.

Caput supra, dorsum et alarum tectrices coeruleo-cinerea. Occiput albo maculatum. Supercilia alba. Gula et jugulum alba lineis longitudinalibus ferrugineis. Latera juguli in ferrugineum tendentia. Pectus et abdomen alba undulis ferrugineis in pectore crebris, in abdomine rarioribus. Crissum album. Remiges *primores* cinereo-fuscæ, saturatius fasciatæ, intus maculis albis; *secundariæ* colore dorsi, intus albo maculatæ. Rectrices fusco-cinereæ fasciis 4 l. 5. nigricantibus, apice albido.

Femina:

Mare major. Longit. 14. l. 15. poll. Supra fusco-cinerea subtus alba undulis fuscis.

Avis junior:

Supra saturate fusca, capite, collo et alarum tectricibus ferrugineo marginatis. Frons et supercilia albida striis fuscis. Subtus albida ferrugineo tincta; jugulo striis, pectore maculis cordatis, abdomine et hypochondriis fasciis transversis fuscis vel saturate ferrugineis, fusco marginatis. Femora et crissum albida, ferrugineo-tincta. Cetera ut anteced.

HISTORIA.

In sylvis et sylvarum vicinitate frequens. Rapax, audax, gulæ satisfaciendi semper cupida. Columbis, Turdis, Alaudis, ceterisque aviculis infesta. Muribus, Lacertis et Insectis quoque vescitur. In arboribus excelsis nidulatur. Ova 3-5. sordide albida maculis ferrugineis.

B.

Maxilla superior, pone apicem, dente exserto, acuto. Falcones, *proprie.*

XV. FALCO GYRFALCO.

Diagn: Rostrum breve, validum (quasi tumidum) dente acutissimo. Cera et pedes robusti, coerulei. Cauda alis longior.

MAS.

Albus, supra transversim fusco maculatus.

FEMINA ET JUNIOR.

Supra fusca, subtus albida maculis fuscis.

SYNONYMA.

Falco Islandicus, Lath. Ind. Orn. I. p. 32. Wachtm. Wet. Ac. H. 1801. p. 193. n. 6. Fabric. Faun. Groen. p. 58. n. 35. var β. Brün. Orn. bor. p. 2. n. 7-8.

Falco candicans, Gmel. Syst. Nat. I. p. 275.

Le Gerfault, Briss. Orn. I. p. 380. tab. 30. fig. 2.

Le Gerfault blanc, Buff, Ois. I. p. 241. Pl. enl. 446.

Gyrfalcon, Pen. Brit. Zool. I. p. 177. tab. 19.

Iceland Falcon, Lath. Syn. I. p. 70. n. 50. vers. Germ. I. p. 63. n. 50.

Geyerfalke, Bechst. Nat. D. 2. p. 308.

Junior:

Falco rusticolus, Lin. Faun. Sv. p. 19. n. 56. Fabric. Faun. Groenl. p. 55. n. 34. (obs. *Collared Falcon*, Pen. Arct. Zool. II. p. 222. G. est mea varietas β.)

F. Gyrfalco, Lin. Faun. Sv. p. 22. n. 64. Gmel. Syst. I. p. 275. Wachtm. l. c. p. 195. Lath. Ind. I. p. 32. n. 68. Retz. Faun. Sv. p. 73. n. 20.

Falco Islandus, Brün. Orn. bor. p. 2. n. 9.

Gerfault d'Island, Buff. pl. enl. 210. Briss. Orn. I. p. 733. tab. 31.

Adhuc junior:

Falco fuscus, Fabric. Faun. Groenl. p. 56.

Falco Umbrinus, Billb. Wett. Acad. H. 1809. p. 202. tab. VI. (Specimen in Museo Holm. asservatum, vidimus.)

Gerfault de Norvege, Buff. Pl. enl. 462.

Svecis: Blåfot.

In *Museo Payk.* series varietatum asservatur.

DESCRIPTIO.

Mas senior:

Longit. avis circa 1 ped. 10 poll. Rostr. $1\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem 1. ped. 3. poll. Cauda $8\frac{1}{2}$ poll. extra alas extenditur 2 poll. Tibiæ $2\frac{5}{8}$ poll. Digit. med. $2\frac{6}{8}$ poll. Digit. post. $1\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum validum, crassum, breve, coerulescens; maxilla superior supra tumide convexa, a basi usque curvata, apice nigricante, pone apicem dente acutissimo; maxilla inferior apice truncata, pone apicem incisurâ, denti maxillæ superioris respondente. Cera coerulea. Iris — — Regio inter nares et oculos palpebraque inferior setulis nigris adspersis. Tibiæ antice pennis plumosis semitectæ, dehinc coeruleæ, scutellis parvis rotundatis, undique tectæ. Ungues fusci.

Caput et collum supra alba, lineis ad raches pennarum fuscis. Dorsum et alarum tectrices alba, maculis vel fasciis transversis (interdum subcordatis) fuscis. Avis tota subtus alba, sæpius immaculata. Remiges albæ, tænia ad rachin dentata, fusca, versus apicem fuscæ, apice ipso albæ. Cauda aliquantum rotundata. Rectrices albæ, maculis vel fasciis angustis, transversis, fuscis. Femora alba, extus maculis minutis, raris, fuscis.

Femina:

Mare major, circa 2 ped. longa. A flexura alæ ad apicem 16 poll. Cauda 10 poll; extra alas 3. poll. extenditur.

Supra fusca marginibus pennarum pallidioribus; superciliis et maculis nuchæ albidis. In alarum tectricibus et in dorso postico maculæ rariores, parvæ, rotundatæ, albidæ. Subtus albida maculis fuscis in gula, jugulo et crisso rarioribus, longitudinalibus; in pectore et abdomine numerosis, ovalibus et subcordatis.

femora pennis longis fuscis, albo maculatis teguntur. Remiges *primores* fuscæ ad apicem saturatiores, latere interiore maculis transversis (14-12) luteo-albis; *secundariæ* fuscæ apice pallidiores intus maculis obsoletis albidis. Rectrices fuscæ, lineis luteo-albis, transversis, rachi interruptis (circiter 12.)

OBSERV.

Feminæ etiam, pro ætate variant. Junior forte est, quam descripsi.

Avis primo ætatis anno, feminæ descriptæ similis, cera et pedibus aliquando luteis.

OBSERV.

Inter has duas, quæ tanquam extremitates seriei considerandæ, multæ sunt varietates et ab una in alteram transitus. In quibus ut in omnibus fere congeneribus observandum, quod, quo junior avis eo obscurior, quo senior eo albidior.

variet. α Caput et collum supra fusca marginibus pennarum sordide albis; ab angulis oris macula fusca interrupta descendit. Dorsum et Remiges intimæ cinereo-fusca, lineis transversis et maculis parvis albicantibus. Tectrices alarum fuscæ maculis parvis raris, albescentibus. Avis subtus albicans maculis in pectore et abdomine longitudinalibus, postice dilatatis; in femoribus et crisso transversis. Gula immaculata. Rectrices cinereo-fuscæ lineis transversis albidis, apice albæ.

var. β. Caput et collum supra fusca marginibus pennarum albis. Dorsum et alæ supra cinereo-fusca albo transversim fasciata (undulata). Avis subtus alba striis in jugulo fuscis; latera pectoris et abdominis maculis rotundatis, subcordatis vel transversis fuscis. Femora et crissum alba fasciis transversis fuscis. Rectrices cinereæ fasciis angustis fuscis.

var. γ. Caput et collum alba striis longitudinalibus fuscis. Dorsum et tectrices alarum fusca marginibus et maculis

transversis albis. Subtus alba testaceo tincta. Gula, jugulum et pectus striis rarioribus. Abdomen maculis parvis subcordatis vel rotundatis; femora et crissum maculis transversis, fuscis. Remiges primores nigro-fuscæ extus albido transversim maculatæ apicibus albis. Cauda supra alba, parum cinerascens fasciis numerosis angustis fuscis.

HISTORIA.

Rigidissimas Septentrionis terras, Islandiam, Groenlandiam, Norvegiam et Lapponiam præcipue incolit. Raro in australes Speciæ plagas descendit. Occisus tamen in Ostrogothia, in Gòttlandia, et ab Ill. comite *Wachtmeister* in Scania, juxta litus ad Aohus, mens. Novembr.

Princeps inter Falcones venatui aptos, maximique a Falconariis æstimatus. Pulchritudine formæ, audaciâ animi et celeritate volatus insignis. Nemo tamen nostratum jam institutionem falconum curat.

XVI. FALCO PEREGRINUS.

Diagn: Supra coeruleo-cinereus, nigricante transversim maculatus; subtus albus abdomine et femoribus nigricante undulatis. Macula fusca sub oculis descendens. Cauda brevis. Digiti prælongi.

SYNONYMA.

Falco peregrinus, Briss. Orn. I. p. 341. (mas senior)
Falco gentilis, Briss. Orn. I. p. 339. (junior)
Falco peregrinus, Gmel. Syst. I. p. 272. Lath. Ind. Orn. I. p. 33. n. 72. (mas senior.); Wachtm. Wet. Ac. H. 1802. p. 256.
Falco, Briss. Orn. I. p. 321.

Faucon noir et passager, Buff. Pl. enl. 469.
Faucon sors, Pl. enl. 470.
Falco communis, Lath. Ind. Orn. I. p. 30. n. 67. (junior) Gmel. Syst. I. p. 270.
F. communis ater, Gmel. l. c.
Common Falcon, Lath. Syn. I. p. 65. vers. Germ. I. p. 59.
Peregrine Falcon, Pen. Brit. Zool. I. p. 178. n. 48, tab. 20. Lath. Syn. I. p. 73 Suppl. p. 18 vers. Germ. I. p. 65. n. 52.
Der Wanderfalke, Bechst. Nat. D. 2. p. 300.

DESCRIPTIO.

(Mas:)

Longit. avis 15 poll. Rostr. $1\frac{1}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $12\frac{1}{2}$ poll. Tibiæ $2\frac{1}{8}$; Digit. med. $2\frac{2}{8}$; Digit. post. $1\frac{1}{2}$. Cauda $5\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum coerulescens, basi pallidius, dente prope apicem acuto. Iris fusca. Cera et orbitæ nudæ, luteæ. Pedes lutei, digitis prælongis, sub articulis verrucosis. Nares rotundatæ puncto centri flavo.

Caput, collum supra et macula sub oculo longitudinalis fusco-nigricantia. Dorsum et alarum tectrices cinereo-coerulescentia, fusco transversim lineata, rachibus pennarum nigris. Subtus tota alba, pectore inferiore, abdomine, femoribus et crisso transversim nigricante undulatis. Tectrices inferiores alarum albæ maculis fuscis. Remiges primores nigræ, latere interiore maculis oblongis transversis (circiter 10) albidis. Cauda alis complicatis vix longior, saturate cinerea, nigricante transversim lineata (lineis 8-10) versus apicem saturatior apice albo.

Femina:

Mare major; 17. poll. longa. Supra saturate cinerea maculis transversis fuscis. Subtus alba macula sub

oculo fusca, pectore, abdomine et femoribus nigro maculatis.

Junior:

Supra saturate fusca marginibus pennarum ferruginescentibus. Macula nigra sub oculo descendens. Subtus testaceo-albida gulâ immaculata, pectore et abdomine maculis longitudinalibus fuscis, fere confluentibus. Crissum pallide testaceum lineis transversis fuscis. Cauda fasciis angustis fuscis et cinereis apice testaceo.

varietas:

Supra cinereo-fusca marginibus pennarum obsolete ferruginescentibus. Macula sub oculis nigro-fusca. Subtus testaceo-alba, pectore, abdomine, femoribus et crisso fusco-undulatis. (Obs. Est mas biennis vel triennis, ni fallor.)

HISTORIA.

Rarior. In rupibus nidulari refertur. Pro venatû proxime ad *Gyrfalconem*, accedit.

(?) 17. FALCO LANARIUS.

Diagn: Supra fuscus superciliis albidis; subtus albidus maculis longitudinalibus nigro-fuscis. Cauda fusca, maculis transversis vel rotundatis albidis. Tectrices alarum inferiores et hypochondria nigro-fusca maculis rotundatis albis.

SYNONYMA.

Falco Lanarius, Lin. Faun. Sv. p. 22. n. 62. Syst. nat. I. p. 129. n. 24. Gmel. Syst. I. p. 276. Lath. Ind. Orn. I. p. 38. n. 92.

Lanarius, Briss. Orn. I. p. 363.

Le Lanier, Buff. Ois I. p. 243.
Lanner, Pen. Brit. Zool. I. p. 182. tab. 23? — Lath. Syn. I. p. 86. n. 72.
Die Lanette, Bechst. N. D. 2. p. 296.

Mus. Payk.

DESCRIPTIO.

Longit. 17. poll. A flexura alæ ad apicem 13. poll. Tibiæ $2\frac{3}{8}$ poll. Digit med. 2 poll. Digit. postic. $1\frac{1}{2}$; Rostr. 1. poll. Cauda 7. poll.

Rostrum breve, crassum, tumide convexum coeruleum apice nigricans, dente acuto pone apicem. Nares rotundatæ puncto centri. Tibiæ antice, quoad partem plumis albis tectæ, scutellis rotundatis ubique instructæ. Ungues fusci.

Caput supra saturate fuscum marginibus pennarum hinc inde rufescentibus. Frons, fascia supra oculos et nucha albida striis et lineis longitudinalibus fuscis. Gula alba immaculata. A sinu oris ad latera gulæ descendit macula oblonga nigricans. Dorsum et alæ supra cinereo-fusca, marginibus pennarum obsolete rufescentibus. Pennæ scapulares postice una vel altera macula rotundata, sordide alba. Pectus et abdomen albida maculis longitudinalibus nigro-fuscis. Crissum sordide album rachibus fuscis. Remiges primores nigro-fuscæ, prima margine exteriori tenui albido, ceteræ latere exteriore immaculatæ, interiore maculis transversis ovalibus (12.-8.) flavescenti-albis; secundariæ fuscæ margine et apice pallidæ, latere interiore maculis transversis albidis. Cauda alis longior cinereo-fusca apice late alba. Rectrices latere *interiore* maculis (9-10) transversis, *exteriore* juxta apicem maculis rotundatis ferruginescenti-albis. Remiges et Rectrices *subtus* cinereæ, fasciis transversis numerosis albis.

Alarum tectrices inferiores antice (sub flexurâ alæ) albæ maculis fuscis; postice et hypochondria nigro-fusca maculis rotundatis albis, magnitudine pisi majoris.

OBSERV.

Hunc esse *Lanarium* Auctor. cuique Descriptiones conferenti perspicuum erit. Alia est quæstio an re vera sit Species a *F. peregrino* distincta, quod obstinate urgere nec possum nec volo. Multa enim habet cum *F. peregrino*, *juniore*, communia, sed color caudæ, hypochondriorum et tectricum alarum inferiorum diversus, et, quantum ex Specimine farcto videri licet, gracilior est, caudaque longius extensa. Judicent præterea peritiores.

LOCUS:

Specimen e Scania, in *Museo Paykulliano* asservatur.

XVIII. FALCO SUBBUTEO.

DIAGN: Supra coeruleo-fuscus capite nigricante, subtus albidus maculis longitudinalibus nigris. Lunula sub oculis nigra. Femora et crissum ferruginea. Cauda brevis.

SYNONYMA.

Falco Subbuteo, Lin. Faun. Sv. p. 20. n. 59. Syst. nat. I. p. 127. Gmel. Syst. Nat. I. p. 283. Lath. Ind. Orn. I. p. 47. Retz. Faun. Sv. p. 68. Wachtm. Wet. Ac. H. 1802. p. 263.

Dendrofalco, Briss. Orn. I. p. 375.

Hobreau, Buff. Ois. I. p. 277. tab. 17. Pl. enl. 432. 431.

Hobby, Pen. Brit. Zool. I. p. 197. n. 61. Lath. Syn. I. p. 103. n. 90. — Supl. p. 28.

Baumfalke, Bechst. Nat. Deutschl. 2. p. 307.

Svecis: Lärkfalk.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circa 13$\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 11 poll. Cauda 5$\frac{2}{8}$; Tibiæ 1$\frac{3}{8}$; Digit. med. 1$\frac{5}{8}$; Digit. post. $\frac{7}{8}$ poll.

Rostrum coerulescens breve, maxilla superior pone apicem dente acuto, cui incisura maxillæ inferioris respondet. Cera et orbitæ nudæ, luteæ. Iris fusca. Pedes pallide flavi, unguibus nigris. Cauda æqualis, cum alis compositis æqualiter fere extenditur.

Caput et collum supra nigro-fusca cinereo et rufo tincta. Nucha maculis binis albo-rufescentibus. Dorsum et alarum tectrices saturate coeruleo-fusca rachibus nigris. Sub utroque oculo macula nigra decurrit. Gula, jugulum et, quoad partem, latera colli, alba. Pectus et abdomen albida maculis longitudinalibus fuscis. Crissum et femora ferruginea. Remiges primores nigræ, latere interiore maculis (circa 8.) transversim ovalibus rufo-albis, secundariæ fusco cinereæ apicis margine pallido, latere interiore, ut priores, maculatæ. Rectrices cinerea fuscæ, latere interiore fasciis — 8 10, rufo-albis. Par intermedium fusco cinereum, unicolor, acutius.

Avis junior:

Supra saturate fusca marginibus pennarum ferruginescentibus; subtus testaceo-alba maculis longitudinalibus fuscis. Cet. ut anteced.

HISTORIA.

In sylvis haud rara. In arboribus nidulatur. Admiranda celeritate volans, aviculas, præsertim Alaudas prædatur. Migratoria, hyeme instante abit, vere redit.

XIX. FALCO LITHOFALCO.

DIAGN: supra coeruleo-cinereus rachibus nigris; subtus albidus maculis longitudinalibus fuscis. Cauda longa, fascia nigra pone apicem album.

SYNONYMA.

Falco Lithofalco, Gmel. Syst. Nat. I. p. 278 (mas) Lath. Ind. Orn. I. p. 47. (mas.) Wachtm. Wet. Ac. H. 1802. p. 269.

Falco æsalon, Gmel. Syst. I. p. 284. Lath. Ind. Orn. I. p. 49. (fem. et junior avis.)

Litho-falco, Briss. Orn. I. p. 349. (mas.)

Le Rochier, Buff. Ois. I. p. 286. Pl. enl. 447. (mas.)

Emerillon, Buff. Ois. I. p. 288. Pl. enl. 468. (fem.)

Merlin, Pen. Brit. Zool. I. p. 200. n. 63. (fem.) Lath. Syn. I. p. 106. n. 93. Suppl. p. 29.

Der Merlin, Bechst. Nat. D. 2. p. 328. (fem.)

Mus. Lund. Payk. &c.

DESCRIPTIO.

Mas:

Longitudo circa 11½ poll. Caput et dorsum supra coeruleo-cinerea rachibus nigris. Latera capitis et cervix ferrugineo alba striis et maculis fuscis. Gula sordide alba immaculata. Pectus et abdomen albicantia maculis longitudinalibus fuscis. Femora et crissum ferruginescentia striis nigris. Remiges nigricantes latere interiore maculis albis. Cauda extra alas 1½ poll. extenditur, supra cinereo-coerulea lineis 4 vel 5. obsoletis, transversis, fuscis, fascia lata nigra pone apicem album.

Femina in Scania, Mense Aprili, occisa.

Longit. 12½ poll. Alæ extensæ 2 ped. 2⁶⁄₈ poll. A flexura alæ ad apicem 8½ poll. Rostr. ⁵⁄₈; Tibiæ 1½ poll.

Digit. med. $1\frac{1}{2}$ poll. Cauda 5 poll.; extra alas extensa, fere 2 poll.

Rostrum coerulescens, basi pallidius. Cera et anguli oris lutea. Iris fusca. Nares rotundatæ. Pedes pulchre flavi, digitis, sub articulis, nodis verrucosis. Ungues nigri.

Caput et collum supra fusca ferrugineo immixto, striis longitudinalibus nigris. Latera capitis, Supercilia et cervix inferior ferrugineo-alba maculis et striis fuscis. Dorsum et alarum tectrices saturate coeruleo-cinerea rachibus nigris, apicibus et maculis transversis obsoletis ferrugineis. Subtus avis alba, flavo tincta; Gula immaculata; pectore et abdomine maculis longitudinalibns, ad latera subcordatis rufo-fuscis rachibus nigris. Crissum et femora albida striis raris fuscis. Remiges nigro-fuscæ, maculis numerosis, transversis, ferrugineo albis. Cauda saturate fusca fasciis 7. angustis albo-lutescentibus; fascia lata nigricans pone apicem album.

HISTORIA.

Rara. Migratoria. In sylvis nidulatur, in arboribus excelsis. Ova 5-6. ponit. Aviculas prædatur.

XX. FALCO TINNUNCULUS.

Diagn: Corpus supra rufum maculis nigris. Cauda longa rotundata fascia lata nigra pone apicem album.

SYNONYMA.

Falco Tinnunculus, Lin. Faun. Sv. p. 21. n. 61. Retz. Faun. Sv. p. 71. n. 18. Lin. Syst. Nat. I. p. 127. Gmel. Syst. I. p. 278. Lath. Ind. Orn. I. p. 41. Wachtm. Wet. Ac. H. 1802. p. 265.

Tinnunculus, Briss. Orn. I. p. 399. (mas.)
Accipiter alaudarius, Briss. Orn. I. p. 379. (fem.)
La cresserelle, Buff. Ois. I. p. 280. t. 18. Pl. enl. 401-471.
Kestrel, Pen. Brit. Zool. I. n. 60. Lath. Syn. I. p 94. 79. Supl. p. 25.
Thurmfalke, Bechst. Nat. D. 2. p. 311.
Avis primo ætatis anno:
Falco fasciatus, Retz. Faun. Sv. p. 70. n. 17.
Falco brunneus, Bechst. Nat. D. 3. p. 748. Item Anhang zu Lath. p. 679. tab. 11.
Svecis: Tornfalk.

DESCRIPTIO.

(Mas)

Longit. 14. poll. Rostr. $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $10\frac{2}{8}$ poll. Cauda $6\frac{2}{8}$; Tibiæ $1\frac{6}{8}$; Digit. med. $1\frac{1}{8}$ poll. postic. $\frac{7}{8}$.

Rostrum coerulescens basi flavicans. Maxilla superior pone apicem dente acutissimo. Cera, orbitæ nudæ et pedes lutei. Nares rotundatæ, in medio puncto flavo. Iris fusca.

Caput et collum supra cinerea rufo tincta, lineis longitudinalibus fuscis. Dorsum et alarum tectrices rufa, maculâ transversali nigra prope apicem singulæ pennæ. Uropygium cinereum. Cauda cinerea, pone apicem album fascia lata nigra. Subtus avis pallidius rufa. A sinu oris ad latera juguli stria nigricans decurrit. Gula et crissum immaculata. Pectus et abdomen maculis parvis, ovalibus nigris. Remiges nigricantes latere interiore maculis transversis albis. Tectrices alarum inferiores albæ maculis subcordatis nigris.

(Femina) Longit. 16 poll. Supra tota rufa capite et collo striis longitudinalibus; dorso, tectricibus alarum et uropygio maculis transversis fuscis. Cauda rufa fa-

sciis fuscis, quarum ultima latissima, apice albo. Subtus avis albida, pectore et abdomine testaceo tinctis, maculis longitudinalibus fuscis.

Junior: Feminæ similis præter maculas dorsi fuscas, quæ in ave juniori fascias formant numerosas, saturate fuscas. Subtus pallide testacea maculis longitudinalibus fuscis fere confluentibus.

HISTORIA.

Frequens. Migratoria. In turribus, templis, ruinis, in arboribus cavis, in arborum quoque ramis nidulatur. Ova ponit 3 vel 4. Mammalia parva, aviculas, Amphibia et Insecta prædatur. In aëre sese librans, oculis prædam quærit, in quam mira celeritate se præcipitat.



GENUS II.

S T R I X.

Rostrum aduncum, robustum, basi membranâ tenui tectum. Mandibulis utrisque mobilibus.

Caput grande, oculis antice positis, auribusque magnis.

Nares pennis setaceis recumbentibus obtectæ

Faciem cingunt pennæ rigidæ.

Remiges molliores, exterioribus margine extus serratis.

Digitus extimus versatilis.

DISSECTIO I.

Capite aurito.

XXI. STRIX BUBO.

DIAGN: Corpus testaceo, nigro et albido varium. Irides fulvæ.

SYNONYMA.

Strix Bubo, Lin. Faun. Svec. p. 24. n. 69. Retz. Faun. Sv. p. 76. n. 24. Tengmalm Wet. Acad. H. 1793. p. 236. Gmel. Syst. Nat. I. p. 286. Lath. Ind. Orn. I. p. 51.

Le grand Duc, Buff. Ois. I. p. 332. tab. 22. Pl. enl. 435. Briss. Orn. I. p. 477. n. I.
Eagle Owl, Pen. Brit. Zool. I. p. 202. n. 64. tab. 29. Arct. Zool. II. p. 288. n. 114.
Great-eared Owl, Lath. Syn. I. p. 116. vers. Germ. Bechst. I. p. 109. Suppl. n. 40.
Der Uhu, Bechst. Nat. D. 2. p. 333.
Svecis: Uf. Hornuf. Berguf.

DESCRIPTIO.

Longit. feminæ 2. ped. 4. poll. Rostr. 2. poll. A flexura alæ ad apicem 1. ped. 8. poll. Cauda 11 poll. Tibiæ 3. poll. Digit. med. cum ungue 3½; Digit. postic. 2. poll. Ungues antici subtus planiusculi, posticus teres.

Rostrum coeruleo-nigricans, validum, valde aduncum, basi membranâ tectum. Pennæ setaceæ, basi albæ apice nigræ, ad dimidiam partem, et magis, rostrum obtegunt. Nares obovatæ. Oculi magni eminentes, nigri, Iridibus fulvis. Apertura aurium, pro magnitudine capitis minor quam in congeneribus. Caput magnum, felinum caput fere referens. Pedes ad ungues usque pennis plumosis densis tecti. Ungues coeruleo-nigri, magni, acuti.

Corpus supra nigricans marginibus pennarum testaceis et albidis, nigricante variegatis. Aurium pennæ numero sex, longitudine inæquales circa 3. poll. nigræ, latere interiore testaceo variegatæ. Facies griseo et fusco variegata. Pectus et abdomen testacea maculis longitudinalibus nigricantibus, margine variegatis. Pedes, crissum et tectrices caudæ inferiores sordide testaceo albida undulis transversis fuscis. Remiges fusco-fasciatæ, latere interiore testaceæ, exteriore sordidæ fu-

sco tenuissime variegatæ et undulatæ. Cauda testacea fusco fasciata et variegata, Rectricibus binis intermediis saturate fuscis maculis et punctis albidis variegatis.

HISTORIA.

In præruptis Sveciæ superioris haud infrequens nidulatur. Ova 2. l. 3. Non nisi hieme in campos Scaniæ descendit. Mures, Lepores aliaque Mammalia minora, Tetraones et Anates &c. prædatur. Femina quam descripsi, occisa est prope Ystad, media hyeme, cum in eo esset ut Vulpi cædem pararet. Vox Maris, noctu audita, lugubris, ululans, abrupta et gravis; feminæ paullo debilior.

XXII. STRIX OTUS.

DIAGN: Aurium pennæ longæ. Corpus fulvo, fusco et albido varium. Iris flava. Orbitæ nigræ. Pedes albo-fulvescentes, immaculati.

SYNONYMA.

Strix Otus, Lin. Faun. Sv. p. 24. n. 71. Retz. faun. Svec. p. 77. n. 26. Lin. Syst. Nat. I. p. 132. n. 4. Gmel. Syst. I. p. 288. Lath. Ind. Orn. I. p. 53. n. 7. Tengm. Wet. Ac. H. 1793. p. 261.

Moyen Duc ou Hibou, Briss. Orn. I. p. 486. Buff. Ois. I. p. 348. tab. 22. Pl. enl. 29. (fig. mala.)

Long-Eared Owl, Pen. Brit. Zool. I. p. 203. n. 65. tab. 30. Arct. Zool. 2. p. 229. Lath. Syn. I. p. 121. n. 5. vers. Germ. I. p. 114.

Die Mittlere Ohreule, Bechst. Nat. D. 2. p. 340.

Svecis: Hornuggla.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 14 poll. Alæ extensæ 3 ped. Rostr. I. poll. A flexura alæ ad apicem 11½ poll. Cauda 6 poll. Tibiæ 1½ poll. Digit. med. 1½; postic. I. poll.

Rostrum nigrum basi membrana tectum. Nares ovales. Pennæ setaceæ albæ, apicibus nigris rostrum circumdant et ad partem obtegunt. Iris aurantia. Orbitæ, præsertim supra et subtus nigræ. Facies præterea rufescens, circulo e pennis nigris apice luteo et albo variegatis, ab auriculis pone aures ad gulam cincta. Auricularum pennæ 1½ poll. longæ, numero 6. l. 8. nigricantes, margine exteriore testaceo, interiore albo.

Corpus supra e ferrugineo, luteo et saturate-fusco longitudinaliter maculatum, fuscoque et albo tenuissime variegatum; maculis albis in Alarum tectricibus. Pectus et abdomen pallide fulva et albida maculis longitudinalibus fuscis, quarum margines albi, fusco tenuissime transversim striati sunt. Remiges latere interiore a basi albæ, exteriore ferrugineo-luteæ fasciis fuscis, versus apicem fasciis griseis et fuscis. Cauda æqualis, alis brevior, pallide fulva fasciis angustis, transversis fuscis, apice albida. Crissum et pedes ad ungues tecti pennis lanatis pallide ferrugineo-luteis, immaculatis.

HISTORIA.

Parum frequens. Prærupta, nemora, ruinas ædium incolit. In hortis ad Lund, non raro hyeme obvenit. In cavis arboribus vel in nido, quem alia avis deseruit, ova 4. l. 5. alba ovato-globosa, ponit. Etiam in quercetis Scaniæ nidulantem inveni. Mammaliis minoribus et aviculis vescitur. Pulli facile mansuescunt.

OBSERV.

Strix Scops, quæ in Retzii Faun. Sv. p. 77. adfertur ut incola Sveciæ septentrionalis, nunquam, quantum ego scio, in Svecia inventa est. In Mus. Grill. mentio ejus non fit. Neque in Museo quodam Patriæ hanc avem nisi ab exteris allatam vidi, neque venatori cuidam occurrisse audivi.

DISSECTIO. II.

Capite lævi.

XXIII. STRIX NYCTEA, Lin. Faun. Sv.

Diagn: Corpus album, vel immaculatum vel fusco transversim maculatum fasciatumve, facie alba.

SYNONYMA.

Strix Nyctea, Lin. Faun. Sv. p. 25. n. 76. Retz. Faun. Sv. p. 78. n. 28. Lin. Syst. Nat. I. p. 132. Fabric. Faun. Groenl. p. 60. n. 36. Lath. Ind. Orn. I. p. 57. Tengm. Wet. Ac. H. 1793. p. 264.

Harfang, Buff. Ois. I. p. 387. Pl. enl. 458.

Snowy Owl, Pen. Arct. Zool. 2. p. 233. Lath. Syn. I. p. 132. n. 17. vers. Germ. I. p. 124. — Suppl. p. 45.

Die Schneeule, Bechst. Nat. Deutschl. 2. p. 350.

Strix nivea, Thunb. Wet. Ac. Handl. 1798. p. 184.

Strix Scandiaca, Lin. Faun. Sv. p. 24. n. 70. ?

Svecis: Harfång.

OBSERV.

Bubo Scandianus, *Rudb.* unde *Strix Scandiaca* Lin. desumta est, inter aves Rudbeckii pictas, quas Holmiæ vidi, non invenitur Ad quam igitur Speciem optimo jure referatur hæc avis; certe dicere non possum. Ab Ornithologo vero summæ fidei,

qui iconem *Bibliothecæ Grilliana Söderforssensi* vidit, audivi figuram *Rudbeckii* ad *Strigem nycteam* pertinere.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 2 pedes. A flexura alæ ad apicem 16 poll. Cauda 8 poll. Rostr. $1\frac{2}{8}$; Tibiæ $2\frac{3}{8}$; Digit. medius cum ungue $2\frac{2}{8}$ poll.

Rostrum nigricans, in pennis setaceis fere reconditum. Iris flava. Caput, pro magnitudine corporis cum congeneribus comparati, parvum. Pedes ad ungues usque pennis densissime tecti. Ungues arcuati; acutissimi, basi pallidi, apicem versus nigri. Cauda alis aliquantum longior, subrotundata.

variet. α. Alba, capite supra maculis, corpore *superne* fasciis, *subtus* undulis fuscis. Cauda versus apicem fasciis fuscis. Facies et pedes lanati, albi immaculati.
Mus. Payk. Ex Uplandia.

variet. β. Alba, capite supra maculis parvis fuscis; dorso undulis rarioribus fuscis. Cauda et Remiges apice fusco maculatæ. Pectus undulis paucis, obsoletis. Ceterum tota alba. Ex Enara. *Mus. Payk.*

var. γ. Tota alba apicibus Remigum Imæ et IIdæ maculâ transversali fusca.
Mus. Payk. E Lapponia.

var. δ. Tota alba, immaculata. *Mus. Thunb.*

OBSERV.

Pro ætate et sexu magis fortasse quam pro vario coelo variat hæc Species, in qua eadem regula videtur esse observanda ac inter Falcones, scilicet quo junior avis eo obscurior, quo senior eo albidior. Toti albi Mares sunt seniores. Talis est *Str. nivea, Thunb.* quam in Mus. Upsal. vidimus.

HISTORIA AVIS.

Regiones Sveciæ Septentrionales, ubi in præruptis nidulatur, haud rara incolit. Hyeme in Scania quoque, quamvis rarius obvenit. Tetraones, aliasque aves et Lepores (unde Harfång dicta) prædatur. Etiam interdiu venatur, volatusque ut Falconis celer; unde "*rapinam suam raptim et fere perpendiculariter involat. Sonus ejus clamorem hominis periclitantis æmulatur.*" Fabr.

XXIV. STRIX LAPPONICA.

DIAGN: Supra ex fusco et albo variegata, subtus albida maculis longitudinalibus fuscis. Facies cinerea lineis concentricis fuscis circa oculos. Cauda longa, griseo variegata, apice fusco.

SYNONYMA.

Strix Lapponica, Retz. Faun. Sv. p. 79. n. 30. Mus. Carlson. Fasc. V. tab. (fig. mala.)
Mus. Payk. Mus. Upsal.

DESCRIPTIO.

Magnitudo fere Bubonis. Caput grande. Longit. avis circa 2 ped. 2 poll. Rostrum luteo-albescens. Iris flava. Pedes usque ad ungues plumis sordide albis, fusco undulatis vestiti.

Caput et collum supra maculis seu undulis parvis albidis et fuscis, numerosis adspersa. Dorsum et tectrices alarum fusca albo variegata et undulata. Oculi macula semilunari nigra antice semicircumdati, ante quam macula major semilunaris alba. Cetera facies cinerea circulis concentricis fuscis. Superior pectoris pars fusca maculis parvis numerosis albidis, unde albi-

da apparet striis longitudinalibus fuscis, transversim lineatis. Abdomen album maculis longitudinalibus fuscis. Remiges primores albido fuscoque fasciatæ. Cauda alis longior, *supra* cinereo fuscoque tenuiter variegata (undulata) versus apicem fusca; *subtus* basi albida, apice fusca.

LOCUS.

Lapponia. Mores ignoti.

XXV. STRIX LITURATA.

DIAGN: Supra maculis longitudinalibus albis et fuscis; subtus albida maculis longitudinalibus fuscis. Area oculorum sordide cinerea, pennis rigidis albo nigroque maculatis cincta.

SYNONYMA.

Strix liturata, Mus. Grill. p. 4. Tengm. Wet. Acad. H. 1793. p. 267. Retz. Faun. Sv. p. 79. n. 29.
Mus. Payk.

DESCRIPTIO.

Magnitudo fere *Strigis nycteæ*, capite aliquantum majore. In ordine naturali proxime ad *St. Aluconem* accedit. Longitudo avis circa I. ped. 8 poll. Rostrum flavescens. Iris — Areæ oculorum sordide cinereæ cinguntur pennis rigidis, albis, nigro striatis et maculatis. Caput supra et collum maculis longitudinalibus fuscis et sordide albidis. Dorsum et alarum tectrices fuscæ maculis albidis. Tota subtus sordide alba maculis longitudinalibus fuscis, in crisso sagittatis. Remiges areis fuscis et griseo - albis alternatis.

Cauda alis longior, albido fuscoque transversim fasciata. Pedes pennis sordide albis vestiti.

LOCUS.

Specimen unicum juxta *Elfkarleby* Uplandiæ occisum. Mores ignoti.

XXVI. STRIX ALUCO.

Strix Aluco et Stridula Lin. Faun. Sv. *).

DIAGN: Caput prægrande. Irides nigræ. Corpus griseo, ferrugineo, fusco nigroque varium. Alæ supra maculis albis.

SYNONYMA.

Strix aluco, Lin. Faun. Svec. p. 25. n. 72. (mas.) Lin. Syst. Nat. I. p. 292. Lath. Ind. Orn. I. p. 59. n. 26. Tengm. Wet. Ac. H. 1793. p. 270. Retz. Faun. p. 80.

Ulula Gesneri, *Grå svartögda Uglan*, Rudb. pict. fol. 171. (Optima maris figura.)

Brown Owl, Pen. Brit. Zool. I. p. 210. n. 69. tab. 32. (figura mala) *mas.*

Skrikugla, Rudb. pict. fol. 169. (fem.) unde,

Strix Stridula, Lin. Faun. Sv. p. 26. n. 77. Lath. Ind. Orn. I. p. 58. n. 25. Gmel. Syst. I. p. 294. (fem.)

Tawny owl, Pen. Brit. Zool. I. p. 208. n. 68.

---

*) Per totum hoc Genus eadem retinui nomina, quantum potui quæ in Faunâ sua Svecica habet Ill. Linné; quænam autem sint aves, clarius interdum, ex iconibus *Rudbeckianis* quam ex Descriptionibus Linnei liquet.

Chat-huant, Briss. Orn. I. p. 500. Buff. Ois. I. p. 362. t. 25. Pl. enl. 437.
Die Nachteule, Bechst. Nat. D. 2. p. 353.
Svecies: Haruggla; Kattuggla.

OBSERV.

Linné multas aves in Fauna Svecica ex figuris Rudbeckii pictis descripsit, inter qaas aves *Stridula* n. 77. numeranda. Eadem enim adfert Synonyma, idem Svecanum nomen ac Rudbeck. Hæc vero figura Rudbeckii Aluconis feminam bene refert. *Stridula* igitur Linnéi ex numero Specierum delenda. Alii aliam hoc nomine descripserunt.

DESCRIPTIO.

Mas:

Longit. 15. poll. Alæ extensæ 2. ped. 10. poll. A sinu ori, ad apicem Rostri $1\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $10\frac{1}{2}$ poll. Cauda $6\frac{1}{2}$ poll. extra alas fere 2. poll. extensa. Tibiæ 2. poll. Digit. med. cum ungue $1\frac{1}{2}$ poll. Digit. postic. 1. poll.

Rostrum apice flavescens, basi coerulescens, oculi magni eminentes coeruleo-nigri. Pedes ad ungues usque tecti pennis plumosis sordide albis, extus punctis fuscis. Ungues coeruleo nigricantes. Area oculorum cinerascens rufo immixto. A fronte, circa aures ad gulam, circulus e pennis basi nigris, apice ex rufo, albo et nigro variegatis.

Corpus torosum. Caput et collum supra ex nigro, rufo et albo pulcherrime variegata. Dorsum et alæ supra sordide griseo-rufa, fusco longitudinaliter maculata et transversim variegata. Pennæ scapulares margine exteriore albæ, et tectrices alarum majores margine exteriore maculis albis. Pectus et abdomen albida, ferruginescente immixto maculis longitudinalibus fuscis,

undulis fuscis interdum marginatis. Crissum album maculis sagittatis fuscis. Remiges (quarum prima brevissima, 3tia, 4ta et 5ta fere æquales, ceteris longiores) fasciis fuscis et ferrugineo-albidis, apice griseæ punctis fuscis. Cauda fusca fasciis angustis ferruginescentibus, apice albida.

Femina:

Longit. 14. poll. Eadem colorum dispersio ac in mare; magis tamen rufa est ubi ille griseus vel albidus.

HISTORIA.

Inter Striges Sveciæ maxime vulgaris. Interdiu in sylvis inter ramulos arborum aut in cavis truncis irrisui et clamoribus ceterarum avium se abscondit. Noctu venatum evolans, domos etiam frequentat *Felibus* et *Columbis* imprimis infesta. Mures etiam et aviculas prædatur. In cavis arboribus, vel in nido quem struxit cornix &c. ova 3-5. ovato-globosa ponit. Vox *maris* ululans, *feminæ* stridens.

XXVII. STRIX BRACHYURA, *mihi.*

DIAGN: Rostrum et orbita nigra. Corpus supra fuscum maculis luteis; subtus pallide lutescens striis longitudinalibus fuscis. Cauda alis brevior.

SYNONYMA.

Strix tota flammea, Rudb. pict. unde,
Strix capite lævi corpore luteo, Lin. Faun. Sv. 73.
Ulula flammeata, Frisch, tab. 98.
Strix flammea, Pontopp. Alt. Dan. I. t. 25. fig. 5.
Strix aluco, Brünn. Bor. n. 17. (optime descripta.)

Strix ulula, Tengm. Wet. Ac. H. 1793. p. 279. Retz. Faun. p. 82. n. 33. Lath. Ind. Orn. I. p. 60. n. 27.

Strix brachyotos, Gmel. Syst. Nat. I. p. 289. Lath. Ind. Orn. I. p. 55. n. 11.

Strix accipitrina, Gmel. Syst. Nat. I. p. 295.

Strix Arctica, Mus. Carlson. fasc III. n. 51.

? *Noctua minor*, Nov. Comm. Acad. Petr. XV. p. 447. tab. XII.

Short-Eared Owl, Pen. Brit. Zool. I. p. 204. n. 66. tab. 31.

Die Brandeule, (Str. stridula) Bechst. N. D. 2. p. 356.

Svecis: Branduggla.

OBSERV.

Mira in Synonymia hujus avis confusio, cujus ansam ipse *Linné* primus præbuit. In *Fauna* enim *Svecica*, ad n. 73. *Strigem totam flammeam*, Rudbeckii, citavit. Hæc vero icon Rudbeckii, meam exacte refert avem. In Systemate Naturæ, XII*ma* edit. hunc eundem numerum 73. *Faunæ*, ad suam *Str. flammeam* (ad quam minime pertinet figura Rudbeckiana), mutata Diagnosi, adfert. Hunc errorem non observavit cel. Tengmalm, qui in Actis Scient. Holm. monographiam Strigum scripsit. Ad hanc nostram avem, quam *Ululam* vocat, adfert *Str. ululam* Lin. Syst. nat. sed falso. Præmonet autem ne *Ulula* Faunæ, pro eâdem atque *Ulula* Syst. Nat. habenda sit. Sed quare? Nihil de *Ulula*, in Syst. Nat. dixit Linné quod non antea in Fauna Sv. de *Ulula* dixerit; nisi Synonymiam respicias, quæ falsa est. *Ulula* vero et *Faunæ* et *Systematis* ad sequentem Speciem, quam Tengmalm *Funeream* temere dixit, pertinet. Hæc mea *brachyura*, in Syst. Lin. nullibi descripta est. *Strigem brachyotum*, a celebri ornithologo Germanico missam, apud cel. *Thunberg* Upsaliæ vidi. Hæc vero nostra est brachyura.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 13. poll. Rostr. $1\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 13 poll. Cauda $4\frac{1}{2}$ poll. Tibiæ $2\frac{3}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{1}{2}$ poll. — postic. 1. poll.

Corpus gracilius et caput minus quam antecedentis. Forma, magnitudine et quadammode colore, ad *Str. Otum* proxime accedit.

Rostrum nigricans apice pallido. Iris flava. Circa oculos circulus niger, extus latior. Ungues magni, acuti, pallide fusci. E pennis capitis una vel plures ceteris longiores, quas viva erigere potest avis. In mortua haud observantur.

Caput et collum supra fusca striis longitudinalibus luteis. Dorsum et alæ supra fusca maculis luteis. (In aliis testacea l. ferruginea, maculis longitudinalibus fuscis.) Pectus et abdomen pallide lutea. Striis longitudinalibus fuscis. Crissum et pedes pallide lutei, immaculati. Remiges *primores* ferrugineo-luteæ, versus apicem fasciis fuscis; *secundariæ* fusco et testaceo fasciatæ. Cauda alis I. poll. brevior, testacea, fasciis 5 — 6 fuscis, apice alba.

HISTORIA.

In superioribus Patriæ provinciis æstatem degens, verno et autumnali tempore tantum in Scania obvenit; unde migratoriam existimo. Mures præsertim venatur. Nidificat — — —.

OBSERV.

Strix flammea, qualis a Tengmalm et Retzio describitur, Australis Europæ est incola, nec in Svecia unquam inventa.

XXVIII. STRIX ULULA, Lin. Faun. Sv.

Diagn: Supra fusca maculis albis; subtus alba fasciis transversis fuscis. Cauda longa, cuneiformis, fusca, lineis transversis albis.

SYNONYMA.

Strix Ulula, Lin. Faun. Sv. p. 26. n. 78. Lin. Syst. Nat. I. p. 133. n. 10.

Strix funerea, Tengm. Wet. Acad. H. 1793. p. 284. Lin. Syst. Nat. I. p. 133. n. 11. (Descriptio.) Lath. Ind. Orn. I. p. 62. n. 35. Gmel. Syst. Nat. I. p. 294. (Descriptio.)

Strix Hudsonia, Gmel. Syst. Nat. I. p. 295.

Strix Uralensis, Gmel. Syst. I. p. 295.

Chouette à longue queue de Sibirie, Buff. Pl. enl. n. 463.

Die Habichtseule, Bechst. Nat. D. 2. p. 372.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 16½ - 17 poll. Rostr. 1⅛ poll. A flexura alæ ad apicem 9½ poll. Cauda 7. poll; extra alas extensa ad 3½. poll. Tibiæ brevissimæ ⅞ poll. Digit. med. 1⅜ poll.

Rostri maxilla superior lutea, inferior nigricans. Nares rotundatæ plumis rigidis tectæ. Iris — — Tibiæ usque ad ungues vestitæ plumis sordide albis, undulis obsolete fuscis. Cauda longa, cuneiformis; ungues fusci acutissimi.

Corpus gracile; caput, pro magnitudine corporis, minus quam in plurimis congeneribus.

Caput supra saturate fuscum maculis parvis rotundatis, albis. Fascia nigra semicircularis ab exteriore oculi cantho, circa tempora ad gulam ducta. Tempora et genæ cinereo-alba. Cervix et anterior pars Dorsi fusca maculis albis. Medium Dorsum fuscum fere immaculatum. Uropygium fuscum fasciis transversis albis. Pennæ scapulares fuscæ maculis albis in unam maculam magnam longitudinalem, fere confluentibus. Subtus tota sordide alba, lineis in pectore et abdomine

transversis, fuscis. Remiges fuscæ margine exteriore maculis albis, latere interiore maculis transversim-ovalibus (5-7) albis; omnes præter exteriores duas apice albo marginatæ. Rectrices fuscæ, apice albæ, lineis transversis (7-8) albis, latere exteriore in fascias extensis.

Femina aliquantum minor.

HISTORIA.

Rarior. Arctoas patriæ plagas incolit. Rarissime in sylvis Scaniæ instante hyeme, inventa. Interdiu venatur. Alte, modo *Falconum*, volat. Tetraonibus muribusque infesta.

XXIX. STRIX FUNEREA, Lin. Faun. Sv.

Diagn: Supra castaneo-fusca, maculis et punctis albis; subtus alba maculis fuscis nebulosa. Area oculorum albida. Inter oculos macula nigra. Cauda subæqualis maculis albis per paria positis. Pedes ad ungues plumis dense vestiti.

SYNONYMA.

Noctua major oculis majoribus, iridibus pallide luteis, Rudb. pict. fol. 170, et hinc.

Strix funerea, Lin. Faun. Sv. p. 25. n. 75.

Noctua major, oculorum iridibus croceis, Rudb. pict. fol. 165. et hinc.

Strix capite lævi, corpore fusco, iridibus oculorum fulvis, Lin. Faun. Sv. p. 25. n. 74.

Strix noctua, Tengm. Wet. Acad. H. 1793. p. 289.

Strix Tengmalmi, Gmel. Syst. I. p. 291. Lath. Ind. Orn. I. p. 64. n. 42.

Little Owl, Pen Brit. Zool. I. p. 211. n. 70. fol. tab. B. 5.

Raufüssiger Kautz, *Strix Dasypus*, Meyer Vögel Esthl. p. 37.

OBSERV.

Omnes fere Onithologi in hac ave apellanda hallucinantur. Eam esse *funeream* Lin. Faun. Sv. bene ostendunt figuræ Rudbeckianæ, ex quibus avem descripsit Linné. Bechstein in Nat. Deut. 3. p. 665. *noctuam* Tengmalmi cum *passerina* Linnéi conjungit, sed falso.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $9\frac{1}{2}$ — 10 poll. Alæ extensæ 22. poll. Rostr. ab angulo oris ad apicem $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $6\frac{1}{2}$ poll. Cauda $3\frac{5}{8}$ poll.; extra alas ad 1. poll. extensa. Tibiæ breves vix 1. poll.

Rostrum flavescens, lateribus in ave mortua fuscescentibus. Nares rotundatæ postice membranâ fornicatâ. Area oculorum magna e pennis divaricatis, rigidis, albis nigro immixto Inter oculos et basin rostri macula atra oculos semicircumdat. Circa aures ad jugulum circulus e pennis fuscis albo pulcherrime variegatis. Aures permagnæ. Iris pulcherrime flava. Pedes pennis plumosis albis, extus fusco immixto, ad ungues densissime vestiti. Ungues fusci, acutissimi. Cauda alis longior, expansa angulum obtusissimum format.

Avis tota supra rufescenti-fusca, capite maculis minutis numerosissimis, dorso et alarum tectricibus maculis aliquantum majoribus albis. Gula et crissum alba immaculata. Pectus et abdomen alba maculis fuscescentibus irregularibus nebulosa. Remiges colore dorsi maculis (circiter 5.) margine exteriore et latere

interiore pisiformibus albis. Rectrices colore dorsi maculis utrinque 4-5. pisiformibus aut transversis albis, per paria positis.

HISTORIA.

Habitat in sylvis Sveciæ superioris. Hyeme instante in sylvis et hortis Scaniæ, quamvis rarius, occurrit. Vescitur aviculis &c. nidulatur —

XXX. STRIX NUDIPES, *mihi.*

(Tab. II.)

DIAGN: Supra griseo-fusca maculis et punctis albis. Cauda tæniis albis rachi interruptis. Digiti subnudi, pilis rarioribus, adpressis instructi.

SYNONYMA.

Strix noctua, Retz. Faun. Sv. p. 85. *Descriptio Retzii.* (Descriptio Tengmalmi ad antecedentem pertinet.)

Der kleine Kautz, Strix passerina, Bechst. Nat. Deutschl. 2. p. 367.

Sperlingskautz, Meyer Vögel Esthl. p. 36.

OBSERV.

Hanc avem non novit Linné. Quin vero sit distincta species et ab antecedente et ab insequente; non dubitare potest is, qui omnes tres unâ viderit. Non enim tam colores quam formæ partium constantiorum ab Ornithologo consulendæ sunt. Specimen quod heic describam, in Museo Academiæ Lundensis asservatum, idem est cujus descriptionem dedit cel. Retzius l. c. Hæc est *passerina* Germanorum, minime vero Linnéi; id quod satis docent icones Rudbeckianæ. Nomine igitur *passerinæ* illam appellare non licuit. Aliud quærens, id mihi maxime characteristicum visum est, quod avem ab omnibus europæis *Strigibus* inauritis, quantum ego scio, distinguit.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 8 poll. Rostr. $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 6 poll. Cauda $2\frac{6}{8}$ poll. Tibiæ longæ $1\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum flavescens, robustius quam in antecedente, quamvis avis minor. Area oculorum parva, pennis griseo-fuscis albo immixto. Iris flava. Tibiæ pennis plumosis albis parcius tectæ. Digiti fere nudi, pilis rarioribus adpressis. Ungues quam præcedentis crassiores, fusci, basi pallidi. Cauda alis parum longior, æqualis.

Avis tota supra griseo-fusca maculis albis pisiformibus, in capite minoribus et frequentioribus. Gula jugulum et latera colli anteriora alba, immaculata. Pectus et abdomen alba, maculis longitudinalibus fuscescentibus, fere confluentibus. Remiges colore dorsi, latere interiore maculis transversim ovalibus, margine exteriore maculis triangularibus (circa 5-6.) albis, unde alæ complicatæ fere tessellatæ videntur. Rectrices colore dorsi, tæniis 5. albis, ad rachin interruptis, apice albo.*)

LOCUS:

Specimen descriptum e Scania est. Rara, ni fallor avis, sed forte cum *funerea* vel *passerina* a venatoribus confusa.

XXXI. STRIX PASSERINA, Lin. Faun. Sv. (Tab III)

DIAGN. Supra fusco-cinerea punctis et maculis minutis albis, subtus alba maculis longitudinalibus fuscis. Area oculorum corpori concolor. Cauda lineis quatuor et apice albis. Pedes ad ungues plumis dense vestiti.

*) A *passerina*, dignoscitur: Tibiis longioribus, digitis nudiusculis, oculis, rostro et unguibus majoribus.

SYNONYMA.

Strix passerina, Lin. Faun. Svec. p. 26. n. 79. (femina.) Rudb. pict. fol. 163. Tengm. Wet. Acad. Handl. 1793. p. 294. Retz. Faun. Sv. p. 86.

Zwerg Kautz, *Strix pygmea*, Meyer vögel Esthl. p. 38.

Svecis: *Sparfuggla.*

OBSERV.

Hallucinantur Ornithologi plurimi *passerinam* Linnéi citaturi. Ab ornithologis Britannicis *Strix funerea* Lin. pro *passerina* Lin. habetur, testante cel. Tengmalm, (l. c. p. 288.) qui Musea eorum pervestigavit. A Germanis mea *nudipes*, passerina vocatur, et cum tandem veram *passerinam* Lin. invenerunt, *pygmeam* appellarunt. Inter *aves pictas Rudbeckii*, figura hujus avis optima invenitur, quam in *passerina* describenda ante oculos habuit Linné. Ut igitur quantum exinde sumserit, quisque videat; Schedam illam adferre placet, quæ, Rudbeckii manu scripta, juxta figuram adhuc exstat: *Noctua Gesn. p. 620. Aldr. t. I. p 543. Noctua minor Will. p. 69. Raji. Syn. 26. Lilla eller minsta Stenuglan Sved. In sylva haud longe Upsalis Norlen (?) dicta, a me occisa et in nido ejus 4. ova exigua, maculosa.*

DESCRIPTIO.

(Mas.) Longit. 6$\frac{2}{8}$ poll. Alæ expansæ 11. poll. Rostr. $\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem 4. poll. Cauda 2$\frac{1}{8}$ poll.; extra alas extenditur $\frac{6}{8}$ poll. Tibiæ breves vix $\frac{1}{2}$ poll. superant. Digit. med. $\frac{7}{8}$ poll.. postic. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum viridi-flavescens, apice pallidiore. Nares rotundatæ, postice membranâ fornicatâ. Iris pulcherrime crocea. In regione periophthalmica, rigidæ illæ pennæ divaricatæ, quæ in congeneribus conspiciuntur, in hac desiderantur. Pedes usque ad ungues pennis plumosis albis, extus fuscescentibus, densissime vestiti. Ungues nigro-fusci, acutissimi.

Tota avis supra fusco-cinerea. Caput punctis subrotundis albis, antice frequentius sparsis. Collum su-

pra maculis confertioribus, magnitudine pisi minoris. Dorsum et alarum tectrices maculis minoribus, minusque confertis. Latera capitis pone oculos fasciis minoribus transversis fuscis et albis. Subtus avis alba. Gula et crissum immaculata. Pectus maculis fuscis irregularibus, fere confluentibus, ad latera transversis. Abdomen striis longitudinalibus distinctis. Remiges cinereo-fuscæ margine exteriore et latere interiore maculis albis. Rectrices æquales, cinereo fuscæ lineis transversis quatuor saturatius marginatis et apice albis.

Femina $7\frac{1}{7}$ poll. longa. Alæ extensæ $13\frac{1}{2}$ poll. Color exacte Maris sed maculæ fuscæ pectoris et abdominis longitudinales sunt, et magis distinctæ.

HISTORIA.

In sylvis rarius. Par quod descripsi, in Hallandia, media hyeme cepi. Feminam undique vel insectabantur vel comitabantur aviculæ garrientes et clamantes, quæ tamen omnes in certa quadam distantia se tenere tutius ducebant. Nec incallide. Celeriter enim volabat, nec incommodo illi fuit lux. Mas, quem in alâ altera plumbo fixi, unguibus tenebat *Parum coeruleum*, quem media die necaverat. Vivum in cavea per quosdam dies tenebam. Aviculis vescebatur, quas tamen interdiu non tangebat, nec vesperâ quidem, quamdiu in cubiculo accensa erat candela. Hac vero exstincta, coenare statim adgressus est. Prædam ante coenam curate deplumabat more Falconum. In cavea excellenter scandebat, et de summa pendebat. Nullum edebat sonum nisi garritum quendam, (fere: *kirr! kirr!*) *Emberiz. citrinellam*, in caveam immissam, mox necavit. In cavis arboribus nidulatur. ova 4.

ORDO II.

PICÆ, *Lath.*

DISSECT. I.

Pedibus ambulatoriis.

GENUS III.

LANIUS.

Rostrum, validum, compressum, rectum, maxillis apice incurvatis, superiore longiore, pone apicem incisurâ (unde *denticulus* interdum oritur) utrinque.

Nares pennis setaceis tectæ.

Pedes validiusculi, ambulatorii.

Cauda longa, plerumque cuneata.

XXXII. LANIUS COLLURIO, Lin. Faun. Sv.

DIAGN: Caput supra cinereum, Dorsum rufo-brunneum. Fascia per oculos nigra. Subtus roseo-albus. Cauda nigra, lateribus versus basin albis. (Mas.)

SYNONYMA.

Lanius collurio, Lin. Faun. Sv. p. 27. n. 81. Lin. Syst. Nat. I. p. 136. Retz. Faun. Sv. p. 88. n. 38. Lath. Ind. I. p. 69. n. 11.

Ecorcheur, Buff. Ois. I. p. 304. t. 21. Pl. enl. n. 31. fig. 2.
Redbacked Shrike, Pen. Brit. Zool. I. p. 215. n. 72 Lath. Syn. I. p. 167. n. 25. Suppl. p. 52.
Der Dorndreher, *L. Spinitorquus*, Bechst. Nat. D. 2. p. 392.
Svec. Törnskata.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 6-7. poll. Rostr. $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem fere 4. poll. Cauda $3\frac{2}{8}$; extra alas $1\frac{1}{2}$ poll. Tibiæ fere 1. poll. Digit. med. $\frac{7}{8}$ poll., postic. $\frac{4}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, basi subtus pallidum. Nares ovales, supra quas pennæ setaceæ. Anguli oris vibrissis 4-6 nigris. Iris fusca. Pedes nigri.

Caput, collum supra et uropygium cinerea, fronte pallidiore. Basis rostri supra nigra. Fascia nigra a naribus per oculos ad latera colli. Dorsum et tectrices alarum pulcherrime rufo-brunnea. Avis subtus alba pectore roseo colore tincta. Remiges fuscæ marginibus præsertim interiorum rufo-brunneis. Cauda aliquantum cuneiformis, longa, Rectricibus mediis binis nigris immaculatis, ceteris medietate interiore albis, exteriore nigris.

Femina: Mari valde dissimilis. Supra fusco-ferruginea undulis obsoletis nigris et albidis. Per oculos ad tempora fascia rufo-fusca. Subtus alba, luteo tincta, undulis præsertim in pectore et hypochondriis fuscis. Remiges fuscæ. Rectrices rufo-fuscæ, extima albo fimbriata, ceteræ, exceptis quatuor intermediis, apice albo marginatis.

HISTORIA.

Frequens; migratoria. Post medium mens. Maji, in hortis et fruticetis Scaniæ jam redux occurrit. In fruticibus, præsertim *Pruni spinosæ* vel *Cratægi*, nidum, haud multum a terra elevatum, ponit. Ova 6. albida, rufo maculata. Vescitur aviculis, amphibiis, coleopteris, quæ spinis transfixa in fruticibus circa nidum sæpe pendent. Egregie cantillat Mas, alias aves optime imitans. Pullis exclusis parentes e summo fruticis cacumine, voce *Gäck! Gäck! Gäck!* caudâque huc et illuc motâ, queruntur, hoste adveniente. Aviculas, quæ ad nidum se adpropinquant, magno clamore statim fugat. Initio mens. Septembris abit.

XXXIII. LANIUS EXCUBITOR.

Diagn: Corpus supra canum, subtus album. Alæ nigræ maculis binis albis. Cauda nigra lateribus albis.

SYNONYMA.

Lanius Excubitor, Lin. Faun. Sv. p. 27. n. 80. Lin. Syst. Nat. I. p. 135. n. 11. Gmel. Syst. I. p. 300. Retz. Faun. Sv. p. 87. n. 37. Lath. Ind. I. p. 67. n. 6.

Pie-griesche grise, Buff. Ois. I. p. 296. t. 20. Pl. enl. 445.

Great Shrike, Pen. Brit. Zool. I. p. 213. n. 71. tab. 33. Lath. Syn. I. p. 160. n. 4.

Der gresse graue Würger, Bechst. Nat. D. 2. p. 376.

Svecis: Warfogel.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 9. poll. Ab angulo oris ad apicem Rostri I. poll. A flexura alæ ad apicem $4\frac{6}{8}$ poll. Cauda $4\frac{2}{8}$; extra alas fere 3. poll. Tibiæ $1\frac{1}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{7}{8}$ poll., postic. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum nigrum basi subtus flavescens. Nares ovales setis tectæ. Anguli oris vibrissis sex nigris. Iris fusca. Pedes plumbeo-nigri, unguibus nigris.

Totum corpus supra pallide cinereum, superciliis, fronte et pennis scapularibus in album inclinantibus. A rostro per oculos ad latera occipitis fascia nigra. Totum corpus subtus album, pectore in purpureum leviter inclinante undulis obsoletis, vix conspicuis. Remiges nigræ a basi ad medium fere albæ, secundariæ apice albæ. Cauda longa, cuneiformis, Rectricibus intermediis basi et apice tenuiter albis, in ceteris albedo apicis et basis magis magisque augetur.

Femina differt coloribus magis sordidis, undulisque pectoris fuscescentibus, magis distinctis.

HISTORIA.

In sylvis rarius. In Scania, instante hyeme, rarissime tamen visa. Vescitur aviculis, muribus, insectis. Nidulatur in arboribus. *Ova* 4-6.

XXXIV. LANIUS GLANDARIUS, *) *mihi.*

DIAGN: Corpus rufescenti-cinereum, tectricibus alarum coeruleis, lineis transversis albis et nigris.

*) Tum propter formam rostri &c. tum propter mores a *Corvis* separandus et inter *Lanios* collocandus est.

SYNONYMA.

Corvus glandarius, Lin. Faun. Sv. p. 30. n. 90.
Corvus glandarius, Retz. Faun. Sv. p. 93. n. 44. Lin. Syst. nat. I. p. 156. n. 7. Gmel. Syst. I. p. 368. Lath. Ind. Orn. I. p. 157.
Garrulus, Briss. Orn. II. p. 47. I.
Geay, Buff. Ois. III p. 107. t. 8. Pl. enl. 481.
Jay, Pen. Brit. Zool. I. n. 79. Lath. Syn. I. p. 384. n. 19. Arct. Zool. II. p. 252. E.
Der Holzheher, Bechst. Nat. D. 2. p. 449.
Svec: Skogskata; Nötskrika. *Ostrogothis:* Kornskrika.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 13½ poll. Alæ extensæ 20½ poll. Rostr. 1⅝; A flexura alæ ad apicem 7 poll. Cauda 5⅝ poll. Tibiæ 1½ poll. Digit. med. 1⅛; postic. I. poll.

Rostrum nigrum, rectum, compressum, supra subtusque convexum, maxilla superiore apice decurvata, utrinque denticulo, vel excisura, instructa. Supra angulum oris vibrissæ nigræ sex. Nares pennis setaceis tectæ. Iris griseo-albida. Pennæ *Pilei* longæ, in cristam erigi possunt. Pedes fusco-incarnati. Cauda fere æqualis, pare intermedio et extimo ceteris Rectricibus parum breviore.

Corpus fere totum rufo-cinereum; latera tamen colli magis in rufum, dorsum in cinereum tendentia. Frons albida vel pallide rufescens, maculis longitudinalibus nigris. Ab angulo oris ad latera gulæ descendit utrinque macula nigra. Gula albida. Crissum et Uropygium alba. Remiges primores nigro-fuscæ, latere exteriore sordide albæ; sequentes quatuor nigræ latere exteriore medio albæ, unde in ala composita macula magna alba oritur. Tectrices remigum primorum la-

tere exteriore lineis transversis nitentibus nigris, pallide coeruleis et albidis pulcherrime ornatæ. Rectrices nigræ basi cinereæ lineis transversis nigris; par laterale fuscum subtus cinerascens.

HISTORIA.

Frequens. Pro anni temporibus locum mutat. Æstatem in regionibus superioris Sveciæ montuosis et nemorosis degit; autumno et hyeme in Scania aut per familias, aut gregatim occurrit. Vescitur glandibus, nucibus, frugibus, aviculis in laqueis (*Donor* Sv.) pendentibus &c. In arboribus nidulatur. Ova 5-7.



GENUS IV.

CORVUS.

Rostrum validum, compressum, secundum totam suam longitudinem aliquantulum decurvatum, marginibus (plerumque) integris.

Nares setis rigidissimis tectæ.

Pedes validiusculi, ambulatorii.

Cauda varia in variis.

XXXV. CORVUS CORAX.

DIAGN: Ater, purpureo nitens. Cauda cuneato-rotundata. Tibiæ cum rostro æquales, digito midio longiores.

SYNONYMA.

Corvus Corax, Lin. Faun. Sv. p. 29. n. 85. Retz. Faun. p. 90. n. 40. Lin. Syst. I. p. 155. n. 2. Gmel. Syst. I. p. 364.

Corbeau, Buff. Ois. III. p. 13. t. 2. Pl. enl. 495.

Raven, Brit. Zool. I. p. 218. n. 74. Arct. Zool. II. p. 134. Lath. Syn. I. p. 367. n. I. Suppl. p. 74.

Der gemeine Rabe, Bechst. Nat. D. 2. p. 402.

Svecis: Korp. *Scanis rusticis:* Ravn.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 2. ped. Rostr. 3 poll. A flexura alæ ad apicem 17 poll. Cauda 9 poll. Tibiæ 3 poll. Digit. med. $2\frac{2}{8}$ poll.; postic. $1\frac{7}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, validum, supra convexum, compressum, versus apicem aliquantum decurvatum, denticulo utrinque instructum. Nares ovales, pennis setaceis rigidissimis, densissime tectæ. Iris extus albida, intus griseo-fusca. Pedes validi nigri. Cauda cum alis æqualiter extenditur. Alæ acutæ.

Tota avis atra, nitore supra purpureo, subtus atroviridi fulgens.

Femina magnitudine parum inferior, colore similis.

HISTORIA.

Vulgaris. Manens. Æstatem in sylvis degit. In arboribus excelsis et in præruptis montium, jam sub finem hyemis, nidulatur. Ova 4-5. Vescitur Mammalibus minoribus, aviculis, amphibiis, insectis et frugibus, præsertim vero cadaveribus. Olfactu valet. Vox solita *Krack! Krack!* vel *Kruck! Kruck!* Tempore vero propagationis mas et femina, coelo sereno, pulcherrimos gyros supra sylvas per aërem ducentes, clangorem *Clong! Clong!* remotissime sonantem edunt. Longævum esse etiam rustici norunt; et quia *clong* illud raro exauditur, dicunt avem ante annum centesimum illud producere non posse. Sancta præterea habetur, nec facile a quodam occiditur.

XXXVI. CORVUS CORONE.

DIAGN: Ater, supra violaceo nitens. Cauda rotundata. Rostrum validum Tibiis brevius. Nares setis tectæ.

SYNONYMA.

Corvus Corone, Lath. Ind. Orn. I. p. 151. Gmel. Syst. I. p. 365.

Cornix Gesneri, Rudb. pict. fol. 156.

Corbine ou Corneille noire, Buff. Ois. V. p. 56. t. I. f. 3. vers. Germ. Otto. VII. p. 77. cum. fig. Pl. enl. 483.

Carrion Crow, Pen. Brit. Zool. I. p. 75. t. 34. Lath. Syn. I. p. 370. n. 3. vers. Germ. I. p. 304. n. 3.

Die Rabenkrähe, Bechst. Nat. Deutsch. 2te Aufl. 2 B. p. 1167.

Gottlandis: Rauk. *Mus. Upsal. Mus. Payk.*

OBSERV.

Corvus corone Lin. in Faun. Sv. p. 29. n. 86. *plumis ad rostrum detritis*, vix alius est quam *Corvus frugilegus.*

DESCRIPTIO.

C. *Corace* minor. Circa 20. poll. longus. Rostr. $2\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 13. poll. Cauda $6\frac{6}{8}$ poll. Tibiæ $2\frac{5}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{6}{8}$ poll. Digit. postic. $1\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, validum, supra convexum, compressum, aliquantum decurvatum præsertim juxta apicem. Nares rotundatæ, setis rigidissimis, numerosis, nigris, tectæ. Supra sinus oris et ad oculos pili nigri. Cauda alis longior, aliquantum rotundata, Rectricibus apice obtuse-rotundatis, rachibus tamen aliquantum elongatis (an semper?).

Totus ater, supra purpureo vel violaceo colore nitens.

var. α: Corvus Clericus, macula gulari alba. Mus. Carlson. I. tab. 2. Specimen in Museo Payk. adhuc asservatum vidi. Junior est avis.

LOCUS.

In Svecia passim. Rara sine dubio est, nam vivam avem videre nondum mihi contigit. In Gottlandiæ pa-

roeciis *Gröttlingbo* et *Vamblingbo* habitare refertur. (Wet. Ac. Hand. 1809. p. 193) ibique haud rara esse debet, cum a rusticis proprio nomine *Rauk* appelletur. Specimen descriptum e Gottlandia est. Varietas, quam *Corv. Clericum* appellavit *Sparrmaun* l. c. in Wermlandia occisa dicitur.

XXXVII. CORVUS FRUGILEGUS.

DIAGN: Ater, purpureo nitens. Cauda rotundata. Rostrum subrectum, acutum. Pennæ circa basin rostri detritæ.

SYNONYMA.

Corvus frugilegus, Lin. Faun. Sv. p. 29. n. 87. Retz. Faun. p. 91. n. 42. a. Lin. Syst. Nat. I. p. 156. n. 4. Gmel. Syst. I. p. 366. Lath. Ind. Orn. I. p. 152. n. 5.

Le Freux ou *la Frayonne*, Buff. Ois. III. p. 55. vers. Germ. Otto. VII. p. 98. cum. fig. Pl. enl. 484.

Rook, Pen. Brit. Zool. I. p. 221. n. 76. Lath. Syn. I. p. 372. vers. Germ. I. p. 307. n. 4. Suppl. p. 76. Arct. Zool. II. p. 250. A.

Die Saatkrähe, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 2 B. p. 1199.

Svecis: Roka, Råka.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 1 ped. 6. poll. Alæ extensæ 3. ped. Rostr. 2$\frac{2}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 13. poll. Cauda 7. poll. Tibiæ 2$\frac{1}{8}$ poll.; Digit. med. 2. poll. Digit. postic. 1$\frac{2}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, magis rectum, minus validum et minus compressum, magis vero acutum quam antecedentis. Nares ovatæ, pennis setaceis fere detritis ob-

tectæ. Basis rostri (per oculos ad angulos oris et gulam) cute calva, rugosa, albida instructa. (In pullis hæc calvities non observatur; sunt enim capistro instructi, sicut C. *Corone*, a quo vix nisi formâ rostri distinguuntur.) Oculi fusci. Cauda alis vix longior rotundata, rectricibus apice obtuse rotundatis.

Totus ater corpore supra et subtus purpureo nitente, rectricibus et primoribus remigibus atro-viridi splendentibus.

Femina mari similis.

HISTORIA.

Migratoria. In Scania campestri et in Oelandia frequens. Sero abit (ad medium fere Septembrem); mature redit. Anno 1813. jam circa XX. d. Mens. Februarii in Scaniam revertebatur. In arboribus, præsertim Ulmis et Fraxinis excelsis, circa vicos et domos rusticorum satis gregatim nidulatur, ubi clamorem et garritum perpetuo instituit. Rustici et nidum et aves tuentur, præsentiam earum inter bona omina numerantes. Verno tempore aratrum sequitur, vermiculos et forte sata lecturus. Ova 3-5. Pulli primo ætatis anno capistro reverso sunt instructi, quod terram frequenter fodientes deterunt.

XXXVIII. CORVUS CORNIX.

Diagn: Corpus cinereum, capite, jugulo, alis et cauda nigris.

SYNONYMA.

Corvus Cornix, Lin. Faun. Sv. p. 30. n. 88. Retz. Faun. Sv. p. 92. n. 42.

Corvus Cornix, Lin. Syst. Nat. I. p. 156. n. 5. Gmel. Syst. I. p. 366. Lath. Ind. Orn. I. p. 153.
Cornix cinerea, Briss. Orn. II. p. 19. n. 4.
Corneille mantelée, Buff. Ois. III. p. 61. tab. 4. Pl. enl. 76.
Hooded Crow, Pen. Brit. Zool. I. p. 223. n. 77. Arct. Zool. II. p. 251. D. Lath. Syn. I. p. 374. 5. Suppl. p. 77.
Nebelkrähe, Bechst. Nat. D. 2. p. 425.
Svecis: Kråka.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 1½ ped. Alæ extensæ fere 3. ped. Rostrum et pedes nigra. Nares rotundatæ, pennis setaceis dense tectæ. Iris pallide grisea. Cauda rotundata cum alis æqualiter extenditur.

Caput, gula et jugulum, alæ et cauda nigra violaceo splendentia; ceterum pallide cinerea.

var. α. Tota alba. *Cornix alba Scandiana.* Rudb. pict. fol. 157. Talis in Museo Payk. e *Wik* Uplandiæ asservatur.

HISTORIA.

Vulgaris. Manens; ab una tantum in alteram patriæ plagam pro anni tempestatibus demigrans.*) Æstatem in sylvis degens in arboribus nidulatur. Ova 4-6 pallide viridia maculis fuscis, Mens. Aprili et Majo ponit. Vorax. Mures, lacertas, ranas, vermes, pisces ad litus ejectos aliaque cadavera edit. Cerasos aliasque fruges devastat, unde hortis noxia. Aves cubantes infestat, ovaque ebibit, fugata matre. Etiam

*) Per totam hiemem 1814. nullam in Hallandia sylvestri *cornicem* videbam.

aves juniores consumit. Autumno gregatim volat. Erucas depascitur, hinc purgat pascua et prata a vermibus, qui foenum consumunt. (Lin.) — Hieme in viis plateisque urbium et inter stercus nutrimentum quærit.

XXXIX. CORVUS MONEDULA.

DIAGN: Nigra, subtus nigro-cinerea. Occiput, Cervix, latera capitis et colli incana.

SYNONYMA.

Corvus Monedula, Lin. Faun. Sv. p. 30. n. 89. Retz. Faun. Sv. p. 93. n. 43. Lin. Syst. Nat. I. p. 156. n. 6. Gmel. Syst. I. p. 367. Lath. Ind. Orn. I. p. 154. n. 11. Briss. Orn. II. p. 24. n. 6.

Choucas, Buff. Ois. III. p. 69. Pl. enl. 523.

Jackdaw, Pen. Brit. Zool. I. p. 234. n. 81. Arct. Zool. II. p. 251. C. Lath. Syn. I. p. 378. 9. Suppl. p. 78.

Die Dohle, Bechst. Nat. D. 2. p. 439.

Svecis: Kaja. *Scanis:* Allika.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 13½ poll. Alæ extensæ 2. ped. 2. poll. Rostrum nigrum, naribus setis rigidis dense tectis. Iris albida. Cauda rotundata, circa 1. poll. extra alas extensa. Pedes nigri.

Frons, vertex, dorsum, alæ, cauda et gula nigra. Occiput, cervix, latera colli et capitis pallide incano quasi irrorata. Pectus, abdomen et tectrices alarum inferiores nigra, cinereo tincta.

var. α. Tota alba, levissime testaceo tincta.

E. Svecia. Mus. Payk.

HISTORIA.

Frequens. Aliæ manent, aliæ demigrant. Habitat gregatim in arcibus, turribus urbium, templis et ædibus, ibique hibernat. Nidulatur Mens. Aprili, in muris, caminorum spiramentis, et sub tectis. Etiam in cavis arboribus in sylvis ex. gr. ad Roslätt Scaniæ. Ova 4-6. virescentia maculis striisque fuscis ponit. Vescitur insectis, vermibus, ovis avium, frugibus et cadaveribus. Avis docilis, loquax, furax.

XL. CORVUS PICA.

DIAGN: Albo-nigroque varius, cauda longa cuneiformi.

SYNONYMA.

Corvus Pica, Lin. Faun. Sv. p. 31. n. 92. Retz. Faun. Sv. p. 95. n. 46. Lin. Syst. Nat. I. p. 157. n. 13. Gmel. Syst. Nat. I. p. 373. Lath. Ind. Orn. I. p. 162. n. 31. Briss. Orn. II. p. 35. I.

La Pie, Buff. Ois. III. p. 85. n. 7. Pl. enl. 488.

Magpie, Pen. Brit. Zool. I. p. 225. n. 78. Arct. Zool. II. n. 136. Lath. Syn. I. p. 392. n. 29. Suppl. p. 80.

Elster, Bechst. Nat. Deut. 2. p. 462.

Svecis: Skata.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 18 poll. Rostr. 1½ poll. A flexura alæ ad apicem 8 poll. Cauda 10½ poll. Tibiæ 2⅝ poll. Digit. med. 1½ poll. Digit. post. 1. poll.

Rostrum nigrum supra convexum, subcompressum, maxilla superiore, apice aliquantum decurvata. Na-

res tectæ pennis setaceis, rigidis. Supra angulos oris vibrissæ nigræ. Iris pallide brunnea. Pedes nigri.

Inter pulcherrimas Europæ aves jure numeranda. Caput, collum, dorsum, et pectus ad medium, crissum et femora, nigra, rachibus pennarum in gula cinereis. Ceterum pectus, abdomen et pennæ scapulares nivea. Remiges primores albæ, latere exteriore et apice nigræ, secundariæ cum tectricibus nigræ, atro-coeruleo nitentes. Cauda nigra, nitore atro-viridi pulcherrime fulgens.

var. α. Rostrum et pedes nigra. Ceterum ubi antecedens nigra est, hæc sordide cinerea vel sordide alba; ubi illa alba, hæc quoque alba. Ita ut caput, collum, pectus anterius, dorsum, femora et crissum sordide cinerea sint. Pectus posterius, abdomen et pennæ scapulares alba. Basis alarum sordide cinerascens. Remiges primores albæ, apice et latere exteriore sordide albidæ. Cauda albida. *Corvus Lapponicus* Thunb. Wet. Ac. H. 1798. p. 178. *Corv. Tornensis*, Sparrm. Svensk Ornithologie p. 38, cum fig.

OBSERV.

Specimen in Mus. Thunberg. vidi. Magnitudine et partium proportione exacte cum *C. Pica* convenit, præter caudam aliquantum breviorem in ave morbo laborante, aut certe juniore. In plagis Patriæ septentrionalibus haud rara est. Ex Uplandia quoque habet cel. Swartz. Mus. Holm.

var. β. cinereo-fuliginoso-alboque varia, oculis rubicundis, rostro pedibusque nigris. Mus. Carls. III. n. 53. Mus. Holm.

var. γ. Ferrugineo-alboque varia. Mus. Carls. IV. n. 87.

HISTORIA.

Manens. Vulgaris.*) Loca ab hominibus habitata incolit, raro sylvas quærit. Nidum plerumque in summo arboris cacumine juxta domos ponit, e ramusculis constructum, radiculis parvulis stratum et ramulis spinosis supra tectum, foramine laterali. Ova 4-6. Vescitur insectis, frugibus, ovis et pullis avium, cadavere et stercore &c. Sagax, loquax, furax.

XLI. CORVUS INFAUSTUS, Lin. Faun. Sv.

DIAGN: Corpus pallide rufescenti-cinereum, Capite fusco. Cauda longa cuneato-rotundata, Rectricibus fulvo-ferrugineis, intermediis binis cinereis.

SYNONYMA.

Corvus infaustus, Lin. Faun. Sv. p. 32. n. 93. Mus. Carls. IV. tab. 76 (Fig. bona.) Retz. Faun. Sv. p. 95. n. 47. Lath. Ind. Orn. I. p. 159.

Lanius infaustus, Lin. Syst. Nat. I. p. 138. n. 25. Gmel. Syst. Nat. I. p. 310.

Corvus Sibericus, Gmel. Syst. I. p. 373.

Siberian Jag, Lath. Syn. I. p. 391. n. 26.

Geai de Siberie, Buff. Ois. III. p. 118. Pl. enl. 608. (figura nimis colorata.)

Svecis: Lappskata, Olycksfogel. *Jemtlandis*: Rödtjuxa. *Dalekarlis*: Lafskrika.

---

*) Singulare tamen, quod in oppidulo Scaniæ *Skanör* et in insula *Hven* nunquam habitat, nec, nisi instante procella, ibi visa est.

DESCRIPTIO.

Longit. avis II. poll. Rostr. I. poll. A flexura alæ ad apicem $5\frac{1}{2}$ poll. Cauda $5\frac{1}{2}$ poll. Tibiæ $1\frac{3}{8}$; Digit. medius I. poll. Digitus postic. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, crassum, subtrigonum, (haud compressum*), rectum, mandibula superiore longiore, apice aliquantum decurvata; basi setis nigris antice vergentibus. Nares tectæ pennis rigidis albo rufescentibus. Pedes fusci? — Corpus totum tegitur pennis tumidis, mollibus, pinnatis, pinnis raris (nec contiguis) tanquam in *Lanio Glandario*, cum quo multa quoad habitum videtur habere communia. Etiam hic, ni fallor, pennas capitis longiores in cristam erigere potest. Pennæ *Gulæ* pilis, antice vergentibus, terminatæ.

Caput supra et ad latera usque sub oculis saturate fuscum rufo tinctum, fronte pallidiore in testaceum vergente. Collum, dorsum et pectus pallide cinerea rufo leviter tincta. Abdomen, hypochondria et crissum magis rufescentia. Caudæ tectrices inferiores pallide rufæ. Remiges fuscæ, basi ferrugineæ, latere exteriore cinereæ. Tectrices Remigum primorum proximæ ferrugineæ, apice fuscæ. Rectrices fulvo-ferrugineæ intermediis duabus saturate cinereis.

---

*) Jam ad hoc jam ad aliud genus ab ornithologis allata est hæc avis. Neque vero *Corvis* neque *Laniis* propter formam rostri bene jungitur. Cum vero inter *Corvos* plerique illam numerant, hoc *ad interim* retinui. Alio tempore, cum congeneres exoticos sat bene examinavero, illi in serie avium naturali locum suum accuratius designare conabor. *Lanii* enim Linnéi, natura duce, in plura genera abire debent, quorum uni hic adnumerandus est.

HISTORIA.

Habitat in nemorosis Lapponiæ, Jemtlandiæ et Dalekarliæ. Juxta Garpenberg in pinetis densis vulgaris est ibique *Lafskrika* appellatur; (Dr. Lindroth in litt.) Etiam in Uplandiam descendit sed rarissime. Illustr. Comes Wachtmeister Holmiæ emit, et, quo semper est erga scientiam nostram favore, ad nos misit specimen juxta Holmiam captum initio Mens. Novembris, aurâ adhuc leni.

Proterva avis commessantes peregrinatores sæpe adiens, carnesque disjectas rapiens. (Lin.) Victus varius, forte pro varia anni tempestate. Cel. Leche in ventriculo ejus invenit baccas juniperi, pilos quosdam breves et caudam Muris. *(Advers. Lechei.)* Ille vero, quem ab Ill. Wachmeister recepi, ventriculum habebat insectis, præsertim *Coleopteris* fartum.

GENUS V.

CARYOCATACTES.

Rostrum conico-subulatum, subrectum, teretiusculum, aliquantulum compressum, apice depresso-truncatum. Mandibula inferior intus gibbo longitudinali.

Nares pennis setaceis tectæ.

Lingua bifurca.

Pedes validiusculi, ambulatorii.

XLII. CARYOCATACTES NUCIFRAGA, *mihi.*

Diagn: Corpus fuscum albo guttatum, alis caudaque nigris, rectricibus apice albis.

SYNONYMA.

Corvus Caryocatactes, Lin. Faun. Sv. p. 31. n. 91. Retz. Faun. Sv. p. 94. n. 45. Lin. Syst. p. 157. n. 10. Gmel. Syst. I. p. 370.

Nucifraga, Briss. Orn. II. p. 59. I. tab. 5. fig. I.

Casse-noix, Buff. Ois. III. p. 122. t. 9. Pl. enl. 50.

Nutcracker, Pen. Brit. Zool. 2. p. 625. app. tab. III. Arct. Zool. II. p. 252. D. Lath. Syn. I. p. 400. n. 38. Suppl. p. 82.

Der Tannenheher, Bechst. Nat. D. 2. p. 457.

Svecis: Nötkraka.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 13 poll. Rostr. 2. poll. A flexura alæ ad apicem $7\frac{1}{2}$ poll. Cauda $5\frac{1}{2}$ poll. Tibiæ $1\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. $1\frac{3}{8}$; postic. $1\frac{1}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, conico-subulatum, strictum, sine angulis; mandibulis fere æqualibus, apice depressis, obtusis. Mandibula inferior intus gibbo instructa. Nares rotundatæ pennis setaceis albidis tectæ. Pedes nigri. Cauda alis longior, rotundata.

Corpus brunneum pileo et uropygio immaculatis. Inter oculos et rostrum macula alba. Gula striis albis. Ceterum corpus maculis parvis, ovatis, albis, subtus majoribus, supra minoribus numerosis adspersum. Alæ nigræ, supra nitentes, basi maculis parvis triangularibus albis. Remiges mediæ (6-8.) latere interiore maculâ alba, apice albo marginatæ. Cauda nigra. Rectricibus intermediis apice albis, quæ albedo in ceteris magis augetur. Tectrices caudæ superiores nigræ, inferiores albæ.

HISTORIA.

Manens, ab una in alteram plagam tantum demigrans. In superioris Sveciæ pinetis æstate passim habitat. Autumno coryleta et querceta frequentat. In Scaniam non nisi hyeme, et quidem rarissime advenit. Victus: insecta, glandes, nuces, avium ova et pulli. Nidulatur in cavis arboribus. Ova 5-6.

GENUS VI.

CORACIAS.

Rostrum validum, fere rectum, compressum, supra convexum, apice deflexo.
Nares nudæ, oblongæ.
Vibrissæ rigidæ.
Pedes ambulatorii, breves.

XLIII. CORACIAS GARRULA.

DIAGN: Coerulea dorso rubro, remigibus nigris.

SYNONYMA.

Coracias Garrula, Lin. Faun. Sv. p. 32. n. 94. Retz. Faun. Sv. p. 97. n. 48. Lin. Syst. nat. I. p. 159. n. I. Gmel. Syst. I. p. 378. Lath. Ind. Orn. I. p. 168.
Rollier Buff. Ois. III. p. 135. tab. 70. Pl. enl. 486.
Roller, Pen. Brit. Zool. 2. p. 624. tab. append. II. Arct. Zool. II. p. 235. G.
Mandelkrähe, Bechst. Nat. D. 2. p. 472.
Svecis: Blåkråka; Spanskkråka.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $12\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $1\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 8. poll. Cauda fere 5. poll. Tibiæ fere I. poll. Digit. med. $1\frac{3}{8}$; postic. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum nigrum basi subtus fuscum, compressum, secundum totam longitudinem aliquantum decurvatum, basi supra pennis denudatum; maxilla superior apice dependente, pone quem incisura lata utrinque. Nares nudæ, oblongæ, oblique positæ. Supra angulos oris vibrissæ 6. rigidæ, nigræ. Iris intus brunnea, extus grisea. Regio circa oculos nuda. Pone oculos macula nuda, tempore propagationis verrucosa. Pedes lutescentes unguibus nigris. Cauda alis longior, æqualis, Rectricibus obtusis, extima tamen utrinque longiore acuminata.

Caput, nucha, pectus et tectrices alarum majores coerulescenti-viridia; abdomen, crissum et alarum tectrices inferiores eodem colore, sed pallidiore. Cervix, dorsum et remiges intimæ ferrugineo-hepatica. Uropygium et tectrices alarum minores (basis alarum) pulcherrime coerulea, nitidissima. Remiges supra nigræ, basi pallide coerulescenti-virides, subtus latere interiore splendidissime coeruleæ. Rectrices basi fusco-coeruleæ versus apicem albo-virides, pari intermedio viridi-nigro, unicolore; extimo apice nigro.

Femina differt colore capitis, colli et pectoris sordidioribus; rectricibus æqualibus, neque extimis apice nigris.

HISTORIA.

Migratoria. In plerisque sylvis haud infrequens. Nidulatur in cavis arboribus. Ova 3-7. alba, immaculata. Vescitur Insectis, Lumbricis, Ranis, Limacibus. Avis timida, nunquam mansuescit. Vox garrula. Abit circa medium Septembrem. (vide præterea Historiam avis fuse expositam in Wet. Ac. n. Handl. 1787. p. 308.)

XLIV. CORACIAS GALBULA, *Bechst.*

Diagn: *Mas:* Flavus, loris et remigibus nigris, rectricibus nigris apice flavo. *Femina:* supra luteo-viridis, subtus sordide virescens striis fuscis; Remiges fuscæ; Cauda olivacea apice flavo.

SYNONYMA.

Oriolus Galbula, Lin. Syst. nat. I. p. 160. I. Gmel. Syst. I. p. 382. Retz. Faun. p. 98 n. 49. Lath. Ind. I. p. 186. n. 45. Sparrm. Svensk Ornith. cum fig. maris et fem.

Coracias Oriolus, Lin. Faun. Sv. p. 33. n. 95.

Oriolus, Briss. Orn. II. p. 320. n. 58.

Loriot, Buff. Orn. III. p. 254. tab. 17. Pl. enl. 26. (mas.)

Die gelbe Racke, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 2. p. 1292.

The Oriole, Pen. Brit. Zool. II. p. 626. Append. tab. IV. Lath. Syn. II. p. 449. n. 43. Sup. p. 89.

Svecis: Sommarguling; Gultrast, Gylling.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 9 poll. Rostrum fusco-rubrum, conico-subulatum, supra convexum, aliquantulum decurvatum, (fere rectum); maxilla superiore longiore apice deflexo, pone quem incisura. *Nares* patulæ nudæ, oblongæ. Lingua apice membranacea, lacera. Iris rubra. Pedes plumbei.

Caput, collum et corpus totum pulcherrime flavum loris nigris. Alæ, cum tectricibus, nigræ macula flava. Cauda nigra rectricibus lateralibus apice flavis.

HISTORIA.

In quibusdam Finlandiæ provinciis ex. gr. in Carelia et Savolaxia frequens est ibique *Kuhankeittäjä* appellatur (Faun. Fenn. p. 19.) In Westrobothnia quoque visa refertur. Migratoria. Vescitur cerasis aliisque baccis, insectis et larvis. In ramis arboris aut arbusculæ cujusdam nidum suspendit. Ova 4-6 alba, extremitate obtusiore fusco maculata.



GENUS VII.

UPUPA.

Rostrum longum, tenue, arcuatum, teres, basi trigonum, obtusciusculum.

Nares parvæ, ovales, nudæ.

Lingua integra, obtusa, triquetra, brevissima.

Pedes ambulatorii.

VI. UPUPA EPOPS.

DIAGN: Caput, collum et pectus ferrugineo-lutea, crista apice nigra. Corpus supra nigro et albo varium; abdomen album; Cauda nigra fascia alba.

SYNONYMA.

Upupa Epops, Lin. Faun. Sv. p. 37. n. 105. Retz. faun. Svec. p. 107. n. 60. Lin. Syst. Nat. I. p. 183. Gmel. Syst. I. p. 466. Briss. Orn. II. p. 455. t. 43. fig. I.

La Huppe, Buff. Ois. VI. p. 439. t. 21. Pl. enl. 52.

Hoopoe, Pen. Brit. Zool. I. n. 90. t. 39. Arct. Zool. II. p. 283. A. Edw. tab. 345. Lath. Syn. II. p. 687. Sup. p. 122.

Gemeiner Wiedehopf, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 2. p. 1071.

Svecis: Härfogel; *Scanis* Popp; *Hallandis* Oäringsfogel.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 12 poll. Alæ extensæ 19. poll. Rostr. $1\frac{1}{2}$ poll. Tibiæ $\frac{6}{8}$ poll. Cauda æqualis, alis longior, Rectricibus decem.

Rostrum coeruleo-nigricans basi incarnatum. Iris fusca. Pedes nigricantes. Crista duplex plicatilis e pennis circa 2 poll. longis ferruginescenti-luteis, apice nigris.

Caput, collum, interscapulium et basis alarum, pectus et inferiores alarum tectrices sordide aurantia. Dorsum et alæ complicatæ nigræ fasciis albis. Abdomen et crissum alba. Cauda nigra, fascia in medio alba.

HISTORIA.

In sylvis passim. Migratoria. Timida. Irata vel terrefacta cristam erigit. Vocem *oppoppopp! oppoppopp!* subsistens recitat. Propter singularem et insolitum sonum, jam hoc jam illo loco in sylva auditum, nullo tamen illius auctore invento, inter mala omina a vulgo numeratur. In aliis provinciis bellum, (unde *Härfogel.)* in aliis annonæ caritatem (unde *Oäringsfogel)* prædicere putatur innocens avicula. Vescitur insectis. Nidulatur in cavis arboribus sordida et foetida avis. Ova ponit 4-6 sordide cinerascentia.



GENUS VIII.

CERTHIA.

Rostrum tenue, arcuatum, compressum, acutum.
Nares oblongæ, membrana semitectæ.
Lingua longa, tenuis, acuta.
Pedes ambulatorii, ungue postico prælongo.

XLVI. CERTHIA FAMILIARIS.

DIAGN: Supra ex fusco, albo et ferrugineo variegata, subtus alba. Remiges fuscæ fascia albida. Cauda cuneata, rigida.

SYNONYMA.

Certhia familiaris, Lin. Faun. Sv. p. 38. n. 106. Retz. Faun. p. 108. n. 61. Lin. Syst. Nat. I. p. 184. n. I. Gmel. Syst. I. p. 469. Lath. Ind. Orn. I. p. 280. n. I.

Certhia Briss. Orn III. p. 603. n. I.

Grimpereau, Buff. Ois. V. p. 481. tab. 21. f. I. Pl. enl. 681. f. I.

Common Creeper, Pen. Brit. Zool. I. n. 92. tab. 39. Arct. Zool. II. n. 174. Lath. Syn. II. p. 701. Suppl. p. 126.

Der gemeine Baumlaüfer, Bechst. N. D. 2. p. 550.

Motacilla scolopacina, Norske Vidensk. Selsk. nye Skrift. 2. B. p. 367. cum fig.

Svecis: Trädkrypare.

Longit. avis $5\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ fere 8. poll.

Rostrum supra nigricans, subtus albidum apice fusco. Nares oblique ovatæ. Iris fusca. Cauda ex pennis XII. rigidis, decurvatis constans, extensa cuneiformis est, composita in duas cuspides divisa. Pedes pallide fusci; digiti ad primum articulum connati; ungues griseo-albi, quorum præsertim posterior prælongus.

Caput et collum supra fusca, maculâ ovali alba in singula penna. Ab angulo oris per oculum fascia fusca; supra oculum alba. Dorsum et pennæ scapulares ferrugineo-fusca maculis albidis. Uropygium ferrugineum. Subtus tota avis pulcherrime alba. Remiges nigro-fuscæ, versus apicem margine exteriore luteo-rufæ; versus basin margine exteriore virescenti-griseæ; prima maculâ alba latere interiore ad basin notata; secunda et tertia unicolores; Ceteræ fasciâ per medium albida. Tectrices nigro-fuscæ maculis albis et ferrugineis. Rectrices griseo-fuscæ, extimæ margine albæ.

HISTORIA.

In sylvis haud infrequens. Hyemes nostras perfert. Truncos arborum scandens, insecta eorumque ova et larvas legit. Nidulatur in cavis arboribus. Ova 6-9 alba punctis fuscis et ferrugineis ponit. Homines parum metuit, unde nomen *familiaris*.

GENUS IX.

SITTA.

Rostrum subulatum, rectum, porrectum, teretiusculum, acutum.
Nares rotundatæ, pennis setaceis obtectæ.
Lingua bifido-lacera.
Pedes ambulatorii, digito postico elongato valido.

XLVII. SITTA EUROPÆA.

DIAGN: Supra cano-coerulea, subtus albida, fascia per oculos nigra. Rectrices nigræ, laterales quatuor pone apicem albæ.

SYNONYMA.

Sitta Europæa, Lin. Faun. Sv. p. 37. n. 104. Retz. Faun. p. 106. n. 59. Lin. Syst. Nat. I. p. 177. Gmel. Syst. Nat. I. p. 440. Lath. Ind. Orn. I. p. 261. Briss. Orn. III. p. 588. I. t. 29.
La Sitelle ou Torchepot, Buff. Ois. V. p. 460. t. 20. Pl. enl. 623. f. I.
Nuthatch, Pen. Br. Zool. I. p. 255. n. 89. Arct. Zool. II. n. 170. Lath. Syn. II. p. 648. Suppl. p. 117.
Gemeine Spechtmeise, Bechst. Nat. D. 2. p. 523.
Svecis: Nötväcka, Nötpacka.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $5\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{6}{8}$ poll. Alæ extensæ 9 poll. Cauda 2 poll. Tibiæ $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll.; postic. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum coeruleo-fuscum, subtus albidum. Iris griseo-fusca. Pedes cinereo-lutescentes. Cauda alis aliquantum longior, æqualis, Rectricibus XII.

Frons coerulea, caput supra, cervix, dorsum et alarum tectrices cano-coerulescentia. A naribus per oculos ad latera colli (usque ad scapulas) utrinque fascia nigra. Avis subtus alba pectore et abdomine rufo levissime tincta. Hypochondria rufa. Crissum album marginibus pennarum rufis. Remiges fuscescenti-cinereæ, primæ quatuor basi albæ, ceteræ margine interiore albidæ. Rectrices nigræ, versus apicem albæ, apice ipso cinereæ, intermediæ binæ cinereæ immaculatæ.

Feminæ colores aliquantum pallidiores.

HISTORIA.

In sylvis ubique. Manens. Parum timida. Truncos arborum scandit insecta lectura. Vescitur quoque nucibus et glandibus, quas in rima corticis trunci cujusdam positas rostro findit acutissimo. Vox sibilans *Tjutt-Tjutt!* — *Tjutt-Tjutt!* Nidulatur in cavis arboribus. Ova 5-7. sordide alba maculis rufis.

DISSECTIO. II.

Pedibus scansoriis:

GENUS X.

P I C U S.

Rostrum subulatum, polyedrum, rectum, apice cuneato.
Nares ovatæ pennis setaceis tectæ.
Lingua longissima, lumbriciformis, mucronata, apice retrorsum setis aculeata.
Pedes scansorii.

* *Pedibus tetradactylis:*

XLVIII. PICUS MARTIUS.

DIAGN; Niger, pileo coccineo.

SYNONYMA.

Picus Martius, Lin. Faun. Sv. p. 34. n. 98. Retz. Faun. Sv. p. 101. n. 53. Lin. Syst. Nat. I. p. 173. n. I. Gmel. Syst. Nat. I. p. 424. Lath. Ind. I. p. 224. I.
Picus niger, Briss. Orn. IV. p. 21. n. 6.
Le Pic noir, Buff. Ois. VII. p. 41. t. 2. Pl. enl. 596.
Great black Woodpecker, Arct. Zool. II. p. 276. A. Lath. Syn. II. p. 552. I. Suppl. p. 104.
Der Schwartzspecht, Bechst. Nat. D. 2. p. 499.
Svecis: Spillkräka, Tillkräka.

DESCRIPTIO.

Longit. avis I. ped. 5 poll. Rostr. basi albidum, versus apicem coeruleo-fuscum. Iris pallide flava. Palpebræ nudæ. Pedes plumbei.

Tota avis atra capite supra a fronte ad occiput coccineo.

Feminae color niger aliquantum in fuscum inclinans, occipite tantum coccineo.

HISTORIA.

In sylvis, præsertim in pinetis. Vix in Scania obvenit. Manens. Coleoptera eorumque larvas lectura, truncos arborum putridarum scandit et terebrat. Hyeme silens, vere clamitare incipit. Imitatione vocis facillime allicitur. In cavis arboribus ova ponit IV. alba, nitida.

XLIX. PICUS VIRIDIS.

Diagn: Viridis pileo coccineo, regione oculorum nigra.

SYNONYMA.

Picus viridis, Lin. Faun. Sv. p. 35. n. 99. Retz. Faun. p. 102. n. 54. Lin. Syst. Nat. I. p. 175. n. 12. Gmel. Syst. I. p. 433. Briss. IV. p. 9. I. Lath. Ind. orn. I. p. 234.

Pic verd, Buff. Ois. VII. p. 7. t. I. Pl. enl. 371. 879.

Green Woodpecker, Pen. Brit. Zool. I. n. 84. Arct. Zool. II. p. 277. B. Lath. Syn. II. p. 577. n. 25. Suppl. p. 110.

Der Grünspecht, Bechst. Nat. D. 2. p. 505.

Svecis: Grönspett; Gröngöling. *Scanis:* Gyllenrenna.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 13-14 poll. Rostr. a fronte ad apicem $1\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 7. poll. Cauda $4\frac{1}{2}$ poll. Tibiæ $1\frac{2}{8}$; Digit. antic. exter. $1\frac{3}{8}$ poll.; postic. inter. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum validum, coeruleo-nigrum, basi subtus flavescens, maxilla superior trigona, versus apicem cuneata, acuminata. Nares ovato-oblongæ setis tectæ. Lingua 5 poll. longa, teres, retractilis, apice mucrone rigido ad latera setis retrorsum positis instructo. Iris alba. Pedes virescenti-plumbei.

Caput supra a fronte ad nucham splendide coccineum, basi tamen pennarum glauco interlucente. Regio circa oculos nigra, maculis *interdum* albis, minutis. A basi maxillæ inferioris ad latera gulæ fasciâ utrinque nigra, coccineo immixto. Sic latera capitis nigra, excepta regione aurium, quæ cum jugulo, pectore et abdomine, pallide cinereo-virescens, luteo tincta. Gula magis albescit. Collum supra, dorsum et tectrices alarum olivacea uropygio splendide viridi-flavo. Crissum, latera abdominis et tectrices caudæ inferiores sordide albida, luteo-viridi tincta, undulis fuscis. Remiges nigrescentes latere interiore maculis transversis albis; primores latere exteriore maculis luteo-albidis, ceteræ exteriore olivaceæ. Tectrices superiores remigum primorum nigricantes maculis alternis albidis, latere exteriore et interiore. Tectrices inferiores luteo-albæ undulis nigricantibus. Rectrices XII. quarum I. I. mollior, brevissima, fusca, margine et apice obtuso olivacea. Ceteræ rigidæ, acutæ, nigricantes, lineis transversis virescentibus, obsoletis.

Avis junior: Pilei singulæ pennæ apice coccineæ, pone quem macula ad rachin nigra, basi cinerea. Dorsum sa-

turate viride, undulâ singularum pennarum albâ. Uropygium viridi-flavum, undulis obsoletis albis et fuscis. Latera capitis nigra apicibus pennarum albidis. Avis subtus sordide alba maculis nigris, in gula angustissimis, in jugulo et colli lateribus, in pectore et abdomine fasciis binis in singulis pennis; in crisso ternis.

OBSERV.

Hoc colore gaudent pulli utriusque sexus ad primam usque pennarum mutationem. A medio M. Julio ad finem Augusti in sylvis frequentes.

HISTORIA.

Manens. In sylvis ubique haud infrequens. Truncos arborum egregie scandit. Coleopteris et formicis vescitur. Hyeme formiceta fodit formicas quærens, tuncque a pueris laqueis capitur. In cavis arboribus ova ponit 5-8 alba. Nullos nisi jam putrescentium arborum truncos terebrat, unde innoxia habenda avis, et utilis; insecta enim noxia consumit.

L. PICUS CANICEPS, *mihi.*

DIAGN: Viridis, capite, collo corporeque subtus cinereis; Fascia nigra inter nares et oculos, aliaque tenuiore ad latera juguli.

SYNONYMA.

Picus Norvegicus, Lath. Ind. Orn. I. p. 236. n. 33.
Picus canus, Gmel. Syst. Nat. I. p. 434.
Picus viridis Norvegicus, Briss. Orn. IV. p. 18. n. 4.
Grey-headed green Woodpecker, Pen. Arct. Zool. II. n. 277. Lath. Syn. II. p. 583. n. 30. Edw. tab. 65.
Grüngrauer Specht, *P. viridi-canus*, Meyer Vögel Liv- und Esthl. p. 59.

OBSERV.

Inter aves Rudbeckii pictas optima hujus avis icon invenitur fol. 123. Avis itaque jam tunc temporis cognita, sed a *Linné* cum *P. viridi* confusa.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 12. poll. Alæ extensæ $17\frac{1}{2}$ poll. Rostr. a fronte ad apicem $1\frac{2}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 6 poll. Cauda 4. poll. Tibiæ $1\frac{2}{8}$ poll. Digit. anter. exter. $1\frac{2}{8}$; poster. inter. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum debile coeruleo-fuscum, subtus versus basin viridi-flavum. Nares oblongo-ovales pennis setaceis tectæ. Iris rubenti-alba. Pedes cinereo-virides, unguibus griseo-fuscis.

Caput et collum cinerea, maculis minutis fuscis versus frontem. A naribus ad oculos stria nigra, postice latior. A maxilla inferiore ad latera colli utrinque stria angustior nigra, interrupta. Dorsum et alarum tectrices olivacea in coeruleum levissime inclinantia. Uropygium viridi-flavum, splendens. Subtus tota avis pallide cinerea olivaceo tincta, gula pallidiore. Crissum et tectrices caudæ inferiores sordide olivacea undulis obsoletis fuscis. Remiges fuscæ latere interiore maculis transversis albis, margine exteriore maculis minoribus luteo-albis. Rectrices nigro-virides *supra* unicolores intermediis binis obsolete fasciatis; *subtus* 2. 2 — 3. 3. apice extus sordide incanæ; 6. 6. lutescenti-albæ apice et tæniâ ad rachin dentatâ nigris.

HISTORIA.

In provinciis Sveciæ australioribus rarius, nec unquam nisi hyeme hanc speciem inveni. In septentrionalibus minus rara. Mores præcedentis. Vescitur insectis. Nidulatur in cavis arboribus. Ova alba.

LI. PICUS LEUCONOTUS.

DIAGN: Albo nigroque varius, dorso postico albo. Pileus *maris* ruber, *feminæ* niger. Pectus et abdomen albida striis nigris. Crissum rubrum.

SYNONYMA.

Picus leuconotus, Meyer Vögel Liv-und Esthl. p. 60.

Picus varius major, Rudb. pict. fol. 121. *fem.* 122. *mas.*

Picus major variet. medius. Större Hack-eller Brokspet, Sparrm. Sv. orn. (fig. bona.)

Mus. Lund. Mus. Upsal.

OBSERV.

Ill. Rudbeck l. c. marem et feminam optime depinxit, quas picturas in ære incidendas curavit cel. Sparrmann. Cognita igitur jam dudum in Svecia avis, sed pro varietate sequentis habita.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 10½ poll. Rostr. fere 1½ poll. A flexura alæ ad apicem 6 poll. Cauda 4. poll. Tibiæ 1⅛; Digit. ant. exter. 1⅓; postic. inter. ½ poll.

Rostrum validum, pallide coeruleum. Nares tectæ pilis albidis apice nigris. Iris purpurea. Pedes coeruleo-cinerei.

Frons albida. Caput *maris* supra a fronte ad nucham miniatum; *feminæ* nigrum. Latera capitis et colli alba. A maxilla inferiore decurrit fascia nigra, quæ in latere colli extenditur. Cervix et dorsum anticum nigra. Dorsum posticum et Uropygium alba apicibus pennarum obsolete nigris. Gula alba. Pectus et abdomen albida, illud luteo, hoc rubro tincta, striis ni-

gris longitudinalibus. Crissum carmineum. Alæ compositæ nigræ maculis albis fascias transversas formantibus. Remiges nigræ maculis subrotundatis albis latere interiore et exteriore. Tectrices proximæ nigræ, versus apicem macula rotundata alba; tectrices penultimæ medietate interiore nigræ, exteriore albæ. Cauda rigida cuneiformis. Rectrices basi nigræ, versus apicem albidæ maculis nigris per paria positis; par intermedium nigrum immaculatum. Tectrices superiores caudæ nigræ.

HISTORIA.

Habitat in sylvis cum congeneribus. Vescitur insectis. Ova 4-5 alba in cava arbore ponit. Instante hyeme hortos Scaniæ interdum frequentat.

LII. PICUS MAJOR.

Diagn: Albo nigroque varius. Dorsum nigrum. Scapulæ macula magna alba. Occiput maris coccineum feminæ nigrum. Crissum miniaceum. Pectus et abdomen alba immaculata.

SYNONYMA.

Picus major, Lin. Faun. Sv. p. 35. n. 100. Retz. Faun. Sv. p. 103. n. 55. Lin. Syst. Nat. I. p. 176. Gmel. Syst. Nat. I. p. 436. n. 17. Lath. Ind. Orn. I. p. 228. n. 13.

Picus varius major, Briss. Orn. IV. p. 34. n. 13.

L'Epeiche ou Pic varié, Buff. Ois. VII. p. 57. Pl. enl. 196. 595.

Great spotted Woodpecker, Pen. Brit. Zool. I. p. 243. n. 85. Arct. Zool. II. n. 162. Lath. Syn. II. p.

564. n. 12. Suppl. p. 107.
Der grosse Buntspecht, Bechst. Nat. D. 2. p. 511.
Svecis: Hackspett; Wedknarr.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 10. poll. Rostr. 1. poll. A flexura alæ ad apicem $5\frac{6}{8}$ poll. Cauda $3\frac{6}{8}$ poll. Tibiæ 1. poll. Digit. ant. exter. $\frac{6}{8}$ poll. Digit. post. inter. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum crassum, validum, coeruleo-fuscum, subtus pallidius. Nares tectæ pennis setaceis, nigris. Iris albida. Pedes coerulescenti-virides.

Frons sordide rufescenti albida. Vertex niger. Fascia occipitalis transversa pallide coccinea. Ab angulo oris descendit fascia nigra et in latere colli se extendit. A fronte per oculos fascia alba, quæ in temporibus extenditur et ad latera cervicis descendit. Cervix, Dorsum, Uropygium nigra. Pennæ scapulares et tectrices Remigum interiorum niveæ, basi tantum nigræ, unde macula magna longitudinalis alba in ala clausa oritur. Remiges nigræ maculis rotundatis albis per paria positis. Gula alba. Jugulum, pectus, abdomen alba, sordida rubigine tincta. Crissum miniaceum. Cauda cuneata Rectricibus rigidis, 2 vel 4. intermediis nigris, immaculatis; laterales versus apicem sordide albæ fasciis nigris.

Femina caret fasciâ occipitis coccinea; Dorsum non tam splendide atrum, sed magis nigro-fuscescens.

HISTORIA.

Habitat in sylvis ubique. Manens. Ictibus citatissimis, quos truncis putridis infligit, etiam eminus se prodit Ova in cavis arboribus 4-6 alba ponit. Vescitur insectis.

LIII. PICUS MEDIUS.

DIAGN: Albo nigroque varius. Dorsum nigrum. Scapulæ macula magna alba. Vertex *maris* et *feminæ* coccineus. Crissum roseum. Pectus et abdominis latera striis nigris.

SYNONYMA.

Picus medius, Lin. Faun. Sv. p. 35. n. 101. Lin. Syst. nat. I. p. 176. n. 18. Gmel. Syst. I. p. 436. Lath. Ind. orn. I. p. 229. n. 14.

Pic varié à tête rouge, Buff. Pl. enl. 611.

Middle Woodpecker, Pen. Brit. Zool. I. p. 244. n. 86. tab. 37. fig. sup. Arct. Zool. II. p. 278. D. Lath. Syn. II. p. 565. n. 13. Suppl. p. 107.

Mittlere Buntspecht, Bechst. Nat. D. 2. p. 516. (fem. ad *P. majorem* pertinet.)

DESCRIPTIO.

Longit. avis $8\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ 14 poll. Rostr. a fronte $\frac{7}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 5 poll. Cauda $3\frac{1}{8}$ poll. Tibia $\frac{7}{8}$ poll. Digit. ant. exter. $\frac{7}{8}$; Digit. postic. inter. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum brevius et debilius, magisque compressum quam antecedentis, basi plumbeum, versus apicem coeruleo nigricans. Iris griseo-alba. Pedes griseo-olivacei.

Frons sordide ferruginescens; vertex coccineus. Gula, jugulum, latera colli et capitis alba fasciâ nigra a sinu oris plerumque orta, in lateribus colli in maculam fere triangularem extensa. Cervix et Dorsum nigra. Scapulæ albæ. Pectus album luteo tinctum et abdomen album rubro tinctum, striis ad latera longitudi-

nalibus nigris. Crissum saturate roseum. Remiges nigræ maculis utrinque albis. Rectrices quatuor intermediæ nigræ immaculatæ, ceteræ versus apicem sordide albæ, nigro maculatæ vel fasciatæ.

HISTORIA.

In sylvis cum præcedente passim. Vescitur insectis. Truncos arborum putridarum scandit et terebrat. Ova in cavis arborum ponit.

LIV. PICUS MINOR.

DIAGN: Albo nigroque varius, dorso albo fasciis nigris. Vertex *maris* ruber, *feminæ* albus. Crissum sordide albidum fusco maculatum.

SYNONYMA.

Picus minor, Lin. Faun. Sv. p. 36. n. 102. Retz. Faun. Sv. p. 104. n. 57. Lin. Syst. nat. I. p. 177. Lath. Ind. orn. I. p. 229. n. 15. Gmel. Syst. I. p. 437.

Picus varius minor, Briss. Orn. IV. p. 41. n. 15.

La petite Epeiche, Buff. Ois. VII. p. 62. Pl. enl. 598.

Lesser spotted Woodpecker, Pen. Brit. Zool. I. n. 87. tab. 37. Arct. Zool. II. p. 278. E. Lath. Syn. II. p. 566. n. 14. Suppl. p. 107.

Kleiner Buntspecht, Bechst. Nat. D. 2, p. 518.

Picus minor, *Lilla Hackspeten*, Sparrm. Sv. Ornith. (fig. bona.)

DESCRIPTIO.

Longit. avis 6. poll. Alæ extensæ II. poll. Rostr. $\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem fere 4 poll. Tibiæ $\frac{4}{8}$ poll. Digit. anter. exter. $\frac{5}{8}$ poll. Digit. post. inter. vix $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum virescenti nigricans. Iris fusco - rufa. Pedes plumbei. Pennæ setaceæ sordide fuscescentes nares tegunt. Frons alba. Vertex carmineus. Occiput, cervix et interscapulium nigra. Ceterum Dorsum album, fasciis angustis nigris. Tempora rufescentia. Latera colli alba fasciâ nigra a sinu oris orta. Subtus avis sordide albo - rubescens. In lateribus striis longitudinalibus, in crisso maculis minutis cordatis fuscis. Alæ compositæ nigræ fasciis albis (circa 6.). Rectrices quatuor intermediæ nigræ, immaculatæ; ceteræ introrsum nigræ, extrorsum oblique - albæ, versus apicem ferruginescentes fasciis nigris. Tectrices caudæ superiores nigræ.

Femina dignoscitur pennis supra basin rostri fuscis, fronte et vertice sordide albis.

HISTORIA.

Manens; ab una tantum in alteram patriæ plagam demigrans. In sylvis frondosis et in fruticetis rarius. Non nisi hyeme in Scania eam vidimus. Ova 7. alba immaculata, fere globosa in cava arbore ponit. Vescitur insectis.

** *Pedibus tridactylis.*

LV. PICUS TRIDACTYLUS.

DIAGN: Albo nigroque varius. Vertex *maris* flavus, *feminæ* albus. Pedes tridactyli.

SYNONYMA.

Picus tridactylus, Lin. Faun. Sv. p. 36. n. 103. Retz. Faun. Sv. 105. n. 58. Lin. Syst. nat. I. p. 177. n. 21. Gmel. Syst. I. p. 439. Lath. Ind. I. p. 243. n. 56.

Epeiche ou Pic varié ondé, Buff. Ois. VII. p. 78. Pl. enl. n. 553. (quartus digitus falso appositus.)
Three-toed Woodpecker, Edw. t. 114. Pen. Arct. Zool. II. p. 168. Lath. Syn. II. p. 600. n. 51. Suppl. p. 112.
Der dreyzehige Specht, Bechst. N. D. 2. p. 521.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $8\frac{1}{2}$-9 poll. Rostr. I. poll. A flexura alæ ad apicem fere 5 poll. Cauda 3 poll. Tibiæ $\frac{7}{8}$ poll. Digit. anter. exter. $\frac{6}{8}$; Digit. post. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum coeruleo-nigricans, basi albidum, validum. Iris fusco-rufa Pedes grisei. Digit. postic. solus, major binis anterioribus.

Frons et vertex flava; occiput nigrum. Latera colli et capitis nigra fasciis duabus albis, quarum una supra, altera infra oculum. Cervix alba. Dorsum nigrum, antice albo immixto. Subtus avis alba lateribus pectoris et abdominis maculis et striis nigris. Crissum sordide albidum lineis transversis nigris. Remiges nigræ margine exteriore et interiore maculis albis, apice albæ. Tectrices nigræ immaculatæ. Rectrices sex mediæ nigræ immaculatæ, sequentes duæ utrinque nigræ, versus apicem albæ fasciis nigris.

Feminæ vertex argenteus, nigro longitudinaliter striatus.

HISTORIA.

Habitat in pinetis rara avis. In Scania nunquam visa. In Smolandia occisam esse certe scio. In Uplandia præterea, Sudermannia et Westrogothia occurrit. Mores mihi nondum bene noti.

GENUS XI.

J Y N X.

Rostrum rectum, teretiusculum, acuminatum.
Nares nudæ, oblongæ, prope se invicem positæ.
Lingua teres, lumbriciformis, longissima, apice mucronata.
Pedes scansorii.

LVI. JYNX TORQUILLA.

DIAGN: Supra grisea maculis punctisque nigris, albis et rufescentibus. Subtus flavescenti-albida lineis transversis et maculis triangularibus nigris.

SYNONYMA.

Jynx Torquilla, Lin. Faun. Sv. p. 34. n. 97. Retz. Faun. Sv. p. 100. n. 52. Lin. Syst. nat. I. p. 172. Gmel. Syst. I. p. 423. Briss. Orn. IV. p. 4. t. I. f. I. Lath. Ind. Orn. I. p. 223.
Torcol, Buff. Ois. VII. p. 84. t. 3. Pl. enl. 698.
Wryneck, Pen. Brit. Zool. I. p. 237. n. 83. tab. 36. fig. inf. Lath. Syn. II. p. 548. t. 24. Suppl. p. 103.
Der Wendehals, Bechst. Nat D. 2. p. 527.
Svecis: Göktyta.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 7. poll. Alæ extensæ II. poll. Rostr. A fronte ad apicem $\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{5}{2}$ poll. Cauda $2\frac{1}{2}$ poll. Tibia $\frac{6}{8}$ poll. Digit. anter. exter. $\frac{7}{8}$ poll. poster. inter. fere. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum griseo-fuscum. Iris luteo-fusca. Pedes plumbeo-virescentes. Cauda longa rotundata rectricibus duodecim, obtusis, quarum extima utrinque brevissima, vix pollicaris.

Caput cinereum maculis minutis nigris et albis ferrugineo immixto. A vertice ad medium dorsum fascia longitudinalis nigra, ferrugineo varia. Ceterum supra grisea, nigro, albo et ferrugineo pulcherrime maculata et variegata. Subtus a gula ad sternum ferruginescente-lutea lineis transversis nigris. Pectus et abdomen alba, luteo tincta, maculis minutissimis, triquetris, nigris adspersa. Remiges saturate fuscæ latere exteriore fasciis ferrugineis et nigricantibus, margine interiore maculis ferrugineo-albis; intimæ dorso concolores. Cauda cinereo et nigro tenuissime variegata lineis 5. nigris transversis, quarum interiores latiores sunt.

HISTORIA.

Migratoria. Advenit initio m. Maji. Habitat in sylvestribus, minus tamen frequens. Verno tempore vox acuta: *Gi, gi, gi!* sæpe auditur. In truncis arborum putridis ova ponit 6-8 alba, splendida. Vescitur insectis et larvis. Caput utrinque contorquet; cristam irata erigit.

GENUS XII.

CUCULUS.

Rostrum subgracile, teretiusculum, aliquantum incurvatum, versus apicem compressum.

Nares parvæ, rotundatæ, nudæ, margine prominulæ.

Lingua plana, integra,

Cauda longa, rotundata.

Pedes scansorii.

LVII. CUCULUS CANORUS.

DIAGN: Supra saturate cinereus, pectore et abdomine albis, undulis nigricantibus. Cauda nigra maculis albis.

SYNONYMA.

Cuculus canorus, Lin. Faun. Sv. p. 33. n. 96. Retz. Faun. Sv. p. 99. n. 50. Lin. Syst. Nat. I. p. 168. n. I. Gmel. Syst. I. p. 409. Briss. orn. IV. p. 105. n. I.

Coucou, Buff. Ois. VI. p. 305. Pl. enl. 811.

Cuckoo, Pen. Brit. Zool. I. p. 232. n. 82. (tab. 36. juniorem refert.) Lath. Syn. II. p. 509. n. I. Sup. p. 98.

Gemeiner Kuckuk, Bechst. Nat. D. 2. p. 484.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 14. poll. Alæ extensæ 2 ped. Rostrum a fronte ad apicem $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 9. poll. Tibia $\frac{6}{8}$ poll. Digit. anter. exter. $1\frac{2}{8}$ poll.; postic. inter. $\frac{1}{2}$ poll. Cauda $6\frac{1}{2}$ poll. extra alas $2\frac{1}{2}$ poll. extensa.

Rostrum nigrum, subtus versus basin virescens. Anguli oris, palpebrarum margo, Iris et pedes pulcherrime flava. Os intus incarnatum. Cauda rotundata rectricibus decem, quarum extima utrinque ceteris multo brevior.

Caput et collum supra, dorsum et alarum tectrices saturate cinerea, Dorso et tectricibus alarum saturatioribus. Subtus a gula ad sternum pallide cinerea. Pectus, abdomen, hypochondria, tectrices alarum inferiores et femora alba lineis transversis nigricantibus. Remiges saturate fuscæ, margine interiore maculis transversis albis. Rectrices nigræ apice albo, intermediæ binæ maculis albis juxta rachin; ceteræ quoque margine interiore maculis minutis albis. Tectrices caudæ longæ, superiores cinereæ, inferiores albæ, luteo tinctæ maculis raris nigricantibus.

Femina: minor, collo subtus cinereo, luteo immixto, undulis fuscis. Abdomen sordide album, undulis fuscis.

Variat admodum pro ætate avis.

Junior, ad finem mens. Augusti occisa: Longit. fere 13 poll. Rostr. supra fuscum, subtus virescens, angulis oris aurantiis. Iris griseo-brunnea. Pedes cum unguibus cerini.

Supra tota saturate fusca Uropygio in cinereum inclinante. Singulæ pennæ apice albo marginatæ. Supra collum et tectrices alarum præsertim rufo transver-

sim variegata. Maculæ albæ supra frontem et in nuchâ. Regio circa oculos fusco alboque tenuiter maculata. Tota subtus sordide alba undulis fuscis, in collo crebrioribus, in pectore et abdomine tenuioribus. Remiges fuscæ margine exteriore maculis rufis, latere interiore maculis transversis intus albis, extus rufis. Cauda saturate fusca maculis ad rachin et in marginibus albis, fasciis præterea obsoletis rufis; pone apicem album fascia lata nigricans. Tectrices caudæ inferiores sordide albæ, immaculatæ.

OBSERV. ANATOMIA.

Oesophagus habet dilatationem musculosam supra cardiam. Neque oesophagus neque ventriculus magis quam in ceteris avibus ruber; (ut dicit Bechst. l. c.) Ventriculus vero intus pilis nigris, adpressis, vestitus; (Larvis plenus.) Pilos hos in adultis nunquam vidimus.

HISTORIA.

Migratoria. In sylvis ubique. Circa medium m. Maji, cum frondescit *Sorbus aucuparia*, in Scaniam redit. Sono læto, æstatis nuntio, statim se prodit. Circa medium Julium silescit. Vescitur insectis et larvis. Nidum nunquam ipsa sibi construit. *ovum* ponit in nidulo *Motacillæ* vel *Sylviæ* cujusdam, quæ illud diligenter fovet, pullumque fideliter cibat.

? LVIII. CUCULUS RUFUS. *Bechst.*

Diagn: Supra rufus fasciis nigricantibus. Cauda rufa, fasciata, pone apicem album fascia lata nigra. Subtus albidus undulis nigricantibus.

SYNONYMA.

Cuculus rufus, Bechst. Nat. D. 2. p. 495. Meyer Vögel Liv-u. Esthl. p. 54.

Cuculus hepaticus, Sparrm. Mus. Carls. III. tab. 55. (fig. mediocris, cauda nimis longa. Specimen depictum in *Mus. Holm.* vidimus; simillimum est ei quod ex *Museo. Lund.* descripsimus.) Lath. Ind. Orn. I. p. 215. n. 25. Retz. Faun. Sv. p. 100. n. 51.

DESCRIPTIO.

Magnitudine, formâ et proportione partium exacte cum præcedente convenit, colore tantum pennarum differt.

Caput, collum, dorsum et tectrices alarum superiores rufo-brunnea fasciis nigricantibus, angustioribus. Uropygium et tectrices caudæ superiores rufa, fere immaculata. Subtus tota avis albida undulis nigricantibus, collo subtus rufo tincto. Remiges exacte ut in *Canoro* juniore, descripto. Rectrices rufæ fasciis nigris, angulum ad rachin formantibus. Maculæ, ad rachin inter fascias, albæ. Pone apicem album fascia lata nigra. Tectrices caudæ inferiores albæ, rufo tinctæ immaculatæ.

OBSERV.

Vix nisi varietas *C. canori*. In omnibus enim præter pennarum colores cum illo convenit, neque tamen in his tam vehementer a juniore *Canoro* discedit. Sunt qui hanc pro femina *canori* habeant, sed perperam. Alii hunc a *canoro* dignoscendum dicunt *ventriculo intus piloso*; sed ventriculum intus pilosum *C. Canorus junior* quoque habet. Vide supra.

LOCUS.

Habitat passim cum præcedente.

ORDO III.
PASSERES, *Lath.*

FAMILIA I.
CONIROSTRES.

Rostrum robustius conicum, acutum mandibulis integris, superiore etiam mobili. *Nares* plumis setosis tectæ. *Pedes* tenues ambulatorii. *victus*: semina, nuclei, rarius insecta.

GENUS XIII.
CRUCIROSTRA, *Meyeri.*

Rostrum robustum, compressum, supra subtusque convexum mandibulis cruciatim curvatis.
Nares rotundatæ, plumis setosis tectæ.
Pedes ambulatorii.

LIX. CRUCIROSTRA PINETORUM. *Mey.*

Diagn: Rostrum valde robustum digito medio brevius. Maxillæ magis aduncæ apicibus obtusioribus; inferiore subtus gibbo-convexa, apice supra dorsum superioris haud adscendente. Color corporis olivaceus vel miniatus.

SYNONYMA.

Crucirostra pinetorum, Meyer Vögel. Liv-und Esthl. p. 71.

Der Kiefern-Kreutzschnabel, Bechst. Nat. D. 2. Aufl. 3. B. p. 20. tab. 32. fig. 2. 3.

Loxia curvirostra major, Gmel. Syst. I. 2. p. 843. γ.

Der grosse Krummschnabel, Otto in Buff. Naturgesch. der Vögel, X. B. p. 48. cum fig.

Loxiæ alia species, Rudb. pict. fol. 100. (cognita igitur jam Rudbeckio nostro ut Species distincta.)

Svecis: Större korsnäbb.

DESCRIPTIO.

Longit. avis fere 7. poll. Maxilla superior $\frac{6}{8}$ poll; inferior $\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 4. poll. Cauda $2\frac{1}{2}$ poll. Tibia $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. 1. poll. Digit. postic. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum corneo-fuscum, crassius et robustius quam sequentis; maxilla inferior præsertim lata et robusta marginibus inflexis, subtus gibbo-convexa, obtusior, apice parum incurvato, dorsum maxillæ superioris haud attingente. Nares rotundatæ ad basin rostri sitæ, pennis setosis pallide rufescentibus tectæ. Oculi magni, eminentes, Iridibus fuscis. Caput pro magnitudine avis magnum. Pedes incarnato-fusci. Cauda bifurca.

Caput, collum et totum corpus sordide miniata. Tectrices caudæ inferiores griseo-fuscæ marginibus latis albis. Remiges et Rectrices subtus pallide griseæ, supra fuscæ marginibus pallidioribus, vel olivaceis vel albidis. Tectrices alarum superiores fuscæ miniato tinctæ.

Mas senior: Sordide olivaceus, vertice, uropygio et gula luteo-olivaceis.

Femina: Saturate grisea capite fusco maculato, dorso olivaceo tincto, uropygio luteo-viridi; abdomine et crisso albidis.

OBSERV.

Pro ætate et sexu valde variat.

LOCUS.

Vivam nondum vidi hanc avem. In Museis vero Holm. Upsal. &c specimina asservantur. Etiam inter aves Rudbeckii pictas occurrit. E Scania et Siellandia receptam sæpe vidi. Unde liquet avem non esse apud nos tam raram, quamvis, cum sequente confusa, nondum diligenter observata fuerit. Est vero distincta Species in Pinetis quærenda, ubi semina e strobilis deligit. Etiam in eo a sequente Specie differt, quod mense Majo ova ponit, testante *Otto.* l. c.

LX. CRUCIROSTRA ABIETINA, *Mey.*

DIAGN: Rostrum minus validum, longitudine digiti medii. Utraque maxilla acuminata, cruciatim exserta; inferioris apice supra dorsum superioris adscendente. Color corporis olivaceus vel luteo-miniatus.

SYNONYMA.

Loxia curvirostra, Lin. Faun. Sv. p. 81. n. 224. Retz. Faun. Sv. p. 232. n. 209. Lin. Syst. nat I. p. 299. I. Gmel. Syst. Nat. I. p. 843. Lath. Ind. Orn. I. p. 370.

Bec croisé, Buff. Ois. III. p. 449. t. 27. fig. 2. vers. Germ. Otto X. p. 21. cum fig. Pl. enl. 218.

Crossbill or Sheld apple, Pen. Brit. Zool. I. p. 319. n. 115. tab. 49. fig. sup. Arct. Zool. II. n. 208. Lath. Syn. III. p. 106. I.

Der Fichten-Kreuzschnabel, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3, B. p. 4. tab. 32. fig. I.

Crucirostra abietina, Meyer Vögel Liv-und Esth. p. 72.

Svecis: Mindre Korsnäbb. Kägelrifvare. Korsskärare.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $6\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{5}{8}$ poll. Cauda $2\frac{3}{8}$ poll. Tibiæ $\frac{5}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll. Digit. postic. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum corneo-fuscum, validum, maxillis longioribus, acuminatis, vel dextrorsum vel sinistrorsum ita cruciatis, ut apex maxillæ inferioris emineat supra dorsum maxillæ superioris. Nares rotundatæ pennis setosis tectæ. Iris avellana. Pedes corneo-fusci unguibus acuminatis, nigricantibus. Cauda bifurca.

Mas senior: Dorsum viride, luteo tinctum; Latera capitis superius ad nucham fusca striis albis; vertex viridi-flavus. Uropygium flavum. Avis subtus viridi-flava. Crissum album maculis fuscis. Remiges et Rectrices subtus pallide griseæ, supra saturate fuscæ marginibus tenuiter olivaceis. Tectrices alarum saturate fuscæ olivaceo tinctæ, majores apice pallide marginatæ.

Mas post primam pennarum mutationem: Dorsum sordide virescens, capite et corpore subtus pallide miniatis. Uropygium miniato-flavum. Crissum griseo-fuscum marginibus pennarum latioribus albis. Remiges et Rectrices ut antecedentis.

Avis junior ante primam deplumationem: Supra fusca marginibus pennarum virescentibus. Uropygium pallide lutescens maculis fuscis; subtus sordide albida striis longitudinalibus fuscis. Remiges et Rectrices ut antecedentes.

HISTORIA.

In sylvis abietinis Sveciæ. In sylvas frondosas et hortos Scaniæ, instante hyeme, (non tamen omnibus annis), gregatim advenit. De hac ave ita habet *Linné* in Faun. Sv: "Habitat in sylvis abietinis, victitans "strobilis Abietis, ubi conos primo dejicit rostro ab ar-"bore liberatos, quotquot unquam valet, dein singu-"lum per se arripit, pedibus tenet uti Psittacus vel "Sciurus, rostri forfice per singulas squamas frangen-"do semina investigat; et quod singulare, magnitudi-"ne et colore omnino abietis conum refert, et structu-"ra rostri ad semina hujus sola edenda creata videtur; "licet et semina Cannabis et baccas Juniperi, Sorbi, "nuces Coryli edere queat. Mira fortitudo parvæ avis, "utpote quæ bacillos ligneos crassitie digiti, brevi mo-"ra levique negotio detruncat."

Supra ramulos superiores pinorum nidum construit. Mensibus hyemalibus ova ponit et pullos excludit.

GENUS XIV.

L O X I A.

Rostrum crassum, conicum, haud compressum, supra subtusque convexum: mandibula inferior margine laterali inflexa.

Nares parvæ, rotundatæ, ad basin rostri sitæ, plumis setosis, brevibus, tectæ.

Pedes ambulatorii.

LXI. LOXIA ENUCLEATOR.

DIAGN: Maxilla superior longior, apice adunco. Linea alarum duplex alba. Cauda nigricans.

SYNONYMA.

Loxia Enucleator, Lin. Faun. Sv. p. 81. n 223. Retz. Faun. p. 234. n. 211. Lin. Syst. Nat. I. p. 299. 3. Lath. Ind. Orn. I. p. 372. Gmel. Syst. I. p. 845.

Gros-bec de Canada, Buff. Ois. III. p. 457. Pl. enl. 135. f. I.

Greatest Bulfinch, Edw. tab. 123. 124. (fig. med.)

Pine Grosbeak, Pen. Brit. Zool. I. p. 317. n. 114. tab. 49. fig. inter. Arct. Zool. II. n. 209. Sup. p. 64. Lath. Syn. III. p. III. n. 5. Suppl. p. 148.

Haaken-Kreuzschnabel, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3. B. p. 28.

Svecis: Svenska; Svensk Papgoja; Nattvaka; *Smolandis perperam:* Waktel.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $7\frac{1}{2}$-8 poll. Rostr. $\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $4\frac{1}{2}$ poll. Cauda 3 poll. Tibiæ $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{7}{8}$ poll.; postic. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum saturate fuscum, subtus basi pallide incarnatum, validum, maxillæ superioris dorso compresso, apice longo dependente, curvato. Nares rotundatæ, pennis setosis nigricantibus tectæ. Lora fusca. Iris — Pedes fusco nigricantes, cauda subbifurca.

Caput et corpus supra viridia marginibus pennarum flavis, præsertim in capite et collo; Uropygium et tectrices alarum minores saturate cinerea viridi tincta. Collum subtus et pectus pallide viridia flavo tincta. Abdomen cinereum. Crissum albidum. Remiges nigricantes margine exteriore tenui albidæ. Utraque series tectricum majorum nigricantes apice albo marginatæ. Rectrices nigricantes margine tenuiter pallidæ.

OBSERV.

Variat ad modum avis pro varia ætate et sexu. Sunt igitur quæ rubræ sint, ubi descripta flava.

variet. α: alba, capite et collo supra, et uropygio lutescentibus, abdomine maculis confertis fuscis. Alæ nigricantes albo maculatæ et striatæ. Cauda nigricans.

Mus. Payk.

HISTORIA.

Habitat in Pinetis superioris Sveciæ; in Scaniam rarissime et nunquam nisi instante frigore, advenit. In quibusdam Smolandiæ plagis interdum hyeme gregatim et copiosa. Vescitur seminibus Pini sylvestris et Abie-

tis, baccarumque Juniperi, Sorbi aucupariæ, Cratægi ariæ &c. Laqueo, baculo alligato, facili negotio a pueris capitur stolida et hebes avis. Mox mansuescit. Bene cantat. In arctois patriæ plagis nidulatur.

LXII. LOXIA COCCOTHRAUSTES.

Diagn. Rostrum validissimum. Dorsum castaneum, maculâ alarum transversa alba. Remiges mediæ apice rhombeæ. Gula nigra.

SYNONYMA.

Loxia Coccothraustes, Lin. Faun. Sv. p. 80. n. 222. Syst. Nat. I. p. 299. Gmel. Syst. I. p. 844. Briss. Orn. III. p. 219. I. Lath. Ind. Orn. I. p. 371. n. 4.

Le Gros-bec, Buff. Ois. III. p. 444. tab. 27. f. I. Pl. enl. 99. IO. vers. Germ. Otto X. p. 5. cum 2. figg.

Haw-Grosbeak, Pen. Brit. Zool. I. p. 316. n. II3. Arct. Zool. II. p. 354. C. Lath. Syn. III. p. IO3. n. 4. Suppl. p. I48. vers. Germ. Bechst. III. p. IO4. n. 4. Edw. I88. (fig. med.)

Der Kirsch-Kernbeisser, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3. B. p. 35.

Svecis: Stenknäck.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 7. poll. Alæ extensæ I2 poll. Rostr. $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 4. poll. Cauda $2\frac{6}{8}$ poll. extra alas $\frac{7}{8}$ poll. extensa. Tibiæ $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{7}{8}$; Digit. postic. $\frac{11}{16}$ poll.

Rostrum crassissimum, conicum, mandibulis subæqualibus, margine aliquantum inflexis; vere et æstate nitide plumbeum, subtus versus basin album; hyeme pallide incarnatum apice nigricante. Nares parvæ rotundatæ ad basin rostri sitæ, plumulis setosis nigris tectæ. Iris albida. Pedes pallide incarnati unguibus griseo-fuscis.

Caput et tectrices superiores caudæ luteo-brunnea, versus frontem pallidius versus occiput obscurius castaneum. Collum supra et ad latera pallide cinereum. Dorsum et pennæ scapulares saturate castanea. Gula, lora et linea circa basin rostri nigra. Ceterum avis subtus pallide incarnato-cinerea, versus crissum in album transiens. Remiges nigræ versus apicem atrocoeruleo nitentes, latere interiore in medio maculâ magna alba; 1-4 apice acutæ; 5-16 apice rhombeo truncatæ. Tectrices minores nigræ; tectrices majores albæ, basi tantum nigræ, intimæ cum intimis Remigibus castaneæ. Rectrices obtusæ, nigræ, latere interiore (latiore) juxta apicem albæ; intermediæ binæ luteo-brunneæ.

Avis junior versus hyemem capta: Rostrum incarnatum apice nigro-fuscum. Caput, latera colli, pectus et hypochondria incarnato-cinerea, capite tamen saturatiore. Gula fusco-nigricans. Abdomen et crissum alba. Remiges nigro-fuscæ margine exteriore cinereo. Fascia alarum sordide alba. Dorsum castaneum.

OBSERV.

Hoc fere colore etiam Femina gaudet.

HISTORIA.

Rara. Migratoria advenit in Scaniam circa vigesimum M. Aprilis, florescente Anemone nemorosa *). Etiam in Hallandia eam vidi. Æstate in sylvis frondosis habitat. Vescitur seminibus et nucleis variarum arborum et fruticum. Cerasos quoque devastat, unde hortis noxia. Nidum in arboribus et fruticibus ponit. Ova 3-5 viridi-cinerea maculis fuscis striisque nigro-coeruleis.

LXIII. LOXIA PYRRHULA.

DIAGN: Caput alæ et cauda nigra. Uropygium album. Dorsum cinereum. *Mas:* subtus ruber; *Femina:* subtus rufescenti-cinerea.

SYNONYMA.

Loxia Pyrrhula, Lin. Faun. Sv. p. 81. n. 225. Retz. Faun. Sv. p. 235. n. 212. Lin. Syst. I. p. 300. 4. Gmel. Syst. I. p. 846. Briss. Orn. III. p. 308. n. I. Lath. Ind. Orn. I p. 387.

Bouvreuil, Buff. Ois. IV. p. 372. t. 17. Pl. enl. 145.

Bulfinch, Pen. Brit. Zool. I. p. 320 n 116. Arct. Zool. II. p. 353. A. Lath. Syn. III. p. 145. n. 51. Suppl. p. 152.

Der rothbrüstige Gimpel, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3. B. p. 55.

Svecis: Domherre.

var. α: Loxia Flamengo, Gmel. Syst. I. p. 864. n. 92.

---

*) Neque tamen omnes e Scania demigrant. Hoc ipso anno ad finem M. Januarii avis hujus speciei in horto juxta Lund occisa erat et ad me delata.

Flamengo Grosbeak, Lath. Syn. Suppl. p. 155.
Svecis: Domherre.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 6½ poll. Rostr. ½ poll. A flexura alæ ad apicem 3⁶⁄₈ poll. Cauda 2⁶⁄₈ poll. Tibiæ ⁶⁄₈ poll. Digit. med. ⁶⁄₈ poll.; postic ½ poll.

Rostrum breve, crassum, convexo-conicum, nigrum, maxilla inferior marginibus inflexis, superior aliquantum longior apice acuto. Nares rotundatæ, parvæ, ad basin rostri sitæ, plumis setosis nigris tectæ. Iris brunnea. Pedes nigri.

Pileus, genæ et mentum nitide atra. Cervix, Dorsum et scapulæ coeruleo-cinerea. Uropygium album. Collum antice et ad latera, Pectus et pars posterior abdominis pulcherrime carminea. Pars posterior abdominis, crissum et tectrices inferiores alarum et caudæ, albæ. Remiges nigricantes, interiores atro-coeruleo nitentes; intima latere exteriore rubra. Tectrices majores nigræ atro-coeruleo nitentes, apicibus cinereo-albis. Cauda cum tectricibus superioribus nigra, atro-coeruleo nitens.

Femina: distinguitur Dorso cinereo, fusco tincto; Corpore subtus rufescenti-cinereo; pedibus fuscis.

var. α: Dorsum album postice maculis raris fuscescentibus. Cauda alba lateribus longitudinaliter fuscescentibus. Remiges 4-5 extus nigræ, ceteræ albæ. Caput supra album rubro tinctum. Collum, pectus, abdomen pallide-miniata, albo tincta. *L. Flamengo* Mus. Carls. I. t. 17.

OBSERV.

Hoc idem Specimen, quod ære incidendum curavit Ill. Carlson l. c., in Museo Paykulliano adhuc asservatur. Per litte-

ras a Beat. Dr. *Lindroth* datas, scio, hanc avem fuisse in cavea inclusam, ibique pennas mutasse.

variet. β. Tota nigra, linea alarum longitudinali et tectricibus caudæ inferioribus albis. Mus. Payk.

HISTORIA.

Habitat æstate in Svecia superiore; hyeme Scaniæ sylvas et hortos visitat, tuncque baccis Sorbi aucupariæ præcipue delectatur. Avis familiaris et maxime docilis. Cicurata varias melodias cantare discit. Amoris erga conjugem multa exstant exempla. Nidulatur in sylvis acerosis. Ova 3-6 coerulescenti-alba, fusco maculata.

LXIV. LOXIA CHLORIS.

DIAGN: Flavicanti-virescens, remigibus primoribus antice luteis; rectricibus quatuor lateralibus basi luteis.

SYNONYMA.

Loxia chloris, Lin. Faun. Svec. p. 82. n. 226. Retz. Faun. Sv. p. 236. n. 213. Lin. Syst. I. p. 304. n. 27. Gmel. Syst Nat. I. p. 854. Briss. Orn. III. p. 190. n. 54. Lath. Ind. I. p. 382. n. 39.

Le verdier, Buff. Ois. IV. p. 172. t. 15. Pl. enl. 267. f. 2.

Greenfinch, Pen. Brit. Zool. n. 117. Arct. Zool. II. p. 353. B.-Lath. Syn. III. p. 134. n. 36. Suppl. p. 152.

Der grüne Kernbeisser oder Grünling, Bechst. N. D. 2 Aufl. 3. B. p. 45.

Svecis: Gröning.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 6 poll. Alæ extensæ 10 poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{2}{8}$ poll. Tibia $\frac{5}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{5}{8}$ poll. Digit. postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum supra incarnatum subtus pallidum; Nares rotundatæ plumulis setosis, parvulis tectæ. Iris fusca. Pedes fusco-incarnati, unguibus fuscis.

Supra olivacea cinereo immixto, fronte, superciliis et uropygio viridi-flavis. Subtus viridi-flava, ita tamen ut collum subtus et pectus magis sint viridia, abdomen magis flavum. Crissum et inferiores caudæ tectrices alba, flavo tincta. Remiges nigricantes, margine interiore, præsertim versus basin albæ; primores latere exteriore a basi versus apicem dilute flavæ, secundariæ extus cinereæ, basi virides. Tectrices alarum minores olivaceæ, margine alæ, et tectricibus inferioribus pallide flavis. Cauda bifurca, nigricans rectricibus quatuor lateralibus utrinque a basi ultra medium dilute flavis, apice cinereo marginatis, ceteris versus basin olivaceo-, versus apicem cinereo-marginatis. Tectrices superiores longæ cinereæ, versus basin olivaceæ.

Femina: Supra griseo-fusca uropygio luteo-viridi; subtus fusco-cinerea pectore et abdomine viridi-flavo immixto. Crisso sordide albo.

var. α: Tota alba. Mus. Lund.

HISTORIA.

Æstate avem in Scania non vidi, autumno autem et hyeme *) solitariam et per familias inveni. Nidum

*) Illam quoque in Hallandia, sub 57° lat. mense Januarii, frigore rigidissimo et nive altissima 1814, inter frutices Juniperi et Carduorum semina legentem vidi. Hoc eam ob caussam adfero, quia cel. Bechst. l. x. p. 50. observarit hanc avem, frigore duro, niveque alta, Germaniam relinquere australiores terras petituram.

in arboribus et fruticibus construere dicitur. Ova 4-6 pallide argentea, punctis fuscis et violaceis. Vescitur seminibus Cardui, baccarum Juniperi, Lini, Canabis &c. Mox cicuratur. Docilis avis. Cantus maris haud insuavis.

GENUS XV.

FRINGILLA.

Rostrum conicum, rectum, acuminatum, (non tam crassum aut convexum ac antecedentis generis.) maxillis subæqualibus, integris.

Nares parvæ, subovatæ, plumulis setosis tectæ.

Pedes ambulatorii.

LXV. FRINGILLA NIVALIS.

DIAGN: Supra fusca capite et collo cinereis, subtus alba. Remiges secundariæ tectricesque albæ. Rectrices laterales niveæ, intermediæ fuscæ, albo marginatæ.

SYNONYMA.

Fringilla nivalis, Lin. Syst. Nat. I. p. 321. n. 21. Gmel. Syst. I. p. 911. Briss. Orn. III. p. 162. t. 15. fig. I. Lath. Ind. Orn. I. p. 440. n. 19.

Snow Finch, Lath. Syn. III. p. 264. n. 15. vers. Germ. Bechst. III. p. 259. n. 15.

Pinçon de neige ou Niverolle, Buff. Ois. IV. p. 136. vers. Germ. Otto XI. p. 142.

Der Schneefink, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3. B. p. 136. tab. XI. Mus. Payk.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circa $7\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{1}{2}$ poll A. flexura alæ ad apicem fere 5. poll. Cauda $2\frac{1}{2}$ poll. Tibiæ 1. poll. Digit. med. $\frac{7}{8}$ poll. postic. $\frac{6}{8}$ poll. Unguis posticus $\frac{7}{16}$ poll. modice curvatus.

Rostrum luteum, maxilla superiore apice supra longitudinaliter nigra. Pedes fusci.

Caput et collum cinerea, fusco tincta, capite superne et auris regione saturatioribus. Gula et jugulum albida. Dorsum et alarum tectrices minores fusca, cinereo marginata. Pectus et abdomen cinereo-alba, luteo levissime tincta. Remiges nigricantes, latere exteriore tenuissime pallidæ; 1-3 immaculatæ; 4-7 apice albæ; 8 intus dimidiato oblique alba; 9-15 totæ niveæ; intimæ colore dorsi. Tectrices proximæ Remigum primorum niveæ apicibus nigris. Cauda subbifurca, Rectricibus apice obtusis. Laterales 1-1. totæ niveæ; 2-2; 3-3; 4-4. niveæ apicibus fuscis; 5. 5.-6. 6. fuscæ marginibus et apice pallidioribus. Tectrices caudæ inferiores albæ, apice fuscescentes.

OBSERV.

Cel. Bechstein l. c. dicit gulam maris esse nigram, albo maculatam. Descriptum itaque specimen forte est *femina*.

LOCUS.

E Norrlandia recepit avem Nobiliss. Paykull.

LXVI. FRINGILLA MONTIFRINGILLA.

DIAGN: Alarum basis subtus flava. Pectus et Scapulæ fulvo-ferruginea. Rectrices nigricantes, extima versus basin extus alba.

SYNONYMA.

Fringilla Montifringilla, Lin. Faun. Sv. p. 85. n. 233. Retz. Faun. 244. n. 221. Lin. Syst. Nat. I. p. 318. n. 4. Gmel. Syst. I. p. 902. Briss. Orn. III. p. 155. Lath. Ind. Orn. I. p. 439.

Le Pinçon d'Ardenne, Buff. Ois. IV. p. 123. vers. Germ. Otto X. p. 115. 127. Pl. enl. 54. f. 2.

The Brambling, Lath. Syn. III. p. 261. n. 13. vers. Germ. Bechst. III. p. 254. n. 13. Pen. Brit. Zool. I. p. 337. n. 126. Arct. Zool. II. p. 381. E.

Der Bergfink, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 3. B. p. 97.

Carduelis Lulensis, Rudb. pict. fol. 88. fig. sup. unde

Fringilla Lulensis, Lin. Faun. Sv. p. 86. n. 234. Retz. Faun. Sv. 245. Icon. fig. 2. Lin. Syst. I. p. 318. Gmel. Syst. I. p. 902.

Svec: Bergfink. Norrquint.

OBSERV.

Rudbeckii *Carduelis Lulensis*, unde *Fring. Lulensis* Lin. desumta, nulla alia est quam *Fr. montifringilla*, ne varietas quidem. Sed figura in Retzii Fauna minus fideliter reddita.

DESCRIPTIO.

Longit. avis. $6\frac{1}{2}$ poll. Rostr. fere $\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{5}{8}$ poll. Cauda $2\frac{5}{8}$ poll. Tibiæ $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$; postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum basi flavum, apice fuscum. In juniori ave supra corneo-fuscum, versus basin fusco lutescens, subtus flavum apice fuscum. In senioribus supra albidum, subtus pallide luteum, apice tantum fuscum. Iris fusca. Pedes fusco-incarnati.

Variat admodum pro varia ætate et sexu:

Mas adultus: Caput supra et ad latera nigrum, marginibus pennarum rufis. Collum supra et ad latera palli-

de cinereum. Supra utrumque oculum et ad latera cervicis utrinque usque ad Dorsum decurrit fascia nigra. Dorsi pennæ versus basin cinereæ, versus apicem nigræ marginibus latioribus rufis, unde Dorsum rufum maculis nigris. Uropygium album ad latera nigrum. Pennæ scapulares, Gula, jugulum et superior pars pectoris rufo-ferrugineæ. Ceterum pectus, abdomen et crissum alba. Alæ supra nigræ tectricibus minoribus fulvis. Tectrices majores utriusque ordinis nigræ apicibus fulvescenti-albis. Remiges nigræ margine interiore a basi albæ, margine exteriore tenuius viridi-flavæ; intimæ quatuor rufo extus latius marginatæ; 4-15. macula alba latere exteriore infra medium. Tectrices inferiores pulcherrime flavæ. Cauda bifurca nigra, rectrice extima utrinque versus basin extus alba, quæ albedo usque ad apicem oblique per rectricem continuatur. Intermediæ binæ latius cinereo-luteo marginatæ (sæpius) ceteræ tenuissime luteo-viridi marginatæ.

Femina forte junior: Caput cinereum rufo tinctum, stria nigricans supra utrumque oculum ad latera cervicis ducta. Cervix et latera colli cinerea. Dorsum nigricans marginibus pennarum latioribus saturate rufis. Gula Pectusque superius pallide cinereo-rufa. Scapulæ rufæ. Striæ binæ alarum obliquæ, pallide rufæ (non albæ ut in Mare) cet. anteced.

Mas annosus: Caput et collum superne lateribusque nitide nigra. Dorsum nigrum marginibus pennarum tenuibus rufis. Gula, jugulum, superius pectus et scapulæ luteo-rufa. Tectrices alarum minores, superiores, pulcherrime fulvæ, inferiores flavæ. Pectus inferius et abdomen alba. Crissum albo-rufescens.

var. α: In ceteris *Montifringillæ juniori* similis, sed habet maculam pectoris transversam, semilunarem, nigram.

Mus. Payk. e Lapponia.

HISTORIA.

Habitat æstate in Norrlandiæ et Lapponiæ sylvis. Autumnali et verno tempore transmigrans, in agris Scaniæ inter *Fr. coelibes* gregaria obvenit. Abit itaque post medium Octobrem; redit initio M. Aprilis. Hieme non occurrit. Vescitur seminibus. Facile cicuratur, nec tamen bene cantat.

LXVII. FRINGILLA COELEBS.

DIAGN: Dorsum castaneum uropygio luteo-viridi. Alæ nigræ fasciis versus basin binis obliquis albis. Rectrices nigræ extimis duabus oblique albis.

SYNONYMA.

Fringilla coelebs, Lin. Faun. Sv. p. 85. n. 232. edit. Ima p. 76. n. 200. fem. Retz. Faun. Sv. 243. n. 220. Lin. Syst- I. p. 318. n. 3. Gmel. Syst. Nat. I. p. 901. Briss. Orn. III. p. 148. 36. Lath. Ind. Orn. I. p. 437. n. 12.

Le Pinçon, Buff. Ois. IV. p. 109. f. 4. Pl. enl. 54. fig. I.

Chaffinch, Pen. Brit. Zool. I. p. 335. n. 125. Arct. Zool. II. p. 381. F. Lath. Syn. III. p. 257. 10. vers. Germ. III. p. 250. n. 10. Suppl. p. 165.

Gemeiner Fink, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3. B. p. 75.

Svecis Bofink.

DESCRIPTIO.

Longit. avis fere $6\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ $10\frac{1}{2}$ poll. Rostr. fere $\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{2}{8}$; Cauda $2\frac{4}{8}$; Tibia $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{4}{8}$; Digit. postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum hyeme pallidum, fere album, apice corneo-fusco; verno autem et æstivo tempore obscure coeruleum. Nares rotundatæ plumulis setosis tectæ. Iris castanea. Pedes incarnati, digitis obscurioribus. Cauda bifurca.

Caput supra cinereo-coeruleum fronte nigra. Latera capitis ferruginea. Gula, jugulum, pectus et hypochondria incarnato-brunnea, colore versus crissum in album tendente. Dorsum et Scapulæ castanea, olivaceo tincta; uropygium viridi-luteum. Remiges nigræ, margine interiore a basi albo, exteriore tenuiter viridi-flavo, tribus primis exceptis omnes versus basin latere exteriore maculâ alba notatæ. Tectrices *breviores* albæ, basi tantum nigræ; *longiores* nigræ apice albo, unde striæ binæ obliquæ in ala clausa. Tectrices inferiores albæ. Rectrices nigræ; I. I. extus dimidiato oblique albæ, latere exteriore versus apicem fusco; 2. 2. maculâ apicis magnâ, cuneiformi, albida. Intermediæ binæ griseo-fuscæ.

Femina: Caput et collum supra griseo-fusca. Latera capitis, collum antice et pars superior pectoris rufo-cinerea; cetera pars pectoris, abdomen et crissum albida, Rostrum vere cinereo-fuscum, hyeme albidum.

HISTORIA.

In Sylvis ubique frequens. Plurimæ dimigrant instante frigore. Medio M. Martis peracto redeunt et ab uno in alterum hortum per familias volitant. Ineunte M. Aprili, coelo sereno cantum lætum, verisque nuntium, ex arboris cacumine modulari incipiunt. Mensibus vero insequentibus horti et luci et sylvæ sonos lenes et dulces undique resonant. Nidum pulcherrimum, semiglobosum in ramo arboris ponunt. Ova 4-5. pallide virescenti-coerulea, punctis striisque fu-

scis. Prolem teneram Insectis alunt. Vescuntur praeterea granis variae speciei, seminibus betularum, alnorum &c. glandibus fageis &c. Collecta messe, agros Scaniae innumerabilibus fere gregibus visitant. Hyeme instante, australiores terras sensim petunt. Paucae tantum, nec mares soli, nobiscum hibernant.

LXVIII. FRINGILLA DOMESTICA.

Diagn: Caput supra griseum. Dorsum rufo-brunneum maculis nigris. Remiges et Rectrices saturate fuscae. Fascia alarum alba, solitaria.

SYNONYMA.

Fringilla domestica, Lin. Faun. Sv. p. 88. n. 242. Retz. Faun. Sv. p. 249. n. 228. Lin. Syst. Nat. I. p. 323. n. 36. Gmel. Syst. I. p. 925. Lath. Ind. Orn. I. p. 434. n. I.

Passer domesticus, Briss. Orn. III. p. 72. n. I.

Le Moineau franc, Buff. Ois. III. p. 474. t. 29. f. I. vers. Germ. Otto X. 124. cum. fig 2.

House Sparrow, Pen. Brit. Zool. I. p. 338. n. 127. Arct. Zool. II. p. 382. G. Lath. Syn. III. p. 248. n. I. vers. Germ. Bechst. III. p. 242. n. I. Suppl. p. 163.

Haussperling, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3. B. p. 107.

Svecis: Gråsparf, Gråspink. *Husfink.*

DESCRIPTIO.

Longit. avis fere 6. poll. Alae extensae 8½ poll. Rostr. ½ poll. A flexura alae ad apicem 3 poll. Cauda 2⅛ poll. Tibiae ⅝ poll. Digit. med. ⅝ poll.; postic. ½ poll.

Rostrum crassum, supra fuscum, subtus basi flavum; hyeme supra fusco incarnatum. Nares rotundatæ, plumulis setosis tectæ. Iris griseo-lutea. Pedes pallide griseo-fusci, digitis subtus sordide luteis. Cauda aliquantum bifurca.

Caput supra cinereum rufo tinctum; pone oculum fascia rufo-fusca, postice, ad latera cervicis, latior. Macula circa oculos nigra. Supra oculos lineola alba. Dorsum et Scapulæ rufo-brunnea maculis longitudinalibus nigris. Uropygium et tectrices caudæ grisea, rufescenti tincta. Gula et jugulum usque ad sternum nigra pennis cinereo marginatis. A maxilla inferiore ad latera juguli stria albida. Pectus et Hypochondria pallide grisea, rufo-tincta. Abdomen albidum. Crissum griseum marginibus pennarum albidis. Remiges saturate fuscæ, primores tenuius, secundariæ latius rufo-brunneo extus marginatæ. Tectrices *minores* alarum saturate rufæ. *penultimæ* nigræ apicibus albis; proximæ nigræ rufo-brunneo latius marginatæ. Rectrices saturate fuscæ rufescenti tenuiter marginatæ.

Femina: Caput rufo griseum. Supra oculos linea albida postice latior. Fascia alarum rufescenti-alba. Tota subtus sordide griseo-albida.

var. α. Fringilla candida plumis ac pennis omnibus, rostro, pedibus digitisque albis. Mus. Carls. I. t. 20.

var. β. Tota sordide alba. Mus. Payk.

var. γ. varia, pennis albis ubique immixtis. Capta ad Lund, initio Mens. Maji.

var. δ. Supra pallide fusco ferruginescens, subtus et cauda albida, sordide lutescenti tincta. Rostr. et pedes albi. Mus. Payk.

var. ε. Caput, collum et tota avis subtus sordide alba luteo tincta. Remiges fasciâ superiore alba, altera lu-

tea. Cauda fusca rectricibus lateralibus dimidiato oblique albis.

var. ζ. Alæ fasciis binis albis, obliquis, quarum superior major. Remiges et Rectrices tenuiter albo marginatæ. *Fem.* Mus. Upsal.

HISTORIA.

Juxta domicilia hominum ubique. Permanens. Cantus haud quidem amoenus est; pendentibus tamen alis, expansâque et erecta caudâ, circa thori sociam saliens, garritu læto: *Dip, dack, dack! Zitschischi!* ver instans celebrat. Coitus cupidissima avis. Nidulatur jam ad finem Mens. Martis; sub tectis, in murorum rimis, in arborum cavis. Etiam nido Hirundinis interdum potitur. Ova 5-6, rarius 7-8, virescenti alba, punctis fuscis. Vescitur insectis et seminibus.

LXIX. FRINGILLA MONTANA.

DIAGN: Caput et collum supra rufo-fusca. Dorsum maculis ferrugineis et nigris. Remiges et Rectrices saturate fuscæ. Lineæ alarum binæ, albæ.

SYNONYMA.

Fringilla montana, Lin. Faun. Sv. p. 88. n. 243. Retz. Faun. p. 250. n. 229. Lin. Syst. I. p. 234. n. 37. Gmel. Syst. I. p. 925. Lath. Ind. I. p. 433. n. 2.

Passer montanus, Briss. Orn. III. p. 79. 2.

Le Friquet, Buff. Ois. III. p. 489. t. 29. fig. 2. Vers. Germ. Otto X. p. 163. cum fig. Pl. enl. 267. f. I.

Tree or mountain Finch, Pen. Brit. Zool. I. p. 339. n. 128. tab. 52. fig. sup. Arct. Zool. II. p. 246. Lath. Syn. III. p. 252. n. 2. Suppl. p. 163.

Feldsperling, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3. B. p. 124.
Svecis: Fältsparf. Trädsparf.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 5½ poll. Alæ extensæ 8½ poll. Rostr. ⅜ poll. A flexura alæ ad apicem 2⁶⁄₈ poll. Cauda 2⅛ poll. Tibia ⁶⁄₈ poll. Digit. med. ⅝ poll. Digit. postic. ½ poll.

Rostrum nigro-fuscum, basi imprimis subtus luteum. Iris castanea. Pedes sordide incarnati. Cauda æqualis.

Caput supra et cervix pulchre rufo-fusca (castanea). Latera capitis alba macula nigra. Circa collum torques albus, in cervice interruptus. Dorsum anticum et Scapulæ griseo-ferrugineæ maculis nigris. Dorsum posticum fusco-griseum, immaculatum. A gula nigra decurrit stria concolor. Latera gulæ et juguli alba. Pectus pallide cinereum (argenteum). Abdomen album. Crissum sordide album, griseo-fusco maculatum. Hypochondria fusco grisea. Remiges saturate fuscæ, primores interrupte-, secundariæ continuo-extus ferrugineo marginatæ. Tectrices *minores* alarum basi rufæ; *penultimæ* nigræ apicibus albis; *proximæ* nigræ marginibus ferrugineis apicibus albis. Rectrices saturate fuscæ grisescenti-luteo marginatæ.

Femina: Capite supra pallidiore, maculâ gulæ et laterum capitis nigra, minor.

HISTORIA.

In hortis, senticetis et fruticetis juxta agros. Numerosior, in Scania saltem, quam antecedens. Semper gregaria excepto propagationis tempore. Hibernat nobiscum. Nidulatur in cavis arboribus ex. gr. Sa-

licibus, Malis &c. Ova 5-7. albo grisea, maculis rufis et fuscis. Vescitur insectis et seminibus.

LXX. FRINGILLA CANNABINA.

DIAGN. Remiges primores Rectricesque nigræ utroque margine albæ. Pectus *maris senioris* sanguineum; *feminæ* sordide flavescens striis fuscis.

SYNONYMA.

Fringilla cannabina, Lin. Faun. Sv. 87. n. 240. Retz. Faun. Sv. p. 247. n. 226. Lin. Syst. Nat I. p. 322. n. 28. Gmel. Syst. I. p. 916. Lath. Ind. I. p. 458. n. 82.

Linaria rubra major, Briss. Orn. III. p. 135. 30. (senior).

Linaria, Briss. Orn. III. p. 131. n. 29. (mas senior.)

Fringilla Linota, Gmel. Syst. I. p. 916. Lath. Ind. I. p. 457. n. 81.

La grande Linotte des Vignes, Buff. Ois. IV. p. 58. vers. Germ. Otto XI. p. 5. Pl. enl. 485. f. I.

La Linotte, Buff. Ois. IV. p. 58. t. I. Pl. enl. 151. f. I.

Greater Redheaded Linnet or Redpole, Pen Brit. Zool. I. p. 343. n. 131. tab. 54. Arct. Zool. II. n. 261. Lath. Syn. III. p. 304. n. 74. vers. Germ. Bech. III. p. 294. n. 74. Sup. p. 167.

Linnet, Pen. Brit. Zool. I. p. 342. n. 130. Lath. Syn. III. p. 302. n. 73. vers. Germ. Bechst. III. p. 291. n. 73.

Gemeiner Hänfling, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3. B. p. 141.

Svecis: Hämpling.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $5\frac{1}{2}$-6 poll. Alæ extensæ $9\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{1}{8}$; Cauda $2\frac{5}{8}$ poll. Tibia $\frac{5}{8}$; Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll. Digit. post. $\frac{1}{2}$ poll. Cauda extra alas extensa I. poll.

Rostrum basi crassum, teres, apice acutum maxillis subæqualibus, supra coeruleo-nigrum, subtus griseo-incarnatum apice nigricante. Nares parvæ rotundatæ, plumulis tectæ. Iris saturate castanea. Pedes incarnato-fusci, unguibus nigris.

Pro ætate et anni tempestatibus variant admodum mares:

Mas senior verno tempore:

Frons sanguinea marginibus pennarum (interdum) pallidis. Ceterum caput cinereum, circa oculos et ad latera colli macula albida. Dorsum, scapulæ et alarum tectrices minores fusco-rufa. Gula et collum antice alba luteo tincta striis longitudinalibus fuscescentibus. Pectus sanguineum pennis tenuissime albido marginatis. Ceterum tota subtus alba, pone pectus sanguineum et in hypochondriis luteo-tincta. Remiges nigræ margine interiore albæ; primores I-4. tenuius, 5-9 latius margine exteriore fere ad apicem albæ; secundariæ apice albo marginatæ, latere exteriore griseo-rufescentes. Tectrices proximæ latere interiore nigræ, exteriore pallide-rufæ. Cauda bifurca, Rectricibus nigris utroque margine albis. Tectrices superiores nigræ marginibus latius albis.

Mas autumni tempore:

Frontis et pectoris sanguineus color vix conspicitur nisi sejunctis pennis. Margines enim sordide albidæ latiores sunt. Cervix et colli latera cinerea, capite supra maculis nigricantibus. Dorsum saturate fuscum marginibus pennarum rufescentibus. Tectrices caudæ

superiores albo - rufescentes striâ ad rachin nigra. Rectrices duæ intermediæ rufescenti - marginatæ. Ceterum ut antecedens.

Femina:

Caput cinereum supra striis longitudinalibus saturate fuscis. Dorsum fusco - rufum marginibus pennarum pallidioribus, rachibus saturatioribus. Subtus sordide lutescenti - alba striis in pectore et hypochondriis griseo - fuscis. Remiges et rectrices ut in mare.

HISTORIA.

Haud rara. Aestate in fruticetis habitat; hyeme arva frequentat. Aliæ manent, aliæ demigrant. Hæ per familias redeuntes, jam medio M. Martis de arboribus hortorum cantant; Cantus egregius. Nidificant in fruticetis et inter arborum minorum ramulos. Ova 4-6. coerulescenti - alba punctis striisque incarnatis. Victitant seminibus. Facile cicurantur.

LXXI. FRINGILLA FLAVIROSTRIS, Lin. Faun. Sv.

(Tab: IV)

DIAGN: Supra nigricans marginibus pennarum rufescenti - luteis; subtus rufescenti - lutea pectore maculis fuscis. Abdomen album. Remiges et rectrices nigricantes. Rectrices et intermediæ Remiges albo marginatæ.

SYNONYMA.

Fringilla fusca rostro flavicante. Sved. Riska. Rudb. av. pict. fol. 58. unde.

Fringilla flavirostris, Lin. Faun. Sv. p. 87. n. 239. Pallas. Iter II. p. 710.
The Twite, Pen. Brit. Zool. I. p. 346. n. 133. tab. 53. Arct. Zool. II. p. 380. C; vers. Germ. II. p. 354. C. Lath. Syn. III. p. 307. n. 76. var. A. vers. Germ. III. p. 297. n. 76. var. A.
Graa Irisk, Leems Finm. p. 256.

OBSERV.

Hallucinantur plerique Ornithologi de Synonymia hujus avis. Brisson et Buffon varietatem putant Fring. coelibis, quo nihil falsius. Cum scriberet *cel. Retzius* Faunam Svecicam, nondum nec. *F. flavirostrem* nec *Iconem Rudbeckianam* viderat. Ab imitatione vero hujus iconis, ab *Assess. Lindroth* male factâ, et a Descriptione Linnei mancâ seductus, avem pro femina *Fr. Linariæ* habuit. Cum vero avem ipsam postea vidit, illam esse distinctam speciem, ipse monuit. Figura autem Lindrothiana nec *flavirostrem*, nec *Linariam* bene refert. Icon Rudbeckii, quam ipse vidi, melior est. Frischs Vögel Deutschl. Hafniae quondam vidi, et ni memoria vehementer fallit, *Linaria* ejus *pectore subluteo*, Tab. X. f. I., quam ad cannabinam refert Bechst. hæc ipsa est *flavirostris.* Rostrum enim parvum, luteum, huic bene, minime vero *cannabinæ* competit. A Pennant bene descripta est l. l. cc. nomine *Twite*, quam tamen avem *Fringillæ montium* varietatem facit Latham. Quænam sit avis *Fr. montium* Lath. (montana Briss.) nescio; in omnibus tamen cum Bechsteinio consentire non possum. *Cel. Pallas* l. c. dicit: *in pectore summitatibus pennarum sæpe puniceo variantibus* &c. Hoc sine dubio non nisi æstate fit; quod ego tamen non observavi, quamvis avem per totum annum in cavea habui.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $5\frac{3}{8}$ poll. Alæ extensæ $9\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{4}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 3. poll. Cauda $2\frac{5}{8}$ poll; extra alas extensa $1\frac{2}{8}$ poll. Tibiæ $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{5}{8}$ poll.; postic. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum breve teretiusculum acutum, mandibulis æqualibus, flavum apice nigricante. (In feminae rostro stria longitudinalis nigricans a basi ad apicem superne ducta.) Nares rotundatæ plumis setosis testaceis, tectæ. Iris fusca. Pedes maris nigri, feminæ fusci. Cauda bifurca.

Caput, collum, dorsum, scapulæ, uropygium supra nigro-fusca pennis rufescenti-luteo (sordide fulvo) marginatis. Uropygium *maris* præterea rubicundo colore tinctum. Gula, jugulum, pectus et Hypochondria rufescenti-lutea (sordide fulva) pectore superiore et hypochondriis fusco maculatis. Abdomen et crissum alba, immaculata. Remiges nigræ margine interiore a basi albidæ, (1-4 fere æquales, ceteris longiores; 8-15 apice emarginatæ.) primæ quatuor margine exteriore tenuissime pallidæ; sequentes quinque (5-9) margine exteriore latius albæ; secundariæ apice albido marginatæ. Remiges subtus pallide cinereæ, Tectrices superiores *minores* suturate fuscæ rufescenti obsolete marginatæ; *Tectrices* longiores (proximæ) saturate fuscæ apicibus rufescenti-albis. Rectrices nigro-fuscæ margine exteriore tenuius, interiore latius albæ; par intermedium utroque margine rufescenti-luteo. Tectrices caudæ inferiores griseo-fuscæ, albo latius marginatæ.

HISTORIA.

Arctoarum regionum incola, frigore intenso australiores interdum Patriæ plagas petit. Omni fere hyeme gregaria obvenit in Scania prope Lund, ibique capitur cum congeneribus. In Siælandiâ captam quoque vidimus. In Mus. Upsal. specimen ex Uplandia asservatur. Stupida et mansueta avis, captu facillima. Seminibus Brassicæ et Sinapis arvensis, aliisque quæ hye-

me supersunt, delectatur. Facili negotio cicuratur. Cantus vero haud gratus, nimis enim garriens et stridulus.

LXXII. FRINGILLA LINARIA.

Diagn: Vertex coccineus, gula nigra; Remiges et Rectrices nigro-fuscæ, fasciis alarum binis albidis.

SYNONYMA.

Fringilla Linaria, Lin. Faun. Sv. p. 87. n. 241. Retz. Faun. Sv. p. 248. n. 227. Lin. Syst. Nat. I. p. 322. n. 29. Gmel. Syst. I. p. 917. Lath. Ind. I. p. 82. n. 83.

Linaria rubra minor, Briss. Orn. III. p. 138. n. 31.

Sizerin ou petite Linotte des vignes Buff. Ois. IV. p. 216. vers. Germ. Otto XI. p. 309. cum. fig. Pl. enl. 151. fig. 2.

Lesser red-headed Linnet or Redpole, Pen. Brit. Zool. I. p. 344. n. 132. t. 54. Arct. Zool. II. n. 262. Lath. Syn. III. p. 305. 75. vers. Germ. Bechst. III. p. 295. n. 75.

Bergzeisig, Bechst. Nat- D. 2te Aufl. 3. B. p. 231.

Svecis: Gråsiska. Iris. Winterhämpling.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $5\frac{3}{8}$ poll. Rostr. $\frac{2}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem fere 3. poll. Cauda $2\frac{1}{8}$ poll. Tibia $\frac{5}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{1}{2}$ poll. Digit. post. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum breve, acutum valde compressum, flavum, supra et subtus stria longitudinali nigra. Nares rotundatæ, pennis setosis, longioribus, numerosis, ru-

fescentibus plane tectæ. Iris castanea. Tibiæ nigro-fuscæ digitis et unguibus nigris.

Vertex coccineus fronte grisescente, albido irrorata. Occiput, cervix, dorsum, scapulæ, uropygium albida maculis longitudinalibus nigro-fuscis, i. e. singula penna nigro-fusca lutescenti-albo marginata. Latera capitis, collique et pectus albida luteo tincta maculis parvis fuscis. (Pectus *maris* verno tempore sanguineum). Gula nigra. Inter oculum et rostrum macula parva nigra. Abdomen et crissum alba; Hypochondriis et caudæ tectricibus inferioribus fusco-striatis. Remiges nigro-fuscæ margine interiore a basi alba; *secundariæ* apice albo marginatæ, intimæ latius albo marginatæ. Tectrices utriusque ordinis nigro-fuscæ apicibus albis, unde fasciæ alarum transversæ duæ, angustæ, quarum superior a pennis scapularibus fere obtegitur (unde alii auctores unam, alii duas fascias dicunt). Cauda valde bifurca. Rectrices nigro-fuscæ albo tenuiter marginatæ.

Femina: distinguitur colore supra obscuriore, scil. nucha, cervix et dorsum anticum nigro-fusca marginibus pennarum lutescentibus, dorsum posticum pennarum marginibus albis. Lineæ alarum lutescenti-albæ. Gulæ macula nigra minor marginibus pennarum albidis. Pectoris et hypochondriorum maculæ nigro-fuscæ, magis conspicuæ.

var. α. Rostrum et pedes albidi. Vertex et pectus coccineo tincta. Corpus præterea album pennis fuscis in scapulis et superiore dorso immixtis. Alæ et cauda nigro-fuscæ pennis albis insertis. Mus. Lund. *Ill. Wachtm.* vivam coluit aviculam.

var. β. Albida maculis parvis longitudinalibus fuscis *supra* numerosis *subtus* raris adspersa. Vertex pallide coccineus. Mus. Payk.

HISTORIA.

In septentrionalibus Sveciæ regionibus æstatem degens, hyeme instante in Scaniam gregaria advenit, et in alnetis præcipue occurrit. Vescitur seminibus alni, cardui, artemisiæ, lini, cannabis &c. Instante vere plagas nostras relinquit arctoas petitura. Nidum in arbusculis minoribus ponit. Ova 4-6 coerulescenti-viridia, extremitate crassiore rubicundo maculata. Virgulis visco illitis, a pueris capitur. Facile cicuratur. Docilis nec cantus suavis.

LXXIII. FRINGILLA CARDUELIS.

DIAGN: Facies coccinea. Remiges latere exteriore ultra medium luteæ. Rectrices duæ extimæ introrsum *medio*, reliquæ *apice* albæ.

SYNONYMA.

Fringilla carduelis, Lin. Faun. Sv. p. 86. n. 236. Retz. Faun. Sv. p. 245. n. 223. Lin. Syst. Nat. I. p. 318. n. 7. Gmel. Syst. Nat. I. p. 903. Briss. Orn. III. p. 53. n. I. Lath. Ind. Orn. I. p. 449, n. 58.

Le chardonneret, Buff. Ois. IV. p. 187. t. 10. vers. Germ. Otto XI. p. 260. 264. cum. fig. Pl. enl. n. 4. f. l.

Goldfink, Pen. Brit. Zool. I. p. 332. n. 124. Arct. Zool. II. p. 283. H. Lath. Syn. III. p. 281. n. 51. vers. Germ. Bechst. III. p. 274. n. 51.

Distelzeisig, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 3. B. p. 200.

Svecis: Steglitsa.

DESCRIPTIO.

Longit. avis fere $5\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ $8\frac{6}{8}$ poll. Rostr. $\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{1}{2}$ poll. Cau-

da 2⅛ poll. Tibiæ ⅝ poll. Digit. med. ⅝ poll; postic. ½ poll.

Rostrum acutissimum, versus apicem aliquantum decurvatum et compressum, albidum apice fusco. Iris castanea. Pedes pallide fusci. Cauda aliquantum bifurca.

Frons, genæ et gula coccinea loris et lineâ circa basin rostri nigris. Vertex niger demittit fasciam nigram in latera colli utrinque. Occiput macula albida. Pone oculos fascia alba descendit et cum jugulo albo se conjungit. Cervix, scapulæ et dorsum anticum castanea. Uropygium albo fuscoque mixtum. Tectrices caudæ superiores albæ. Latera pectoris et abdominis pallide castanea. Medium pectus, abdomen et crissum alba. Remiges nigræ (atræ) maculâ apicis alba; extima immaculata; ceteræ latere exteriore ultra medium flavæ. Tectrices nigræ apicibus longiorum flavis. Rectrices nigræ, laterales duæ vel tres latere interiore pone apicem macula majori alba, reliquæ apicibus albis.

Femina dignoscitur lineâ circa basin rostri rufescente; albedine laterum capitis fuscescente; Tectricibus alarum minoribus fuscis.

HISTORIA.

Passim. Hyeme quam æstate in Scania frequentior. In hortis et fruticetis agros adjacentibus inque sylvis nidulatur. Ova 4-6 pallide glauca, rufo maculata. Vescitur seminibus. Facile cicuratur avis pulcherrima. Egregie cantat. In cavea cum *Fr. cannaria* coit, unde *Fr. cardueles hybridæ*, jam patri jam matri magis similes oriuntur. Avis læta, docilis, agilis.

LXXIV. FRINGILLA SPINUS.

DIAGN: Supra viridis subtus lutea. Remiges versus basin extus luteæ, primis quatuor immaculatis. Rectrices flavæ apicibus nigris.

SYNONYMA.

Fringilla Spinus, Lin. Faun. Sv. p. 87. n. 237. Retz. Faun. Sv. p. 246. n. 224. Lin. Syst. Nat. I. p. 322. n. 25. Gmel. Syst. Nat. I. p. 914. Lath. Ind. I. p. 452. n. 65.

Ligurinus, Briss. Orn. III. p. 65.

Le Tarin, Buff. Ois. IV. p. 221. vers. Germ. Otto XI. p. 311. cum. fig. Pl. enl. 485. f. 3.

Siskin, Pen. Brit. Zool. I. p. 340. n. 129. tab. 53. Arct. Zool. II. n. 243. id. p. 383. I. Lath. Syn. III. p. 289. n. 58. vers. Germ. Bechst. III. p. 281. n. 58. Sup. p. 166.

Erlenzeisig, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 3. B. p. 220.

Svecis: Grönsiska.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $4\frac{6}{8}$ poll. Rostr. $\frac{3}{8}$ poll. A flexurâ alæ ad apicem fere 3 poll. Cauda $1\frac{6}{8}$ poll. Tibiæ $\frac{9}{16}$ poll. Digit. med. $\frac{9}{16}$ poll. Digit. post. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum acutissimum griseum versus apicem compressum, fuscum. Iris fusca. Pedes fusci. Cauda bifurca.

Frons, vertex et gula nigra marginibus pennarum verticis cinerascentibus, gulæ luteis. Cervix, dorsum, scapulæ et longiores caudæ tectrices olivaceæ, dorso striis obsoletis nigricantibus. Tectrices alarum minores, uropygium, linea per oculos, jugulum

et pectus virescenti - lutea. Abdomen album. Crissum et hypochondria alba luteo tincta striis nigris. Remiges nigræ, primores extus viridi-luteo tenuiter, intimæ albido late marginatæ; omnes, quatuor extimis exceptis, latere exteriore juxta basin pallide flavæ. Tectrices majores nigræ, apice luteæ. Rectrices pulcherrime flavæ apicibus nigris virescenti-flavo tenuiter marginatis, extimæ latere exteriore fere ad basin et intermediæ totæ nigræ.

Femina: Dorsum griseo-viride maculis nigris. Gula et latera albida. Pectus album viridi tinctum maculis nigricantibus. Pedes griseo-fusci.

varietas a. Nigricans maculis supra rarioribus, subtus confluentibus luteo-viridibus, splendidis, pulcherrime ornata. Culta fuit.

Mus. Payk. Mus. Upsal.

HISTORIA.

Passim. Autumnali tempore et hyeme turmatim in sylvis, præsertim inter alnos et betulas, quarum seminibus delectatur, obvenit. Æstate avem in Scania nondum vidi. In Hallandia vero et aliis provinciis superioris Seciæ in pinetis, locis montuosis nidulatur. Ova 5-6 griseo-alba, punctis rufo-purpureis. Facile cicuratur avis agilis, docilis, mansueta. Bene cantat.

LXXV. FRINGILLA FLAMMEA, Lin. Faun.

DIAGN: Fusca, crista flammea. Rud. pict. Habitat in Norrlandia. Lin. faun. Sv. p. 87. n. 238.

OBSERV.

Inter aves Rudbeckii pictas, quas Holmiæ vidimus, hæc non reperitur. Inter icones autem ejusdem auctoris, quas possidet Bibliotheca Grilliana Söderforsensis, exstare refertur. Sola igitur est inter aves, quarum mentio fit in Fauna Linneana, quam nondum vidi. Cel. autem *Meyeri* (in *Beschreibung der Vögel Liv- und Esthlands* p. 77) ni fallor, huc pertinet, quam vero descriptionem, eam ob caussam adferendam putavi, ut Ornithologis, quibus Arctoas aves investigare et iconem Rudbeckii allatam examinare contigerit, ansam præberem avem Rudbeckii et Meyeri conferendi.

FRINGILLA ERYTHRINA, *Meyeri.*

Mas: Rostrum pallide corneum; Iris brunnea; pedes fusco-incarnati. Vertex, gula, superior pars pectoris et uropygium pulchre carminea; Dorsum et alæ grisea, roseo colore tincta; Abdomen et crissum albida. Longit. $5\frac{1}{2}$ poll.

Femina: Supra grisea, fuscescenti tincta; Subtus sordide alba; Gula, collum et pectus maculis longitudinalibus pallide griseo-fuscis; Remiges et Rectrices flavo-virescenti tenuiter marginatæ. Longit. $5\frac{1}{4}$ poll.

SYNONYMA.

Loxia erythrina, Pallas nov. comment. Petrop. XIV. p. 587. t. 23. f. I. mas et femina. Gmel. Syst. I. p. 864. n. 91.


Loxia erythræa. *Endler* et *Scholz*, Beitr. zur Schlesischen Naturgesch. Jahrg. I. p. 17. t. 5. mas. Jahrg. 2. p. 185 t. 47. femina. Naumanns Vögel Nachtr. 3tes Heft. p. 25. t. 20. f. 40.

Loxia cardinalis, Beseke p. 77. n. 166.

Fringilla flammea, Gmel. Lin. Syst. I. p. 915. n. 26.
Fringilla rosea, Gmel. Syst. I. p. 923. n. 91.
Fringilla purpurea, Gmel. l. c. p. 923. n. 90.
Fringilla obscura, Gmel. l. c. p. 862. n. 88. femina. *(vide cel. Meyer. l. c.)*

OBSERV.

Si *Fringilla flammea* Lin. hæc est (quod pro certo dicere non possum, cum Iconem Rudbeckianam a Linné citatam nondum viderim) et si figura Meyeri fideliter reddita est; potius ad *Loxias* quam ad *Fringillas* Linneanas referenda mihi videtur hæc species.



GENUS XVI.

EMBERIZA.

Rostrum subconicum, mandibula superiore angustiore versus apicem compressa; inferiore latiore lateribus inflexo-coarctata; utraque basi deorsum a se invicem discedente.

Palatum tuberculo osseo.

Nares rotundatæ, juxta basin rostri, prope se invicem positæ, plumis setosis tectæ.

Pedes ambulatorii.

DISSECTIO. I.

Unguis posticus rectior, digito longior.

LXXVI. EMBERIZA LAPPONICA.*)

DIAGN: Dorsum nigricans marginibus pennarum ferrugineis. Supercilia alba. Rectrices duæ

*) Caussam cur inter *Fringillas* ab Ornithologis numerata sit hæc avis, ego saltem videre non possum. Formâ enim rostri, a quo character genericus imprimis sumendus, cum ceteris *Emberizis* exacte convenit. Etiam tuberculum palati adest non minus conspicuum quam in *Ember. nivali*, *Schoeniclo* et aliis, quas ad hoc Genus numerandas nemo dubitavit.

extimæ maculâ apicis cuneiformi alba. Vertex *Maris* niger. Cervix rufo-ferruginea.

SYNONYMA.

Fringilla Lapponica, Lin. Faun. Sv. p. 86. n. 235. Retz. Faun. p. 242. n. 219. Fabric. Faun. Groen. p. 119. n. 82. Lin. Syst. I. p. 317. n. I. Gmel. Syst. I. p. 900. Lath. Ind. Orn. I. p. 440. n. 18. Mus. Carls. fasc. . . (Figura præsertim feminæ mala).
Fringilla calcarata, Pallas Iter II. p. 710. n. 20. t. E.
Fringilla montana, Briss. Orn. II. p. 160.
Le grand montain, Buff. Ois. IV. p. 134. vers. Germ. Otto XI. p. 133. 136. 139.
Lappland Finch, Arct. Zool. II. n. 259. Lath. Syn. III. p. 263. n. 14. Vers. Germ. Bechst. III. p. 256. n. 14.
Grauer Sporner, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3 B. p. 246.
Mus. Lund. Payk. Ups.

Svecis: Lappsparf.

DECRIPTIO.

Longit. avis 6½ poll. Rostr. ⅜ poll. A flexura alæ ad apicem fere 4. poll. Cauda 2½ poll. Tibia ⅞ poll. Digit. ant. intermed. ⅝ poll. postic. $\frac{11}{16}$ poll. unguis postic. ⅜ poll. fere rectus.

Rostrum luteum apice nigro, formâ exacte similis rostro Emberizæ. Iris subbrunnea. Pedes nigricantes. Cauda bifurca.

Mas: Caput totum, gula, jugulum usque ad sternum, et latera pectoris nitide atra. Cervix rufo-ferruginea. A naribus per oculos stria alba, pone oculos latior, inter jugulum atrum et cervicem ferrugineum continuata usque ad flexuram alæ. Dorsum, scapulæ et alarum

minores tectrices nigra marginibus ferruginescentibus vel albidis. Pectus medium, abdomen et crissum alba. Remiges saturate fuscæ, *primores* (præsertim prima) margine exteriore tenuiter albidæ, *secundariæ* apice emarginatæ, pallidæ, marginibus ferruginescentibus. Tectrices *proximæ* nigricantes margine exteriore ferruginescentes apice albidæ; *penultimæ* albo marginatæ. Rectrices nigro-fuscæ, extima macula apicis cuneiformi albâ et latere exteriore fere tota alba, secunda maculâ apicis cuneiformi alba.

Femina: Mari dissimilis. Caput supra, dorsum et scapulæ nigricantia marginibus pennarum ferrugineis. Cervix et uropygium ferruginea maculis minoribus nigricantibus. Latera capitis nigricantia ferrugineo immixto striâ ferrugineo-alba a rostro, per oculos et pone aures circumdata. Subtus alba jugulo, pectore et hypochondriis ferruginescenti tinctis, nigricante maculatis. Cetera ut in mare.

Mas junior: Caput supra nigrum marginibus pennarum tenuiter ferruginescentibus. Collum antice nigrum marginibus pennarum cinerascentibus. In ceteris feminæ subsimilis.

HISTORIA.

Arctoæ regiones patria. Hyeme versus australiores plagas demigrare refertur, neque illam in Scania unquam vidi, nec visam audivi. Victitat seminibus graminum et plantarum arvensium varii generis. In arvo ad tumulos paludosos ova 5-6 ponit. Nidus sine arte ex gramine muscoque confectus, plumis raris in disco. Præ ceteris egregie cantillat, non tamen terræ insidens, sed in aëre vibrans ut Alaudæ. *Fabr.* l. c.

LXXVII. EMBERIZA NIVALIS.

DIAGN: Remiges secundariæ et Rectrices duæ vel tres extimæ albæ, apice nigræ. Dorsum pennis nigris rufescenti marginatis. Subtus alba pectore rufescente.

SYNONYMA.

Emberiza nivalis, Lin. Faun. Sv. p. 82. n. 227. Retz. Faun. p. 237. n. 214. Fabric. Faun. Groenl. p. 117. n. 81. Lin. Syst. Nat. I. p. 308. n. I. Gmel. Syst. I. p. 866. Lath. Ind. I. p. 397. n. I.

Hortulanus nivalis, Briss. Orn. III. p. 385. n. 9.

L'Ortolan de neige Buff. Ois. IV. p. 329. vers. Germ. Otto XII. p. 173 cum fig. Pl. enl. 497. f. I.

Snow Bunting; Pen. Brit. Zool. I. p. 329. n. 122. t. 50. Arct. Zool. II. n. 222. Lath. Syn. III. n. 161. vers. Germ. Bechst. III. p. 159. n. I.

Der Schneeammer Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3. B. p. 305.

Svecis: Snösparf.

OBSERV.

Ember. glacialis, Lath. Ind. I. p. 398; *Emb. mustelina* Gmel. l. c. I. p. 867. montana Lath. l. c. p. 398. huc pertinent, nec, me judice, aliæ sunt quam feminæ et juniores mares. Cel. quidem Bechstein, l. c. p. 314. &c. *E. mustelinam* et *montanam* Gmel. pro specie a *nivali* diversam assumit; sed tum descriptio, tum figura data contrarium probare videntur. Vidi saltem specimina *Emb. nivalis*, quæ in omnibus cum descriptione et figura jam allata convenirent. Etiam mores iidem.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $6\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ 12 poll. Rostr. $\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $4\frac{1}{2}$ poll. Cauda fere

3 poll. Tibiæ $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{7}{8}$ postic. $\frac{6}{8}$; unguis postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum flavicans apice nigrum. Nares rotundatæ, plumis setosis obtectæ. Iris fusca. Pedes cum unguibus nigri. Cauda aliquantum bifurca.

Mas: Caput, collum, uropygium et tota avis subtus alba; capite et collo supra, maculâ aurium et pectore (interdum) sordide rufo tinctis. Femora fusca. Dorsum et scapulæ nigræ marginibus latioribus albo rufescentibus. Remiges primores nigræ albo tenuiter marginatæ, a basi ad tertiam partem albæ, quæ albedo magis magisque augetur, ita ut 10-13 sint niveæ macula parva nigra in latere exteriore pone apicem; 14-15 niveæ immaculatæ; 16-18 cum suis tectricibus nigræ, margibus rufescentibus. Tectrices proximæ remigum primorum albæ, apice nigræ; ceteræ tectrices albæ. Tectrices inferiores Remigum niveæ. Rectrices duæ intermediæ nigræ, versus apicem pallide rufescenti marginatæ, sequens nigra, basi, præsertim latere exteriore albo, quæ albedo ita crescit in sequentibus, ut ultimæ tres vel duæ plane sint niveæ summis apicibus tantum nigris. Tectrices superiores nigræ rufescenti latius marginatæ.

Femina distinguitur coloribus magis rufis minusque albis. Supra sordide rufa maculis dorsi et scapularum nigris, macula aurium saturate rufa; collo supra magis cinerascente. Collum antice cinerascenti, pectore superiore et hypochondriis rufescenti colore tinctis. Tectrices alarum nigræ cinereo-albo marginatæ. Tectrices majores proximæ nigræ margine exteriore rufæ, apice albæ. Remiges nigræ, primores margine exteriore tenuius cinereo-albæ; secundariæ apice albo marginatæ, a basi versus vel supra medium albæ. Intimæ tres nigræ marginibus rufis. Cauda fere prioris, nec tamen color albus tam niveus.

HISTORIA.

In summis Lapponiæ alpibus æstatem degit. Instante hyeme in provincias australiores turmatin advenit. Jam ante medium mens. Novembris instante nive, in Scania occurrit. Tota hyeme in agris et viis Scaniæ gregaria obvenit, semina in stercore et in herbis arvensibus quæsitura. Etiam arboribus et tectis interdum insidit. Instante vere in patriam revertitur. Marem hyeme captum, per æstatem in cubiculo vivum retinui. Timidus admodum et inquietus, tam noctu quam interdiu agilis. Ubi se solum putabat, egregie sed submissa voce, cantabat. Tam pavidus erat ut ab aviculis, illo longe minoribus de pastu fugaretur. Mutationem coloris sub æstate nullam observavi.

DISSECTIO. II.

Unguis posticus curvatus, longitudine fere digiti.

LXXVIII. EMBERIZA MILIARIA.

Lin. Syst.

DIAGN: Supra rufescenti-grisea maculis longitudinalibus nigro-fuscis; subtus flavescenti-alba maculis nigro-fuscis.

SYNONYMA.

Emberiza calandra, Lin. Faun. Sv. p. 83. n. 228.

Emberiza Miliaria, Lin. Syst. Nat. I. p. 308. n. 3. Gmel. Syst. I. p. 868. Lath. Ind. I. p. 402. n 12. Retz. Faun. Sv. p. 239. n. 215.

Cynchramus, Briss. Orn. III. p. 292. 10.

Le Proyer, Buff. Ois. IV. p. 355. t. 16. vers. Germ. Otto XII. p. 237. cum. fig. Pl. enl. 233.

Common Bunting, Pen. Brit. Zool. I. p. 324. n. 18. Arct. Zool. II. p. 366. B. Lath. Syn. III. p. 171. n. 8. vers. Germ. Bechst. III. p. 169.

Der Grauammer, Bechst. Nat. D. 2te. Aufl. 3. B. p. 262.

Svecis: Kornlärka.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $7\frac{3}{4}$ poll. Alæ extensæ 12 poll. Rostr. fere $\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{5}{8}$ poll. Tibiæ I. poll. Digit. med. fere I. poll. Digit. postic. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum robustum, tuberculo palati exserto, supra nigro-fuscum, subtus luteum. Iris castanea. Pedes pallide griseo-lutescentes, articulis digitorum fuscescentibus.

Quoad colores *alaudæ* valde similis. Supra tota rufo-grisea maculis longitudinalibus nigro-fuscis. Latera capitis luteo-alba striis rufo-fuscis in temporibus magis confertis. Subtus tota albida sordide luteo tincta. Mentum immaculatum. Iugulum et pectoris superior pars maculis nigricantibus fere triquetris; ceterum pectus, hypochondriæ et caudæ tectrices inferiores striis longitudinalibus fusco-nigris. Remiges nigro-fuscæ, latere exteriore rufescenti-griseo marginatæ, secundariæ apice albido marginatæ; intimæ tres apice latius albæ. Tectrices *minores* rufescenti-griseæ, *majores* utriusque ordinis fusco-nigræ, margine rufescenti, apice rufo-albidæ. Tectrices inferiores sordide albæ striis rarioribus fuscis. Cauda aliquantum bifurca, saturate fusca; Rectrices rufescenti-albo, apice latius, marginatæ; extima versus apicem maculâ obsoleta albida, cuneiformi.

L 2

variet. α: Ember. miliaria varia: Dorsum et alæ pennis albis insertis. Prope Lund visa.

HISTORIA.

Habitat in Scania campestri frequentissima. Manens. Æstate in pratis, agris, arvis per paria occurrit. Mas in lapide sæpe, carduo, salice, vel alio quodam loco elevato, sedens, abrupta et stridula voce cantat. Hoc anni tempore pendentibus volitat pedibus. Victitat seminibus, frumentis, insectis. Nidulatur in terra inter sata agrorum vel gramina pratorum. Ova 4-6 cinerea punctis rufis striisque nigris. Collecta messe gregatim volitat. Per totam hyemem in agris, viis, plateis et fimetis semina hordei, avenæ &c. turmatim quærit *).

LXXIX. EMBERIZA HORTULANA

DIAGN: Caput et collum supra olivaceo-cinerea, gula flava; Abdomen rubro-testaceum; Rectrices nigro-fuscæ lateralibus duabus latere interiore versus apicem albæ.

SYNONYMA.

Emberiza Hortulana, Lin. Faun. Sv. p. 84. n. 229. Retz. Faun. p. 240. n. 216. Lin. Syst. Nat. I. p. 309. 4. Gmel. Syst. I. p. 869. Lath. Ind. I. p. 399. n. 5.

---

*) Notatu dignum videtur quod hæc, tam frigoris patiens avis, ut non modo rigidissimas apud nos perferat hyemes, sed etiam frigore maxime intenso, coelo sereno, voce lætissima cantet; non nisi in provincia Patriæ maxime australi, Scania nempe, occurrit. In Hallandia illam nunquam vidi, nec in cetera Svecia superiore visam audivi. Neque inter aves Gottlandicas a cel. Billberg enumeratas occurrit. Numeratur tamen inter aves Norvegiæ a cel. *Brünniche* et *Ström*. In Finlandia rara est. (Faun. Fenn. p. 29.)

Hortulanus, Briss. Orn. III. p. 269. 4.
Ortolan, Buff. Ois. IV. p. 395. t. 14. vers. Germ. Otto. XII. p. 128-144. cum fig. Pl. enl. 247. f. 1.
Ortolan Bunting, Arct. Zool. II. p. 367. D. Lath. Syn. III. p. 166. 5. vers. Germ. Bechst. III. p. 164. n. 5. Suppl. p. 157.
Emberiza Mælbyensis, Mus. Carls. tab. 21.
Gartenammer, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 3. B. p. 283.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $6\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ 11 poll. Rostr. $\frac{7}{81}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{1}{2}$ poll.; extra alas $1\frac{3}{8}$ poll. extenditur. Tibiæ $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. fere $\frac{6}{8}$ poll. Digit. postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum supra incarnatum, subtus luteo-incarnatum. Nares ovatæ, membrana fornicata semitectæ, nudæ. Tuberculum palati minus perspicuum. Iris fusca. Palpebræ flavæ. Pedes incarnati, unguibus, præsertim postico, pallidis. Cauda æqualis.

Caput et collum supra cinerea olivaceo leviter tincta. Latera colli et anterior pars pectoris pallide cinerea, olivaceo tincta, gulâ, jugulo et stria ab utroque angulo oris decurrente pallide flava. Dorsum et Scapulæ griseo-rufa maculis longitudinalibus nigris, uropygio immaculato. Pectus, abdomen et crissum testaceo-ferruginea, marginibus pennarum dilutioribus, versus caudam magis in testaceum inclinantia. Remiges nigro-fuscæ, *primores* margine exteriore tenuiter albidæ; *secundariæ* præsertim intimæ latius griseo-rufo extus marginatæ. Tectrices *minores* nigro-fuscæ, olivaceo obsolete marginatæ; *majores* utriusque ordinis rufescenti-albido latius marginatæ. Tectrices inferiores pallide luteæ. Cauda saturate fusca, Rectricibus lutescenti-rufo marginatis, extimis duabus latere interiore ab api-

ce fere ad medium albis; extimâ quoque margine exteriore medio alba.

Femina: dignoscitur præsertim cinereo capitis colore magis sordido lineis ad raches pennarum nigricantibus; pectore quam maris pallidiore.

HISTORIA.

Migratoria avis advenit initio M. Maji et abit M. Augusto et Septembri. In Scania sylvestri passim, in Hallandia frequens. In frutice vel arbore sedens cantum jucundum, *E. citrinellæ* voci quodammodo similem: *Tinktinktinktink tjöhrrr!* vel interdiu vel noctu modulatur. Nidum straminibus bene constructum, mense Junio sub frutice in ipsa terra inveni. Ova 4-5 pallide grisea maculis striisque nigris. Pullis exclusis cantus silescit. Juxta finem Augusti, pullis educatis iterum auditur cantus. Victitat insectis et seminibus. Abit ante medium Septembrem.

LXXX. EMBERIZA CITRINELLA.

DIAGN: Subtus citrina. Rectrices extimæ duæ, latere interiore apicis macula cuneiformi alba. Caput *maris* fere citrinum; *feminæ* olivaceum maculis nigris.

SYNONYMA.

Emberiza citrinella, Lin. Faun. Sv. p. 48. n. 230. Retz. Faun. p. 240. n. 217. Lin. Syst. I. p. 309. n. 5. Gmel. Syst. I. p. 870. Lath. Ind. I. p. 400. n. 7.

Emberiza flava, Briss. Orn. III. p. 258. n. I.

Le Bruant, Buff. Ois. IV. p. 342. t. 8. vers. Germ. Otto XII. p. 206. cum fig. Pl. enl. 30. f. I.

Yellow Bunting, Pen. Brit. Zool. I. p. 325. n. 119. tab. 50. Arct. Zool. II. p. 367. C. Lath. Syn. III. p. 170. vers. Germ. Bechst. III. p. 167. n. 7. Suppl. p. 157.

Der Goldammer, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 3. B. p. 252.

Svecis: Gulsparf.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 7. poll. Alæ extensæ 11. poll. Rostr. $\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{1}{2}$ poll. Cauda fere 3 poll. Tibiæ $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{7}{8}$; Digit. postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum supra fuscum, subtus pallide griseum. Tuberculum palati exsertum. Nares plumulis fere tectæ. Iris fusca; vertex depressus, rostro vix elatior. Pedes pallide incarnati digitis saturatioribus. Cauda bifurca.

Caput et collum pallide flava striis rarioribus olivaceis. Cervix olivacea. Dorsum et scapulæ griseo-rufescentia maculis longitudinalibus nigris. Uropygium aurantium. Gula, jugulum, medium pectus, abdomen et tectrices alarum inferiores pallide flava. Superior pars pectoris et hypochondria olivaceo tincta, striis fuscescentibus. Remiges nigricantes margine exteriore primarum viridi-flavo, secundariarum rufescente. Tectrices *majores* nigræ, rufescenti marginatæ apicibus pallidioribus, *minores* olivaceæ. Rectrices nigricantes, extimæ duæ macula longa cuneiformi alba in interiore apicis latere, mediæ binæ rufescenti latius marginatæ.

Femina: Mari valde dissimilis. Caput supra olivaceum maculis longitudinalibus nigris. Uropygium fusco-rufum. Gula flava. Collum antice griseo-olivaceum. Pectus medium et abdomen pallide flava. Crissum al-

bum flavo tinctum striis longitudinalibus nigris. Cetera ut in Mare.

variet: Tota flavescenti-alba, *Fringillæ canariæ* eminus simillima. In Hallandia initio Mens. Decembris sæpius visa.

HISTORIA.

Frequens. Manens. In pratis et juniperetis æstivat. Nidulatur sub fruticibus. Ova 3-5 sordide albida maculis striisque fuscis. Cantus maris haud ingratus, his fere syllabis: Tĭtĭtĭtĭ tȳȳ! exprimi potest. Victitat æstate inprimis insectis; hyeme vero domos, plateas, stabula et fimeta adit, semina præsertim hordei et avenæ lectura*).

LXXXI. EMBERIZA SCHOENICLUS.

DIAGN: Supra nigra marginibus pennarum rufis; subtus alba striis pectoris et hypochondriorum fuscis. Rectrices nigricantes, laterales duæ maculâ cuneiformi alba. Caput et jugulum *maris* nigra.

SYNONYMA.

Emberiza Schoeniclus, Lin. Faun. Sv. p. 84. n. 231. Retz. Faun. Sv. p. 241. n. 218. Lin. Syst. Nat. I. p. 311. n. 17. Gmel. Syst. I. p. 881. Lath. Ind. I. p. 402. n. 13.

Passer torquatus s. arundinaceus, Briss. Orn. III. p. 274. 5.

*) Inter superstitiosas rusticorum opiniones, etiam hæc quibusdam locis obvenit, quod hac ave edenda, morbo quem *Icterum* appellant, mederi putent.

Ortolan de roseaux, Buff. Ois. IV. p. 315. vers. Germ. Otto XII. p. 149. cum 2. fig. Pl. enl. 247. f. 2. (*mas* ni fallor, junior.) et 497. f. 2. (*fem.*)
Reed Bunting, Pen. Brit. Zool. I. p. 326. n. 120. Arct. Zool. II. p. 368. E. Lath. Syn. III. p. 173. n. 9. vers. Germ. Bechst. III. p. 170. 9. Sup. p. 157.
Rohrammer, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3. B. p. 269.
Svecis: Säfsparf.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 6. poll. Alæ extensæ 9½ poll. Rostr. fere ⅜ poll. A flexura alæ ad apicem 3⅜ poll. Cauda 2½ poll. extra alas 1½ poll. Tibiæ ⅞ poll. Digit. med. ⁶⁄₈ poll.; postic. ½ poll.

Rostrum supra nigricans, subtus flavescens. Tuberculum palati minus conspicuum; Nares membrana subfornicata, setulis semitectæ. Iris fusca. Pedes fusco-carnei digitis et unguibus nigro-fuscis. Cauda bifurca.

Caput, gula et collum antice nigra. Ab angulo oris utrinque decurrit fascia alba, quæ tanquam torques cervicem cingit. Dorsum et scapulæ pennis nigris ferrugineo marginatis. Uropygium et caudæ superiores tectrices cinerea rufo immixto. Pectus et abdomen alba, illo et hypochondriis striis longitudinalibus fuscis. Remiges nigro-fuscæ, *primores* margine exteriore tenuius, *secundariæ* latius ferrugineo marginatæ. Tectrices majores nigricantes dilute ferrugineo latius marginatæ. Tectrices breviores saturate ferrugineæ. Rectrices nigricantes extima extus dimidiato oblique alba, latere tamen exteriore versus apicem fusco; secunda maculâ cuneiformi alba; par intermedium griseo-marginatum.

Femina mari valde dissimilis: Caput supra rufo-brunneum maculis nigris. Collum supra in cinereum inclinans. Latera capitis rufo-brunnea. Supra oculos fascia rufo-albida. Collum antice sordide album, stria nigro-fusca utrinque decurrente juxta gulam et jugulum. Ceterum subtus sordide alba rufescenti tincta, pectore et hypochondriis, striis fuscis. Color dorsi et alarum dilutior quam in mare.

Avis junior: Tota supra saturate rufa maculis nigricantibus. Collum antice et pectus superius sordide rufescens maculis obsoletis fuscis.

Varietas: minor præcedente. Rostri et pedum eadem forma. Caput supra nigrum tæniâ longitudinali ferruginea a fronte ad nucham ducta. Latera capitis ferruginea, fascia circa aures nigra. Gula rufescenti-alba. Jugulum album fascia alba versus nucham ducta. Dorsum nigricans pennis griseo-rufescenti marginatis. Remiges nigricantes rufo marginatis tectricibus majoribus albido terminatis. Subtus (*Antho pratensi* exacte similis) alba maculis nigris in pectore et hypochondriis. Cauda nigro-fusca *Rectrice* tantum *extima* *) oblique transversim alba. *Femina* est verno tempore occisa. An femina annosa? an distincta species?

HISTORIA.

Rara. Migratoria redit circa XX. M. Aprilis tuncque in salicetis Scaniæ interdum obvenit. Æstate locis paludosis inter arundines habitat, nidumque in terra inter gramina vel radices fruticis cujusdam ponit. Ova 4-5.

---

*) Adsunt vero duodecim, ita ut nulla sit perdita.

FAMILIA II.

SUBULATIROSTRES.

Rostrum tenuius, cultrato-subulatum, maxilla superiore immobili. *Victus:* Baccæ, Vermes, Insecta, Semina.

SUBDIVISIO I.

Maxilla superiore pone apicem excisa.

GENUS XVII.

TURDUS.

Rostrum rectiusculum, vix decurvatum, tereti-cultratum, versus apicem compressum. Mandibula superior pone apicem deflexum excisa.
Nares ovales, nudæ, superne membranâ semitectæ.
Anguli oris vibrissis antrorsum vergentibus ciliati.
Lingua lacero-emarginata.
Pedes ambulatorii.

LXXXII. TURDUS VISCIVORUS.

Diagn: Supra olivaceo-fuscus Rectricibus tribus extimis apice albis. Subtus albo-flavicans maculis nigris in pectore triquetris, in abdomine trans-

versim ovalibus. Tectrices alarum inferiores albæ, superiores majores apice albæ.

SYNONYMA.

Turdus viscivorus, Lin. Faun. Sv. p. 79. n. 216. (male descriptus) Retz. Faun. Sv. p. 226. n. 201. Lin. Syst. Nat. I. p. 291. Gmel. Syst. I. p. 806. Lath. Ind. Orn. I. p. 326. n. I.

Turdus major, Briss. Orn. II. p. 200. I.

La Draine, Buff. Ois. III. p. 295. t. 19. f. I. vers. Germ. Otto VIII. p. 261. cum fig. bona. Pl. enl. 489.

Missel Thrush, Pen. Brit. Zool. I. p. 301. n. 105. Arct. Zool. II. p. 341. B. Lath. Syn. III. p. 16. I. vers. Germ. Bechst. III. p. 13. n. I.

Die Misteldrossel, Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 3. B. p. 325.

Svecis: Dubbel Kramsfogel, Björktrast.

DESCRIPTIO.

Longit. avis fere 12 poll. Alæ extensæ 19. poll. Rostr. a fronte ad apicem $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem fere $6\frac{1}{2}$ poll. Cauda $4\frac{1}{2}$, extra alas 2 poll. extenditur. Tibia $1\frac{3}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{2}{8}$ poll. Digit. postic. $\frac{7}{8}$ poll.

Rostrum saturate fuscum basi subtus flavescens. Nares ovales. Os intus et lingua flava. Supra angulos oris vibrissæ nigræ. Iris fusco-castanea. Pedes sordide lutei, articulis digitorum fuscescentibus, unguibus fuscis.

Caput, Cervix, Dorsum, Uropygium, Scapulæ et alarum minores tectrices griseo-fusca, olivaceo tincta; Dorso postico in luteo-viride tendente. Latera capitis et colli luteo-alba fusco maculata. Palpebrae albæ.

Avis subtus alba luteo tincta, maculis nigricantibus, in collo et superiore pectore triangularibus, in inferiore pectore, hypochondriis et abdomine transversim ovalibus; in gula minoribus, in pectore et hypochondriis majoribus. Tectrices caudæ inferiores griseo-fuscæ striâ juxta rachin latâ, alba marginibus lutescentibus. Remiges saturate fuscæ, latere interiore versus basin albæ, latere exteriore olivaceo, apice tenuiter albo marginatæ; Tectrices majores utriusque ordinis saturate fuscæ apicibus albis. Tectrices inferiores niveæ. Cauda æqualis saturate griseo-fusca, Rectricibus tribus extimis apice albis, ceteris albido tenuiter marginatis. *Femina* mari similis, corpore tamen subtus magis albo, minus luteo.

HISTORIA.

Alii migrant, alii nobiscum hybernant. Sic in Hallandia per totam rigidissimam hyemem anni 1814 illos inter *T. Pilares* junipereta visitantes, pluries vidi*). Demigrantes in Scania interdum, sed rarius autumno et vere occurrunt. Æstivant in sylvis, præsertim pinetis montuosis superioris Sueciæ. Inter ramos arborum nidulantur. Ova 3-5 virescenti-alba maculis punctisque rufis. Victitant æstate Insectis et Lumbricis, quibuscum teneram quoque alunt prolem; autumno baccis sorbi; hyeme juniperi. Verno tempore inter primas aves, e cacumine arboris summæ, jucunde cantant.

LXXXIII. TURDUS MUSICUS.

DIAGN: Supra olivaceo-fuscus Rectricibus unicoloribus. Subtus albus, collo antice ferruginescen-

*) Hoc eam ob caussam notandum putavi, quia Bechst. l. c. p. 330 dicit hanc avem in Germania rarius nisi leniori frigore hibernare.

ti-luteo tincto, maculis obcordatis fuscis. Tectrices alarum inferiores ferrugineo-flavæ. Superiores majores apice ferrugineo-luteæ.

SYNONYMA.

Turdus Musicus Lin. Faun. Sv. p. 79. n. 217. Retz. Faun. Sv. p. 227. n. 202. Lin. Syst. Nat. I. p. 292. n. 2. Gmel. Syst. I. p. 809. Lath. Ind. I. p. 327. n. 2.

Turdus Minor Briss. Orn. II. p. 205. 2.

La Grive Buff. Ois. III. p. 280. Vers. Germ. Otto VIII. p. 227 cum figura. Pl. enl. 406.

Throstle Pen. Brit. Zool. I. p. 306. n. 107. Arct. Zool. II. p. 342. C. Lath. Syn. III. p. 18. 2. Vers. Germ. Bechst. III. p. 15. n. 2.

Singdrossel Bechst. N. D. 2 Aufl. 3 B. p. 349.

Svecis: Kramsfogel, Talltrast, Fjällstar, Klädra. Smol. Klera.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $8\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ $13\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{4}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $4\frac{1}{2}$ poll. Cauda $3\frac{1}{8}$; Tibia $1\frac{2}{8}$ poll. Digit. med. I. poll. Digit. post. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum nigro-fuscum, subtus versus basin lutescens. Supra sinum oris vibrissæ plurimæ nigræ. Os intus flavum. Nares ovales. Iris brunnea. Pedes margaritacei. Cauda æqualis Rectricibus acuminatis.

Præcedenti fere similis sed minor. Caput, Collum, Scapulæ, Dorsum, Uropygium et Tectrices caudæ superiores grisescenti-fusca olivaceo tincta. A naribus ad oculos stria luteo-alba. Latera capitis olivaceo-fusca striis et punctis lutescentibus. Tota subtus alba, collo antice et pectore pallide rufescenti-luteo tinctis.

Ad latera gulæ stria utrinque nigra decurrit. Collum antice, pectore et hypochondriis, maculis obcordatis nigro-fuscis. Abdomen album maculis raris minoribus ovalibus. Crissum album maculis longitudinalibus fuscescentibus. Remiges fuscæ basi intus pallide ferrugineo-luteæ, extus olivaceo tenuiter marginatæ. Tectrices majores utriusque ordinis colore dorsi, apice macula triangulari ferrugineo-lutea. Tectrices inferiores ferrugineo-flavæ. Rectrices fuscæ olivaceo tinctæ, unicolores.

HISTORIA.

Frequens. Migratoria. Autumni tempore per Scaniam in terras meridionales demigrantes, sylvas, ubi Sorbos inveniunt, quorum baccis præcipue delectantur, frequentant. Laqueis (Donor dictis.) hoc anni tempore capiuntur. Ad finem M. Martis vel initium M. Aprilis, nive nondum, nisi locis palustribus soluta, revertuntur. Vere et per totam æstatem e cacumine summarum arborum cantus gratus, modulatione plenus, præsertim mane et vesperi, exauditur. Etiam in Scania nidulatur. Nidum forma semiglobosum, intus muscis, luto et argilla solide conglutinatis, vestitum, supra infimos arborum ramos vel in frutices ponit. Ova 3-6 coeruleo-virescentia punctis fuscis. Victitat æstate insectis et lumbricis, autumno baccis.

LXXXIV. TURDUS ILIACUS.

Diagn: Supra olivaceo-fuscus Rectricibus unicoloribus. Stria a naribus ad nucham luteo-alba. Latera colli maculâ luteâ. Alæ subtus ferrugineo-rufæ.

SYNONYMA.

Turdus Iliacus Lin. Faun. Sv. p. 79. n. 218. Retz. Faun. Sv. p. 228. n. 204. Lin. Syst. Nat. I. p. 292. n. 3. Gmel. Syst. Nat. I. p. 208. Briss. Orn. II. p. 208. 3. t. 20. f. I. Lath. Ind. Orn. I. p. 329. n. 7.

Le Mauvis Buff. Ois. III. p. 309. Vers. Germ. Otto VIII. p. 296. cum figura.

Redwing Pen. Brit. Zool. I. p. 307. n. 108. Arct. Zool. II. p. 342. D. Lath. Syn. III. p. 22. n. 7. Vers. Germ. Bechst. III. p. 19. n. 7.

Rothdrossel Bechst. N. D. 2 Aufl. 3. B. p. 360.

Aucupibus Scanensibus: Rödwinge.

DESCRIPTIO.

T. *Musico* aliquantum minor. Longit. avis 8 poll. Alæ extensæ fere 14 poll. Rostr. $\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $4\frac{6}{8}$ poll. Cauda $3\frac{2}{8}$ poll. Tibia $1\frac{2}{8}$ poll. Digit. med. I. poll. postic $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum nigrum basi subtus et angulis oris luteis. Nares ovales. Iris brunnea. Pedes griseo-lutescentes, ungvibus saturate fuscis.

Caput supra, cervix, dorsum, scapulæ, tectrices minores et uropygium fusca, olivaceo tincta. Tempora fusca lineis luteis. A naribus supra oculos versus nucham stria luteo-alba. A maxilla inferiore sub temporibus decurrit utrinque stria lutea, quæ in latere colli in maculam majorem luteam extenditur. Gula, jugulum, pectus et abdomen alba rufescenti-luteo tincta, gulæ et juguli lateribus maculis fere confluentibus saturate fuscis. Pectus et latera abdominis maculis olivaceo-fuscis fere ovalibus. Abdomen medium album. Hypochondria et tectrices alarum inferiores ferrugineo-rufa. Remiges saturate fuscæ latere inte-

riore a basi cinerascentes, margine exteriore olivaceæ, tectrices majores extus griseo-olivaceæ. Rectrices fuscæ olivaceo tinctæ, subtus cinereæ.

Variet. α. Tota alba rufescenti-nebulosa, hypochondriis et alis subtus rufis. Mus. Holm.

HISTORIA.

Rarior. Migratoria. Æstivat in sylvis Sueciæ superioris. Per Scaniâm demigrans, versus hyemem ab aucupibus, laqueis recipitur, parcius tamen et serius quam antecedens. Cantus ex arboribus æstate audiendus parum jucundus, his fere syllabis: *try-try-try-try-try-try-ti!* exprimi potest (cel. Auselius in litt.) *) Vescitur insectis, lumbricis, et autumno baccis.

LXXXV. TURDUS PILARIS.

Diagn: Caput et Uropygium cinerea. Dorsum castaneum. Tectrices alarum inferiores albæ. Rectrices nigræ, extimæ margine interiore apice albicantes.

SYNONYMA.

Turdus Pilaris, Lin. Faun. Sv. p. 78. n. 215. Retz. Faun. Sv. p. 227. n. 203. Lin. Syst. Nat. I. p. 291. n. 2. Gmel. Syst. I. p. 807. Briss. Orn. II. p. 214. n. 5. Lath. Ind. I. p. 330. n. 11.

---

*) Temere igitur in Faun. Sv. dicitur avem egregie cantillare. Vt vero omnia quæ hoc loco a Linné de *T. Iliaco* afferuntur, etiam nomina Svecana, (descriptione tamen excepta) non huic sed *T. Musico* competunt.

La Litorne, Buff. Ois. III. p. 301. t. 19. Vers. Germ. Otto VIII. p. 276. cum figura.

Fieldfare, Pen. Brit. Zool. I. p. 304. n. 106. Arct. Zool. II. p. 340. A. Lath. Syn. III. p. 24. n. II. Vers. Germ. Bechst. III. p. 21. n. II.

Wachholderdrossel, Bechst. Nat. Deutschl. 2 Aufl. 3 B. p. 336.

Svecis: Björkdrossel. Snöskata.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 10 poll. Rostr. $\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $5\frac{1}{2}$ poll. Cauda 4 poll. Tibia $1\frac{3}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{1}{8}$ poll. Digit. post. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum flavescens apice fuscum Os intus et lingua flava. Nares ovales. Iris fusca. Pedes nigro-fusci. Cauda æqvalis.

Caput, collum supra et uropygium cinerea, vertice lineis longitudinalibus nigris. A naribus, supra oculos linea rufescenti-alba. Lora nigra. Tempora cinerea lineis lutescentibus. Dorsum et Scapulæ saturate fusco-rufa (castanea) A gula ad medium pectus ferruginescenti-lutea, jugulo et superiore pectore maculis longitudinalibus nigro-fuscis. Latera pectoris et hypochondria pennis versus apicem nigro-fuscis, albido latius marginatis. Medium pectus et abdomen alba. Crissum pennis griseo-fuscis, fascia juxta rachin longitudinali, apice et marginibus albis. Remiges nigro-fuscæ margine exteriore pallide cinerascentes. Tectrices alarum extus cinerascentes, Tectrices inferiores albæ. Rectrices nigricantes extimis tribus margine interiore apicis albidis.

Var. Caput et collum alba pennis quibusdam fuscis insertis. Tectrices alarum pennis duabus albis. Cetera exacte ut in *T. Pilari*. *T. Viscivorus*, Var. Wet.

Ac. H. 1808. p. 197. Tab. V. (Specimen depictum in Mus. Upsal. vidi.) Briss. Orn. II. p. 217. A.

HISTORIA.

Frequens. Aliae demigrant, aliæ manent, hæque in sylvis et juniperetis, ubi baccas devastant, maximis gregibus associatæ, per totam hyemem obveniunt. Timida admodum avis fixuque difficillima, autumnali tempore baccis sorbi allecta laqueis *(Donor)* capitur. Nidulatur in sylvis præcipue in Pinetis Smolandiæ aliarumque provinciarum superioris Sueciæ. Nidus in ramo positus continet ova 4-5 pallide grisea maculis obsoletis fuscescentibus. Vescitur insectis, lumbricis, baccis.

LXXXVI. TURDUS MERULA.

Diagn: *Mas* ater rostro palpebrisque fulvis. *Femina* nigricans rostro intus flavo.

SYNONYMA.

Turdus Merula, Lin. Faun. Sv. p. 80. n. 220. Retz. Faun. Sv. p. 230. n. 206. Lin. Syst. I. p. 295. n. 22. Gmel. Syst. I. p. 831. Briss. II. p. 227. n. 10. Lath. Ind. I. p. 340.

Merle Buff. Ois III. p. 330. t. 20. Vers. Germ. Otto IX. p. 5. cum 2 figuris. Pl. Enl. 2. mas. 555. fem.

Blackbird, Pen. Brit. Zool. I. p. 308. n. 109. tab. 47. Arct. Zool. II. p. 345. I. Lath. Syn. III. p. 43. n. 46. Vers. Germ. Bechst. III. p. 39. n. 46. Id. Supl. p. 141.

Schwarzdrossel, Bechst. N. D. 2 Aufl. 3 B. p. 376.

Svecis: Koltrast. *Scanis*: Solswärta.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 10 poll. Rostr. $\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $5\frac{2}{8}$ poll. Cauda $4\frac{1}{2}$ poll. Tibia $1\frac{1}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{2}{8}$ poll. Digit. post. $\frac{7}{8}$ poll.

Rostrum extus et intus fulvum. Supra sinus oris Vibrissæ nigræ. Iris fusca. Margo palpebrarum fulvus. Pedes nigri.

Mas toto corpore atro.

Femina. Rostrum fuscum intus flavum. Pedes saturate fusci. Supra tota nigro-fusca. Gula albida maculis fuscis. Pectus superius sordide ferruginescens maculis fuscis. Abdomen fuscum cinereo tinctum.

Avis Junior, ante primam deplumationem: Supra saturate fusca, capite, collo, dorso antico et scapulis rachibus ferrugineis. Gula et jugulo maculisque in pectore et abdomine sordide ferrugineis.

Var. α: Capite albo maculis rarioribus fuscis; corpore nigro maculis majoribus albis. Mus. Payk.

Var. β: Griseo-fusca.

HISTORIA.

Ubique in sylvis. Solitaria. Manens. In nemoribus densissimis æstivat, hyeme hortos quoque visitat. Sub finem hyemis nidulatur. Nidus in fruticibus ex muscis et ramulis, argilla et luto conglutinatis constructus, Ova 4-5 griseo-viridia maculis striisque brunneis. Terrefacta sono Tack! Tack! avolat. Cantus Maris triste suavis, præsertim vesperi audiendus. Victitat insectis, lumbricis, baccis. Laqueis capitur, baccis Sorbi allecta.

LXXXVII. TURDUS TORQUATUS.

DIAGN: Nigricans alis et corpore subtus albido marginatis, macula semilunari alba circa partem pectoris superiorem.

SYNONYMA.

Turdus Torquatus, Lin. Faun. Sv. p. 80. n. 221. Retz. Faun. Sv. 230. n. 207. Lin. Syst. Nat. I. p. 296. n. 23. Gmel. Syst. I. p. 832. Lath. Ind. I. p. 343.

Merula Torquata, Briss. II. p. 235. n. 12.

Merle à plastron blanc, Buff. Ois. III. p. 340. t. 31. Vers. Germ. Otto IX. p. 36. cum figura. Pl. Enl. 516 (Mas) 182. (junior avis).

Ring-Ouzel, Pen. Brit. Zool. I. p. 310. n. 110. t. 46. Arct. Zool. II. p. 344. H. Lath. Syn. III. p. 46. n. 49. Germ. Vers. Bechst. III. p. 43. n. 49. Sup. p. 141.

Ringdrossel, Bechst. N. D. 2 Aufl. 3 B. p. 369.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 11. poll. Alæ extensæ 17½ poll. Rostrum fere ⅝ poll. A flexura alæ ad apicem 5⅝ poll. Cauda 4½ poll. Tibia 1⅜ poll. Digit. med. 1⅛ poll. Digit. post. ⅞ poll.

Rostrum adulti maris luteum apice et basi supra nigricans. Os intus flavum. Sinus oris flavi, vibrissis nigris supra ciliatis. Iris castanea. Pedes nigro-fusci.

Supra niger pennis dorsi et uropygio tenuissime pallido marginatis; pennis pectoris, tectricibus alarum et caudæ inferioribus albo marginatis. Supra pectus in infima juguli parte macula transversalis magna, semilunaris sordide alba. Remiges et majores tectrices ni-

gro-fuscæ griseo-albo extus marginatæ. Rectrices obtuse-acuminatæ, extima ceteris aliquantum brevior apice tenuiter albo marginata.

Femina dignoscitur colore magis sordido. Rostrum fuscum basi subtus sordide flavum, intus flavum. Pedes fusci.

Fusco-nigra pennis supra griseo, subtus albo marginatis. Lunula juguli sordide cinerascenti-albida, undulis obsoletis fuscescentibus.

HISTORIA.

Rara avis. Migratoria. Demigrantem mense Octobri et revertentem M. Aprili in Scaniæ hortis et sæpibus vivis, rarius tamen, inveni. In superioris Sveciæ sylvis montuosis nidulatur. Cel. Leche sclopeto occidit seniorem avem hujus speciei, ad Mariestad Mense Majo, et juniorem ad Gothoburgum medio Julii, "*quæ cerasos jam maturos cum sociis depascebatur.*" Leche in Advers.

LXXXVIII. TURDUS ROSEUS.

DIAGN: Corpus roseum capite, alis et cauda nigris, occipite cristato.

SYNONYMA.

Turdus Roseus, Lin. Faun. Sv. p. 79. n. 219. Retz. Faun. Sv. p. 229. n. 205. Lin. Syst. Nat. I. p. 294. n. 15. Gmel. Syst. I. p. 819. Lath. Ind. I. p. 344. n. 59.

Merula Rosea, Briss. II. p. 250. n. 20.

Merle couleur de rose, Buff. Ois. III. p. 348. t. 22. Vers. Germ. Otto IX. p. 55. Pl. Enl. 251.

Rose-coloured Ousel or Thrush, Pen. Brit. Zool. 2. p. 6.7. tab. append. V. Arct. Zool. II. p. 344. G. Lath. Syn. III. p. 50. Vers. Germ. Bechst. III. p. 46. n. 52. Sup. p. 142.

Rosenfarbige Drossel, Bechst. N. D. 2 Aufl. 3 B. p. 393. Mus. Payk. M. Ups.

OBSERV.

Specimina, quæ in variis Patriæ Museis vidi e Lapponia sunt. Etiam in Dalekarlia visa refertur avis. Cum vero migratoria est, nec unquam in Svecia meridionali inventa; demigrationes e Lapponia per Finlandiam et Russiam instituere videtur.

DESCRIPTIO.

Longit. avis fere $8\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $5\frac{2}{8}$ poll. Cauda $2\frac{6}{8}$; Tibia $1\frac{2}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{1}{8}$; Digit. post. fere 1 poll.

Rostrum roseum basi nigricans (in ave mortua). Pedes flavescentes. Nares ovales. Iris fusca. Cauda æqualis.

Caput et pars colli, gula, jugulum et tectrices alarum majores nigra coeruleo et viridi nitentia. Occiput cristâ concolor dependente. Dorsum, tectrices minores, pectus et abdomen rosea vel pallide incarnata. Remiges fuscæ latere interiore cinerascentes, exteriore et apice saturatiores, viridi nitentes. Rectrices nigræ, nitentes; Tectrices inferiores caudæ nigræ marginibus albis. Femora nigra.

Femina: fusca ubi mas niger. Crista minor.

GENUS XVIII.

AMPELIS *)

Rostrum breve, rectum, convexum, basi latum, unde faux ampla, subdepressum **). Maxilla superior aliquantum longior, apice decurvatum, utrâque pone apicem emarginatâ.

Nares ovales plumis setosis, rigidis, tectæ.

Lingua cartilaginea tenuis, lata, lanceolata, apice bifida.

Pedes ambulatorii, breviusculi.

Victus: Insecta, Baccæ.

LXXXIX. AMPELIS GARRULUS.

DIAGN: Rubescenti-griseus abdomine pallidiore. Crissum fusco-rufum. Vertex cristatus. Remiges secundariæ appendicibus membranaceis coccineis.

SYNONYMA.

Ampelis Garrulus, Lin. Syst. Nat. I. p. 297. 1. Retz. Faun. p. 231. n. 208. Gmel. Syst. I. p. 838. Lath. Ind. Orn. I. p. 363. n. 1.

*) Rostri formâ ad Muscicapas proxime accedit.

**) Ab apice conspectum fere trigonum.

Lanius Garrulus, Lin. Faun. Sv. p. 28. n. 82.
Bombycilla Bohemica, Briss. Orn. II. p. 333. n. 63.
Le Jaseur de Boheme, Buff. Ois. III. p. 429. t. 26. Pl. enl. 261. Vers. Germ. Otto IX. p. 221 cum fig.
Waxen Chatterer, Pen. Brit. Zool. I. p. 314. n. 112. tab. 48. Arct. Zool. 2. p. 346. n. 207. Lath. Syn. III. p. 91. I. Vers. Germ. Bechst. III. p. 86. n. I.
Seidenschwanz, Bechst. N. D. 2. Aufl. 3 B. p. 410. tab. 34. fig. I.
Svecis: Sidenswans.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 8 poll. Alæ extensæ 14 poll. Rostr. a fronte ad apicem $\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $4\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{3}{8}$; Tibia $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll. postic. $\frac{9}{16}$ poll.

Rostrum et pedes nigri. Iris rufo-fusca. Crista verticis. Cauda fere æqualis.

Tota avis pennis mollibus, sericis vestita. Frons et crissum saturate rufa. Circa basin rostri supra linea et per oculos ad occiput fascia nigra. A maxilla inferiore stria albida inter fasciam jam dictam et gulam nigram. Ceterum corpus rufescenti-cinereum, versus caput magis in rufum, versus caudam in canum vergens. Abdomen albidum. Remiges primores nigræ; 2-4 latere exteriore apicis macula longitudinali alba; sequentes maculâ pallide flava; secundariæ cinereo-nigricantes, apicis exteriore latere macula albâ, membranula oblongo-ovata coccinea terminatae. Tectrices proximæ Remigum primorum nigræ apicibus albis. Rectrices versus basin cinereæ, versus apicem nigræ, apice ipso latius flavæ.

Femina: Nigredo gulæ minor; apices caudæ flavi angustiores et pallidiores; appendices Remigum ad summum quinque.

Var. α. Rostrum album versus apicem nigrum. Corpus totum fuliginoso-album, capite saturatiore, fronte et crisso fusco-rufis. Remiges albæ apice luteæ, secundariæ apendicibus membranaceis coccineis. Rectrices albidæ apicibus luteis. Mus. Upsal. Amp. Garrulus Var. Wet. Ac. H. 1808. p. 197. Tab IV.

Var. β. Alba, corpore subtus, dorso medio et tectricibus alarum fuscescenti-nebulosis. Gula et lora nigra. Remiges ut in primo descripto; sic etiam cauda, sed rectrices intermediæ albæ apicibus luteis.

Mus. Payk.

HISTORIA.

In arctois regionibus æstivat. Mensibus Novembri et Decembri catervatim Scaniam transmigrat. Baccis imprimis Sorbi delectatur, quibus allecta laqueis (Donor) simul cum Turdis capitur. Stupida, vorax et parum timida avis. Verno tempore revertens vescitur Insectis, quibus more *Muscicapæ* potitur.

GENUS XIX.

MUSCICAPA.

Rostrum breve, rectum, trigonum basi dilatatum, maxilla superior longior apice aliqvantum incurvata, pone apicem emarginata.

Anguli oris vibrissis nigris, antice vergentibus, superne ciliâti.

Nares rotundatæ plumis setosis obtectæ.

Lingua.

Pedes ambulatorii *).

Victus Insecta, præsertim Lepidoptera, Hymenoptera et Diptera.

LXXXX. MUSCICAPA GRISOLA.

DIAGN: Supra fusco-grisea, subtus albida, collo inferiore et pectore striis longitudinalibus griseo-fuscis.

SYNONYMA.

Muscicapa Grisola, Lin. Syst. Nat. I. p. 328. n. 20. Retzii Fauna Sv. p. 251. n. 231. Gmel. Syst. I. p. 949. Lath. Ind. I. p. 467. n. 1.

Motacilla Ficedula, Lin. Faun. Sv. p. 90. n. 251. (Nec tamen Syst. Nat. quæ ad sequentem speciem pertinet).

*) *Digiti* non longius fissi qvam in ceteris Passeribus. Extimus semper medio ad primum fere articulum connexus.

Muscicapa, Briss. Orn. II. p. 357. I. t. 35. f. 3.
Le Gobemouche, Buff. Ois. IV. p. 517. t. 25. f. 2. Vers. Germ. Otto XIV. p. 10. cum figura. Pl. Enl. 565. f. I.
Spotted Flycatcher, Pen. Brit. Zool. I. p. 350. n. 134. Lath. Syn III. p. 323. n. I. Vers. Germ. Bechst. III. p. 314. n. I.
Gefleckter Fliegenfänger, Bechst. N. D. 2 Aufl. 3. B p. 421.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $6\frac{2}{3}$ poll. Alæ extensæ $10\frac{1}{2}$ poll. Rostr. a fronte ad apicem $\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{3}{8}$ poll. Cauda $2\frac{2}{8}$ poll. Tibia $\frac{5}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{9}{16}$ poll- Digit. post. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, basi subtus pallidum. Anguli oris et os intus pallide lutea. *Nares* ovato-rotundatæ, perviæ. Supra nares et sinus oris vibrissis nigris antice vergentibus. Iris saturate fusca. Pedes cum ungvibus, nigri.

Caput supra griseum maculis saturatioribus ad raches, pennis frontis albido marginatis. Collum supra, dorsum, scapulæ et uropygium fusco-grisea. Subtus avis alba striis longitudinalibus fusco-griseis ad latera gulæ, in jugulo et pectore. Gula, abdomen et crissum immaculata alba*). Remiges et tectrices saturate fuscæ, secundariæ cum tectricibus majoribus margine exteriori griseo-albæ. Tectrices inferiores et hypochondria albide fuscescentia, sordide lutescenti tincta. Cauda aliquantulum bifurca. Rectrices fuscæ,

*) Obs. Linne et omnes, qui post illum sine autopsia descripserunt, dicunt *Crissum rufescens*, quo nihil falsius.

extima magis griseo-fusca; margine exteriore a basi pallide griseæ.

Femina: aliquantum minor pedibus nigro-fuscis. Præterea vix a Mare coloribus distinguenda.

Pullus nuper volatui aptus: Rostrum cinereo-fuscum. Sinus oris albidi. Pedes grisei. Supra fuscus maculis numerosis albide-testaceis. Subtus albus, gulâ, jugulo et pectore sordide-fusco nebulosis.

OBSERV.

Sensim maculæ supra corpus evanescunt; pone oculos et in apicibus majorum alarum tectricum diutius manent. Remiges intimæ margine exteriore latius pallide testaceæ.

HISTORIA.

Frequens certis locis. Migratoria, abit versus medium Mensis Septembris. Redux post initium M. Maji. Quamdiu transmigratio durat, in hortis Scaniæ occurrit. Summa semper petit cacumina, sono pipilante *Ist, Ist!* se prodens. Insecta forte prætervolantia ocissime arripit, iisque arreptis, in ramulum, unde devolarat, revertitur, prædam consumtura. Nidulatur in sylvis; vix tamen in Scania, ubi post medium Julii occurrit, sed ante hoc tempus haud visa. In aliis Sveciæ provinciis ex. gr. in Hallandia nidulantem inveni. Apud nos videtur bis per annum nidificare. Pullos enim volatui aptos jam medio Junio inveni. Feminam ova parientem eodem tempore in nidulo cepi. Pennæ vero ita detritæ, ut abdomen fere calvum esset, indicare mihi videbantur aviculam jam antea, hac æstate, ova et pullos fovisse. Nidum e muscis, straminibus et radiculis graminum constructum, intus lanâ et plumulis stratum in truncis et radicibus putrefactis cavis haud longe ab aqua, ponit. Ova 5 palli-

de-grisea maculis pallide rufis, præsertim in extremitate crassiore. Mense Augusto et initio Septembris in sylvis Scaniæ et Hallandiæ &c. copiosa.

LXXXXI. MUSCICAPA ATRICAPILLA.

DIAGN: *Mas:* supra niger fronte, maculâ alarum Rectricibus duabus lateralibus extus et corpore subtus albis.

Femina: Supra fusca, fronte, macula alarum, Rectricibus tribus lateralibus extus et corpore subtus albidis.

SYNONYMA.

Muscicapa Atricapilla, Lin. Syst. Nat. I. p. 326. n. 9. Retz. Faun. Sv. p. 250. n. 230. Gmel. Syst. Nat. I. p. 935. Lath. Ind. Orn. I. p. 467.

Motacilla, Lin. Faun. Sv. ed. Ima p. 86. n. 230. tab. I. fig. 229. Ed 2 Tab. I. f. 256. ♂ mas, ♀ junior avis.

Motacilla Ficedula, Lin. Syst. Nat. I. p. 330. n. 10 (non Diagnosis, quæ ad antecedentem pertinet, sed Descriptio) *).

---

*) Mira circa hanc avem apud Linné, confusio, cujus causam si quæris hæc est. *Cel. Leche* avem hujus speciei ad Simonstorp in Scania fixit anno 1730 (*Adversaria Lechei.*) descriptionemque ejus et forte iconem Linneo obtulit. Linne qui nec hanc nec *Motac. Atricapillam* ipse viderat, iconem datam *Motac. Atricapillæ* n. 229. adjunxit (in prima faunæ editione,) adferens tamen descriptionem Muscicapæ Atricapillæ sub No. 230. In secunda Editione Faunæ hunc errorem eo modo mutavit ut Num 230 primæ Editionis (veram *Musc. Atricapillam*) cum sua *Motacilla Rubetra* conjungeret, et iconem ejus *Motacillæ Atricapillæ* adderet. Demum in XIIma Systematis Editione Num: 230. primae Editionis Faunae, ut distinctam Speciem quidem retinuit, sed iconem editionis secundae N. 256. plane omisit.

Muscicapa Nigra, Briss. Orn. II. p. 381. n. 13.

Le Gobe Mouche de Lorraine, Buff. Ois. IV. p. 520. Pl. enl. 565. f. 2. Vers. Germ. Otto XIV. p. 17. fig. infer. (Mas).

Pied Flycatcher, Pen. Brit. Zool. I. p. 351. n. 135. Arct. Zool. II. p. 391. B. Lath. Syn. III. p. 324. n. 2. Vers. Germ. Bechst. III. p. 316. n. 2.

Schwartzrückiger Fliegenfänger, Bechst. N. D. 2 Aufl. 3 B. p. 431. (Avis secundo ætatis anno).

Der Schwartzgraue Fliegenfänger, (Musc. Muscipeta) Bechst. l. c. p. 435.

Becfigue, Briss. Orn. III. p. 369. Buff. Ois. V. p. 187. Vers. Germ. Otto. XV. p. 196. cum. figura. Pl. Enl. 668. f. I.

DESCRIPTIO.

Longitudo avis $5\frac{3}{8}$ poll. Alæ extensæ 9 poll. Rostrum a fronte ad apicem $\frac{5}{16}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{1}{8}$; Cauda 2 poll. Tibia $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{5}{8}$ poll.; post. $\frac{7}{16}$ poll.

Rostrum nitide atrum. Iris Fusca. Pedes nigri.

Tota avis supra nigra cervice et uropygio fusco mixtis, fronte alba. Avis subtus nivea. *Remiges* saturate fuscæ; 5-15 basi albæ; intimæ tres (16-18) albæ latere interiore versus apicem nigræ. *Tectrices minores* nigro-fuscæ, ex proximis intimæ apice albæ, unde macula magna alba in ala composita oritur.

Rectrices: nigræ; extimæ duæ latere exteriore. A basi fere ad apicem albæ.

Variat: Maculis frontalibus binis albis.

Femina: Frontis macula minor, sordide alba.

Avis supra griseo-fusca. Subtus alba, fuscescenti, præsertim in pectore, leviter tincta. Remiges saturate fuscæ, 5-15 latere exteriore juxta basin sordide albæ;

intimæ tres a basi ad medium, et margine exteriore latius albæ. Tectrices minores fuscæ, majorum intimæ apice albæ. Rectrices nigræ, extimæ tres nigro-fuscæ latere exteriore a basi versus apicem albo. Tectrices caudæ superiores nigrae.

Junior Avis: Frons, caput supra, cervix, dorsum, scapulæ et alarum tectrices minores griseo-fusca (vix olivaceo tincta). Latera capitis fuscescentia luteo immixto. Collum antice, alarum tectrices inferiores, superior pectoris pars et hypochondria sordide lutescenti-albida. Abdomen et crissum alba, Remiges nigricantes, 5-15 latere exteriore juxta basin luteo-albida; tectrices majores apice et intimæ tres remiges margine exteriore luteo-albidæ, unde fascia angusta luteo-albida in alis complicatis oritur. Rectrices nigricantes in aliis duæ, in aliis tres ultimæ latere exteriore albæ.

OBSERV.

Vernali tempore seniores aves ita sunt coloratæ ut primo descriptæ. Pullis vero exclusis deplumant, et post deplumationem omnes, mares, feminæ et juniores fere similes sunt, ita ut autumnali tempore nullam tam supra nigram et subtus pure albam invenias ut marem primo descriptum. Hic autem griseo-fuscus color in junioribus, etiam proximo vere conspicitur, et ex his, nova species, a quibusdam Ornithologis, constituta est.

HISTORIA.

Migratoria. Mas ad nos revertitur circa finem M. Aprilis, tuncque in hortis Scaniæ occurrit, femina aliqvantum serius advenit. Circa medium Majum hortos relinqvit et nidificatura in sylvas se confert. Mas arbori insidens bene cantat. Nidulatur in cavis arboribus, inter radices truncorum, in Scania, Hallandia, Ostrogothia &c. Medio Junio nidos cum, ovis 6 coe-

rulescenti-albis, immaculatis, inveni. Jam post medium Julium pullos volatui aptos vidi. Post hoc tempus præsertim m. Augusto in sylvis copiosissime occurrit et mutatione pennarum facta, omnes, mares, feminæ et pulli similes sunt, nec ulla tam superne atra subtusque nivea occurrit ut mares vernali tempore. Ex infimis arborum ramis, qvibus plerumque insidet, insecta prætervolantia celerrime arripit, et captâ prædâ in ramulum revertitur. Timida et fixu difficilis. Alas continuo et celerrime movet. Juxta medium m. Septembris sensim abit.



GENUS XX.

SAXICOLA, *Meyeri.*

Rostrum rectum, tereti-compressum, basi dilatatum. Maxilla superior longior, pone apicem decurvatum, emarginata.

Anguli oris vibrissis antice vergentibus superne ciliati.

Nares patulæ, rotundato-ovales.

Cauda brevior, subæqvalis.

Pedes ambulatorii.

XCII. SAXICOLA RUBETRA.

DIAGN. Supra nigricans marginibus pennarum griseo-ferrugineis. Macula alarum et stria supra oculos alba, jugulum et pectus luteo-rufa.

SYNONYMA.

Motacilla Rubetra, Lin. Faun. Sv. p. 93. n. 255. Retz. Faun. p. 260. n. 243. Lin. Syst. Nat. I. p. 332. n. 16.

Rubetra Major sive Rubicola, Briss. Orn. III. p. 432. n. 26. t. 24. f. I.

Sylvia Rubetra, Lath. Ind. I. p. 525. n. 58.

Saxicola Rubetra, Meyer Vögel Liv- und Esthl. p. 128.

Grand Traquet ou Tarier, Buff. Ois. V. p. 224. Pl. enl. 678. f. 2. Vers. Germ. Otto XV. p. 252.

Whin-chat, Pen. Brit. Zool. I. p. 385. n. 158. Lath. Syn. IV. p. 454. n. 54. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 451. n. 54.

Braunkehliger Steinschmätzer, Bechst. N. D. 2te Ausg. 3. B. p. 684.

Svecis: Busksqwätta.

OBSERV.

Huc ut femina pertinet *Alauda Campestris* Lin. Faun. Sv. p. 77. n. 212. quod miror neminem Ornithologorum adhuc vidisse, quamvis Descriptio est inter optimas in Faunâ Linnei Svecica. Magis tamen mirandum cel. viros Gmelin, Latham &c. hanc Diagnosin in *Al. Campestrem* immutatam retinuisse.

DESCRIPTIO.

Longitudo avis 5 poll. Alæ extensæ $9\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 3 poll. Cauda 2 poll. Tibia $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$; postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum nigrum. Nares ovatæ. Sinus oris nigri, vibrissis nigris supra ciliati. Iris griseo-fusca. Pedes nigri.

Caput supra Dorsum et Scapulæ nigra pennis griseo-ferrugineo marginatis. Uropygium griseo-ferrugineum maculis nigris. A naribus supra oculos ad nucham stria alba. Ab angulo oris sub oculis ad latera Colli fascia lata nigra, rufo et albo interdum immixto. Gula alba dimittit lineam albam ad latera juguli. Jugulum et pars superior pectoris dilute flavo-ferruginea. Inferior pars pectoris et abdomen alba; hypochondria et crissum flavescenti-rufo leviter tincta. Femora albida maculis parvis nigricantibus. Remiges saturate fuscæ extus griseo-ferrugineo, intus albido

marginatæ; *primores* basi albæ tectricibus proximis albis basi et apice nigris; *secundariæ* apice pallidæ tectricibus nigricantibus, interioribus semi-albis vel albis, unde macula oblonga major in ala composita. Rectrices nigro-fuscæ pallido marginatæ; par intermedium basi album, ceteræ a basi supra medium albæ.

Femina: supra saturate fusca marginibus pennarum rufescenti-griseis. Fascia supra oculos rufescenti-albida. Macula alarum alba parva aut fere nulla. Fasciâ sub oculis caret, sed tempora habent maculam fusco-rufam.

Pullus ante primam deplumationem: Supra nigricans; stria ad rachin singulæ pennæ dilute ferruginea, marginibus rufo-ferrugineis. Stria supra oculos, gula, jugulum et pectus sordide ferrugineo-flavescentia, fusco immixto. Remiges cum tectricibus nigræ ferrugineo marginatæ. Rectrices a basi ad medium albæ, dein nigræ rufescenti-albido fimbriatæ.

HISTORIA.

Migratoria ad nos venit versus finem Mensis Aprilis (circa d. 25 Apr. prima redit.) æstate in campis, sylvis adjacentibus, inter frutices et in agris vulgaris. Plerumque in summo cacumine fruticis vel cardui cujusdam sedit. Cantus haud insvavis, vesperi et mane præcipue audiendus. Nidum ex culmis et foliis graminum constructum, pilis et setis intus stratum, in fruticibus haud multum a terra elevatum ponit. Ova 5 pallide coerulea, immaculata. Vescitur Insectis qvibus fere more *Muscicapæ* potitur. Abit Mense Septembri.

LXXXIII SAXICOLA OENANTHE.

DIAGN. Dorsum canum, frons, linea supra oculos et uropygium alba. Fascia per oculos nigra. Cauda alba apice nigra.

SYNONYMA.

Motacilla Oenanthe, Lin. Faun. Sv. p. 93. n. 254. Retz. Faun. 259. n. 242.

Motacilla Oenanthe, Lin. Syst. Nat. I. p. 332. n. 15. Fabr. Faun. Groenl. p. 122. n. 84.

Sylvia Oenanthe, Lath. Ind. Orn. I. p. 529. n. 79.

Vitiflora, Briss. Orn. III. p. 449. n. 33.

Cul-blanc, *Vitrec* ou *Motteux* Buff. Ois. V. p. 237. Pl. Enl. 554. f. 1. 2. Vers. Germ. Otto XVI. p. 5. f. 1. 2.

Wheat-Ear, Pen. Brit. Zool. I. p. 383. n. 157. Arct. Zool. II. p. 420. P. Lath. Syn. IV. p. 465. n. 75. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 460. n. 75. Sup. p. 182.

Saxicola Oenanthe, Meyer Vögel Livl. u. Esthl. p. 127.

Weissschwänziger Steinschmätzer, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 3ter B. p. 675.

Svecis: Stensqvätta.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $6\frac{1}{2}$ poll. longa; alæ extensæ 12 poll. Rostr. $\frac{9}{16}$ poll. A flexura alæ ad apicem 4 poll. Cauda $2\frac{2}{8}$ poll. Tibia $1\frac{1}{8}$; Digit. med. $\frac{6}{8}$; Digit. post. $\frac{9}{16}$ poll.

Rostrum, pedes et iris nigra. Anguli oris nigri, vibrissis nigris supra ciliati. Nares ovatæ, nudæ.

Caput supra collum, Dorsum et Scapulæ pallide cinerea mixtura levissima rufescente. Frons albida dimittit lineam albam supra oculos. A naribus per oculos fascia nigra, quæ in temporibus magis dilatatur. Subtus avis alba, in jugulo et pectore tinctura levissima ferrugineo-flavescenti. Alæ nigræ. Remiges mediæ extus pallide griseo tenuiter marginatæ; secundariæ apice pallidæ. Tectrices alarum superiores nigræ, inferiores et femora pennis nigris albo fimbriatis. Rectrices a basi supra medium (ad apicem alæ clausæ) niveæ, dein nigræ; par medium nigro-fuscum a basi ad tertiam partem album. Tectrices caudæ superiores alba.

Femina: aliqvantum minor, caret albedine frontis et fascia per oculos ad tempora nigra, cujus loco in temporibus macula minor fusco-rufescens. Caput et Dorsum sordide cinerea, rufescenti tincta. Gula, jugulum et pectus sordide ferruginescenti-lutea. Alæ fuscæ ubi Maris nigræ.

HISTORIA.

Migratoria. Redux ante medium Mens. Aprilis. In campis ad lapides et sepes æstate vulgaris. Agilis admodum, caudam erigit et expandit, corpusque totum sursum et deorsum clamitans movet. Nidulatur in sepibus et lapidum acervis. *Nidus* ex culmis et straminibus constructus, plumis, pennis, setis &c. intus stratus. Ova 5-6 alba, coerulescentia, immaculata. Vescitur Insectis, præsertim Coleopteris et Dipteris.

GENUS XXI.

SYLVIA.

Rostrum rectum, subtenue, subulato-acuminatum, mandibulis fere æqualibus, superiore (plerumque) emarginatâ.

Nares obovatæ, nudæ.

Lingua apice lacera.

Pedes ambulatorii, mediocres, ungue postico mediocri, curvato.

Cauda modica.

DISSECTIO I.

Rostrum robustiusculum, altius quam latius, compressum. Pedes robustiusculi.

XCIV. SYLVIA LUSCINIA.

Diagn. Supra rufo-grisea rectricibus fusco rufis, subtus griseo-albida.

SYNONYMA.

Motacilla Luscinia, Lin. Faun. Sv. p. 88. n. 244. Retz. Faun. p. 252. n. 232. Lin. Syst. Nat. I. p. 328. Gmel. Syst. I. p. 950. Briss. III. p. 397. 13.

Sylvia Luscinia, Lath. Ind. I. p. 506. I.

Le Rossignol, Buff. Ois. V. p. 81. t. 6. f. 1. Pl. enl. 615. 2. Vers. Germ. Otto XV. p. 7. cum fig.
Nightingale, Pen. Brit. Zool. I. p. 365. n. 154. Arct. Zool. II. p. 416. A. Lath. Syn. IV. p. 408. 1. Vers. Germ. IV. p. 408. Sup. p. 180.
Die Nachtigall, Bechst. N. D. 2 Aufl. 3. B. p. 476.
Svecis: Näcktergal.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $6\frac{5}{8}$ poll. Alæ extensæ $10\frac{5}{8}$ poll. Rostr. $\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{3}{4}$ poll. extra alas extenditur $1\frac{1}{2}$ poll. Tibia $1\frac{1}{8}$; Digit. med. $\frac{7}{8}$; Dig. post. $\frac{9}{16}$ poll.

Rostrum aliquantum robustum, basi subdilatatum, versus apicem compressum; maxilla superior fusca aliquantum longior pone apicem emarginata; maxilla inferior pallida apice fuscescenti. Nares ovato-rotundatæ. Anguli oris, faux et lingua lutea. Iris obscure fusca. Pedes cinereo-fusci. Cauda subrotundata.

Caput, cervix, dorsum et alæ supra cinereo-fusca, rufo tincta. Uropygium et cauda fusco-rufa. Gula, abdomen et crissum alba. Collum antice, pectus et hypochondria cinerascentia.

HISTORIA.

Migratoria ad nos venit primis diebus Mens. Maji. In frondosis ubique fere Scaniæ invenitur, numerosius ad Beckaskog, Segesholm, Torup, Engelholm &c. etiam in Blekingia. Habitat præterea in Oelandia, Gottlandia, Svartsjölandet, Fulleröu, Uplandia &c. Ad occidentalem patriæ plagam vix supra Scaniam adscendit, jugum (Hallandsås dictum) vix transmigrans. Numerus Lusciniarum ita tamen apud nos imminuitur, ut plurimis locis ubi olim frequemtes fuerunt, nunc

rara aut nulla occurrat. Nidulatur in fruticibus prope terram initio Mens. Junii. Ova ponit quinque sordide olivacea. Dum ovis incubat femina, Mas in frutice adjacente cantat. Cantus celebratissimus et eximius (quem litteris exprimere conatus est Cel. Bechstein l. c.) nonnunquam etiam interdiu, sed plerumque imbecillior exauditur: nocte vero silentium et somnum plurimis animantibus imponente, cantus ejus fit *plenus, gravis, acutus, creber, extentus, ubi visum est, vibrans, summus, medius, imus.* (Plin.) Pullis exclusis, quod plerumque fit circa d. XX M. Junii, cantus silescit. Uterque parens Larvis et Insectis pullos unâ nutriunt.

VC. SYLVIA NISORIA.
(Tab. V.)

DIAGN. Supra saturate cinerea, subtus alba cinereo undulata. Irides aurantiæ.

SYNONYMA.

Die gesperberte Grasmücke, Sylvia Nisoria, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 547.
Mus. Payk. Mus. Upsal.

OBSERV.

Bechstein l. c. ut Synonymum adfert *Mot. Ficedulam* Lin. Faun. p. 90. n. 251. quod tamen minime ad hanc, sed revera ad *Muscicapam Grisolam* pertinet.

DESCRIPTIO.

Lusciniam magnitudine excedit, ideoque inter indigenas sui generis facile maxima. Ultra 7 poll. longa. Rostrum fere $\frac{6}{8}$ poll. Cauda fere 3 poll. extra alas ad $1\frac{1}{2}$ poll. extenditur. Tibia 1 poll.

Rostrum subulatum, leviter compressum, fuscum, mandibula inferiore basi pallida. Iris aurantia. Pedes validi, grisei, digito postico ungue forti et adunco armato.

Singularis similitudo coloris cum *Falcone Niso*, etiam in Iridibus observanda. Avis supra saturate cinerea, oculorum orbitae præsertim ad rostrum nigricantes. Subtus tota alba undulis seu lineis transversis cinereis in gula et jugulo copiosissimis. Remiges fuscæ margine dilutiores, secundariæ albedine terminatæ. Tectrices majores apice albæ. Rectrices æquales cinereo-fuscæ I-I. aliquantulum breviores, introrsum versus apicem dimidiato-albæ. 2-2. macula magna in apice alba; reliquæ albo leviter terminatæ, intermediis immaculatis. *Variat* Rectricibus I-I. tantum in apice albis.

HISTORIA.

Rara. Migratoria. In Scania prope Ifvetosta *) ubi cum conjuge in alnetis prati humidi habitat. Avis timida; inquieta, alte et celeriter volat abrupte cantando. Pullis exclusis per familias in alnetis invenitur. Homine ad pullos appropinquante, parentes triste vociferantes ab uno in alterum fruticem volitant; fere ut *Lanius Collurio*.

XCVI. SYLVIA ATRICAPILLA.

Diagn. Supra saturatius, subtus pallidius cinerea. Pileus maris niger, feminæ fusco-ferrugineus.

SYNONYMA.

Motacilla Atricapilla, Lin. Faun. Sv. p. 93. n. 256. Retz. Faun. p. 260. n. 244. Lin. Syst. I. p. 332. n. 18. Gmel. Syst. I. p. 970.

Sylvia Atricapilla, Lath. Ind. I. p. 508. n. 6.
Curruca Atricapilla, Briss. III. p. 380. 6.
La Fauvette à tete noire, Buff. Ois. V. p. 125. t. 8. f. I. Vers. Germ. Otto XV. p. 75. cum 2. fig.
Blackcap, Pen. Brit. Zool. I. p. 374. n. 148. Arct. Zool. II. p. 418. F. Lath. Syn. IV. p. 415. n. 5. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 415.
Der Mönch, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 512.
Svecis: Svarthätta.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $6\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ $9\frac{3}{8}$; Rostr. $\frac{3}{8}$ poll. Cauda $2\frac{1}{2}$; Tibia $\frac{7}{8}$; Digit. med. $\frac{5}{8}$; digit. post. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum supra nigricans subtus griseo-coerulescens. Nares obovatæ. Faux pallide incarnata. Iris brunnea. Pedes plumbeo-fusci.

Caput supra a fronte per oculos ad nucham nigrum. Cervix, latera colli et capitis pallide cinerea. Dorsum et Scapulæ cinerea, olivaceo tincta. Avis subtus pallide cinerea, gula, abdomine et crisso albidis. Remiges fuscæ, olivaceo extus tinctæ, primæ duæ extus albo tenuiter marginatæ. Cauda æqualis rectricibus acuminatis fuscis olivaceo marginatis.

Femina: Caput supra ferrugineo-fuscum. Dorsum rufo-griseum olivaceo tinctum. Genæ et gula pallide cinereæ. Pectus et hypochondria pallide grisea. Abdomen album, rufescenti tinctum.*)

HISTORIA.

Passim. Migratoria. In Scaniæ hortis et sylvis circa finem M. Maji redux rarius tamen occurrit. Nidula-

*) Inventa est Sclopetoque occisa a Generosiss. Comite *Trolle Wachtmeister*, cui Historiam avis Descriptionemque debeo, quique specimine descripto Museum Payk. donavit.

tur in fruticibus. Ova 4-6 lutescenti-alba ferrugineo et fusco maculata. Vescitur Insectis, Larvis et Baccis.

VCII. SYLVIA HORTENSIS, *Bechst.*

DIAGN: Supra cinereo-fusca subtus cinereo-albida, pectore leviter fulvescente. Palpebræ albæ. Pedes plumbei.

SYNONYMA.

Motacilla Salicaria, Lin. Faun. Sv. p. 90. n. 249.
Motacilla Hippolais, Tengm. Wet. Ac. Handl. 1783. p. 53. Retz. Faun. p. 255. n. 236. et Descriptio prior sub *Mot. Salicaria* p. 256. quæ ad *M. Salicariam* Lin. et ad *M. Hippolaidem* Tengm. pertinet.
Sylvia Hortensis β, Lath. Ind. I. p. 507. n. 3. nec tamen *M. hortensis* Gmelini, quæ forte *M. Sylvia* Lin.
Sylvia passerina, Lath. Ind. I. p. 508. n. 5.
Curruca Minor, Briss. Orn. III. p. 374. 3.
Passerinette, Buff. Ois. V. p. 123. Pl. enl. 579. f. 2. Vers. Germ. Otto XV. p. 72. cum fig.
Pettychaps, Lath. Syn. IV. p. 413. n. 3. et Vers. Germ. Bechst. IV. p. 412. n. 3. non prior, sed posterior, quam in Lancashire non raram dicit Latham.
Die Graue Grasmücke, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 524.

OBSERV.

Omnes fere Ornithologi in *Salicaria* Lin. citanda hallucinantur. At vero aut hæc est aut nulla distincta Species. Cel. Tengmalm, qui l. c. avem nostram luculenter descripsit, dicit esse in Fauna confusionem *M. Hippolaidis* et *Salicariæ;* nec ta-

men in quo confusio proprie consistat dicit, nec confusionem correxit. Nomina solum mutavit, et temere. Nam *M. Hippolaidem* Lin. non esse *Hippolaidem* Tengmalmi, quis non videt? Talem nominum mutationem etiam *Mot. Sylviæ* et *Curruca* fecit Tengmalm, quod infra ostendam. Avicula nostra vix accuratius describi potest quam a Brissonio descripta est loco citato, quem ad suam *Passerinette* adfert Buffon. Quæ vero de moribus ejus adfert Buff. observationibus certe debentur, autumno institutis (Ill. Wachtm. in litt.)

DESCRIPTIO.

Longit. avis fere 6 poll. Alæ extensæ 9 poll. Rostr. $\frac{3}{8}$, a flexura alæ ad apicem 3 poll. Cauda 2 poll. Tibia $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{11}{16}$; Digit. post. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum supra corneo-fuscum, subtus pallidum, altius quam latius, maxilla superior aliquantum longior, pone apicem excisa. Nares oblongo-ovatæ, sursum subcurvatæ. Faux pallide grisea. Anguli oris pallidi vibrissis nigris brevioribus ciliati. Iris rufescenti-fusca. Pedes plumbei, unguibus griseo-fuscis. Cauda æqualis.

Avis supra cinereo-fusca levissime in olivaceum inclinans. Palpebræ albæ. Remiges fuscæ, apice tenuiter pallido cinctæ, margine exteriore cum tectricibus dorso concoloribus. Rectrices cinereo-fuscæ, vix dorso obscuriores, margine exteriore et apice tenuiter albido cinctæ. Tectrices alarum inferiores dilute flavescentes. Gula, pectus, hypochondria cano-fuscescentia vix in flavescens inclinantia. Abdomen et crissum alba.

HISTORIA.

Migratoria. Redux jam medio Majo cum florescunt *Prunus cerasus* et *Tulipa sylvestris*, in hortis cantat,

et abit medio Septembris. Ubique in Sveciæ Australioris hortis et sylvis frondosis. Etiam in Hallandia et circa Holmiam haud rara. Tempore vernali et æstate per totam diem alta voce egregie cantat. Vescitur Insectis et Larvis. Nidulatur in densis fruticibus ex. gr. Juniperi, Cratægi &c. Nidum haud multum supra terram elevatum culmis graminum exsiccatis constructum, setis equinis stratum, Mense Junio inveni. Ova 4-5 cinereo-alba maculis in aliis minoribus in aliis majoribus fusco-olivaceis. Sonus, quem edit hoste adpropinquante: Tack-Tack-Tack! fere audit. Abit circa medium Septembrem.

XCVIII. SYLVIA CINEREA, *Bechst.*

Diagn. Supra cinereo-fusca remigibus latere exteriore ferrugineis, subtus albida, Rectrice extima extus longitudinaliter oblique alba, secunda apice alba.

SYNONYMA.

Motacilla Sylvia, Tengm. Wet. Acad. Handl. 1783. p. 53. Descriptio sub *Mot. Hippol.* in Faun. Sv. Lin. p. 90. n. 248.

Sylvia cinerea, Lath. Ind. I. p. 514. n. 23.

Fauvette grise, Buff. Ois. V. p. 117. Vers. Germ. Otto XV. p. 91. cum fig. Pl. enl. 579. t. 3.

White-Throat, Pen. Brit. Zool. I. p. 387. n. 160. Arct. Zool. II. p. 422. S-Lath. Syn. IV. p. 429. n. 19. Vers. Germ. IV. p. 428. n. 19.

Die Fahle Grasmücke, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 534.

OBSERV.

Hanc aviculam nullibi in Fauna Suec. Lin. probe descriptam video, nisi Descriptione sub n. 248. (Diagnosis tamen huc non pertinet.) Sed quia Linné hanc avem descripturus, illam ita similem invenit antecedenti, ut feminam ejus putaret; non possum quin credam *Mot. Currucam* Lin. Faun. 247. huc pertinere. Hanc meam opinionem quoque probant Aves Pictæ Rudbeckii, quæ semper sunt refugio illi, qui Synonymiam Linneanam extricare voluerit. Igitur in fol. 61. cel. Rudb. optimam hujus aviculæ dedit iconem eâdem exacte Synonymiâ, quam sub *Mot. Curruca* adfert Linné. Hoc probato restat, ut Currucam Auctorum in Faun. Lin. indagemus. Hanc sub. n. 250. (Mot. Sylvia) quærendam puto. Color enim et Magnitudo (vix Trochilo major) in nullam melius quam in hanc quadrant. Pl. enl. 579. f. 3. aviculam bene refert. Descriptio vero Buffonii corrupta et mores hujus avis cum sequentis confusi. Synonyma, quæ ex Pennant et Bechstein citavi, optima sunt.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 6. poll. Alæ extensæ $8\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{7}{16}$ poll. Tibia fere 1 poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$; Digit. post. $\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{1}{2}$ poll. Extra alas extenditur $1\frac{1}{8}$ poll.

Rostrum supra fuscum, subtus pallidum, maxilla superiore parum longiore, vix excisa. Anguli oris et os intus flavescentia vibrissis quatuor nigris. Nares oblongæ sursum curvatæ. Iris dilute avellana. Pedes fusco-flavescentes unguibus cinerascentibus.

Caput supra et Cervix cinerascentia. Dorsum cinereo-fuscum rufescenti leviter tinctum. Remiges fuscæ, *primores* tres margine exteriore tenuiter albæ, *secundariæ* cum tectricibus majoribus ferrugineo late marginatæ, ita ut ala complicata ferruginea appareat. Temporum macula dorso concolor; præterea latera capitis et colli cinerea dorso pallidiora. Subtus avis albida cum rufescentis mixtura in jugulo, lateribus pectoris

et crisso. Gula et abdomen alba. Alæ ad basin subtus albæ maculis parvis fuscis. Cauda æqualis; Rectrices fuscæ, extima aliquantum brevior cinerascens, maculâ longâ, alba fere a basi exterioris marginis ad apicem ubi latior totam occupat pennam; secunda apice alba.

HISTORIA.

Migratoria redit circa Medium Mens. Maji. In lucis, hortis, sylvis et fruticetis haud rara. Agilissima et inquietissima avis. Egregie cantat. Cantans sæpe sicut Anthus Arboreus e cacumine arboris vel fruticis in aërem volando ascendit et cantu finito in sedem revertitur. Homine ad nidum ejus adpropinquante iratam vocem Gä! Gä! edit, erectis verticis pennis inter frutices saliens. Nidulatur in frondosis fruticibus. Ova virescenti-alba punctis olivaceis et fuscis. Vescitur insectis et Larvis.

IC. SYLVIA CURRUCA.

Diagn. Supra rufescenti-grisea capite cinerascente, macula temporum obscuriore. Subtus alba. Rectrix extima latere exteriore et apicis margine interiore alba.

SYNONYMA.

Motacilla Sylvia, Lin. Faun. Sv. p. 90. n. 250? (Vide observ. in Synon. antecedentis).

Mot. Curruca, Tengm. Wet. Ac. Hand. 1783. p. 53.

Sylvia Curruca, Lath. Ind. I. p. 509. n. 9.

Curruca garrula, Briss. III. p. 384. n. 7.

Fauvette babillarde, Buff. Ois. V. p. 135. Pl. enl. 580. fig. 3. Vers. Germ. Otto XV. p. 97 cum fig. (Descriptio ad antecedentem pertinet.)

Babbling Warbler, Lath. Ind. Orn. IV. p. 417. n. 6. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 417.

Das Müllerchen, *Sylvia garrula*, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3 B. p. 540.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $5\frac{2}{8}$; Alæ extensæ 8 poll. Rostr. $\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $2\frac{6}{8}$ poll. Cauda $1\frac{2}{8}$; Tibia $\frac{13}{16}$ poll. Digit. med. $\frac{5}{8}$ poll. postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum compressum, acutum, supra nigricans, subtus pallide coerulescens; maxilla superiore aliquantum longiore, pone apicem parum excisa. Anguli oris pallidi. Os intus et lingua bifida, pallida. Nares oblongæ, sursum curvatæ, vibrissis supra sinus oris 3-4 nigris. Iris constat annulis binis, quorum exterior albidus, interior rufus. Pedes plumbeo-fusci.

Caput supra cinereum, fusco levissime tinctum. Dorsum et alarum tectrices pallide cinereo-fusca leviter rufescenti tincta. A naribus per oculos fascia cinereo-fusca, quæ latior est et obscurior pone oculum. Palpebra inferior alba. Avis tota subtus alba; in gula jugulo et abdomine pure, in pectore, alarum tectricibus inferioribus et crisso levissime in rufescens inclinans. Remiges et majores tectrices fuscæ rufescenti-griseo tenuiter marginatæ. Rectrices fuscæ, extima aliquantulum breviore, pallidiore, latere exteriore et margine interiore ad apicem alba, secunda apice albo marginata; mediæ binæ albido, reliquæ rufescenti-griseo tenuiter marginatæ. *Obs.* Variat Rectrice 1-I dimidiato oblique albida præter lineam fuscam secundum rachin.

HISTORIA.

Migratoria. Circa XX d. M. Maji in Scaniæ hortis et fruticetis redux obvenit. Inter frondes arborum

Insecta et Larvas lectura salit avis agilis et inquieta. Suavi sed submissa voce cantat. Nidulatur in fruticibus. Ova 4-5 alba, extremitate obtusiore maculis coerulescentibus et brunneis. Frigore instante domos intrantem vidi. Abit circa medium Septembrem.

C. SYLVIA RUBECULA.

Diagn: Supra sordide olivacea, gula et pectore fulvo-rubris.

SYNONYMA.

Motacilla Rubecula, Lin. Faun. Sv. p. 95. n. 260. Retz. Faun. p. 264. n. 249. Lin. Syst. I. p. 337. Gmel. Syst. I. p. 993.

Sylvia Rubecula, Lath. Ind. I. p. 520. n. 42.

Rubecula, Briss. Orn. III. p. 418.

Rouge-gorge, Buff. Ois. V. p. 196. t. II. Vers. Germ. Otto XV. p. 209 cum fig. Pl. enl. 361. f. I.

Red-Breast, Pen. Brit. Zool. I. p. 372. n. 147. Arct. Zool. II. p. 417. D. Lath. Syn. IV. p. 442. n.. 38. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 442. n. 38.

Rothkehlchen, Bechst. N. D. 2. Aufl. 3. B. p. 579.

Svecis: Rotgel. *Scanis.* Rödbrösta.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $5\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ 9. poll. A flexura alæ ad apicem $2\frac{6}{8}$ poll. Cauda $2\frac{2}{8}$; Rostr. $\frac{3}{8}$; Tibia I. poll. Digit. med. $\frac{5}{8}$, postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum nigro-fuscum altius quam latius, maxilla superiore prominula, pone apicem emarginata. Nares oblongæ sursum curvatæ. Anguli oris et os

intus flavescentia. Iris fusca. Pedes griseo-fusci unguibus obscurioribus. Cauda æqualis.

Caput supra, cervix, dorsum sordide olivacea. Fascia frontalis, gula cum capitis lateribus usque ad oculos, jugulum et superior pectoris pars fulvo-rubra, qui color in colli lateribus coerulescenti-cinereo cingitur. Pars inferior pectoris et abdomen alba. Crissum sordide album. Remiges et acuminatæ Rectrices fuscæ latere exteriore Dorso concolores. Tectrices majores Remigum interiorum (interdum) apice maculis parvis flavescentibus. Tectrices inferiores fuscescentes, luteo intermixto.

Avis junior: ante primam pennarum mutationem: Caput supra et ad latera, Dorsum et tectrices minores olivacea, singula penna macula flavescenti, fusco terminata. Remiges et Rectrices ut in adultis, sed magis olivaceo marginatæ. Gula et pectus sordide flavescentia, pennis fusco terminatis. Abdomen et crissum sordide albida.

HISTORIA.

Migratoria, sed inter primas, quæ adveniunt et postremas, quæ abeunt. Jam ad finem M. Martis in hortis Scaniæ invenitur, et frigore tum oppressa haud raro domos quærit. Verno tempore frutices et arbores hortorum frequentans suavi sed demissa voce cantat, etiam autumno, ante abitum, in hortis cantat. Æstate sylvas densas et frondosas nidificatura petit. Nidulatur in terra inter radices arborum, in truncis &c. Nidus extus ex muscis, intus ex culmis graminum constructus. Ova 5 sordide albida punctulis rufo-fuscis extremitate obtusiore confluentibus. Pulli volatui apti jam initio Julii occurrunt. Victitat Insectis, Larvis, lumbricis et autumnali tempore Baccis

Sorbi, quibus allecta in Laqueis inter Turdos capitur. Usque ad finem M. Decembris in hortis obvenit.

DISSECTIO. II.

Rostrum tenuissimum, teres, acutum, basi latius quam altius. Pedes graciles.

CI. SYLVIA PHOENICURUS.

Diagn. *Mas:* Frons alba. Caput et dorsum coeruleo-cinerea. Gula et jugulum nigra. Pectus et cauda rufa rectricibus intermediis fuscis.

Femina: Supra rufescenti-grisea; gula et abdomen albida; pectus sordide ferruginescens.

SYNONYMA.

Motacilla Phoenicurus, Lin. Faun. Sv. p. 94. n. 257. Retz. Faun. p. 261. n. 245. Lin. Syst. Nat. 335. n. 34. Gmel. Syst. I. p. 987.

Sylvia Phoenicurus, Lath. Ind. I. p. 511. n. 15.

Rossignol de muraille, Buff. Ois. V. p. 170. t. 6. f. 2. Vers. Germ. Otto XV. p. 165. cum fig. 2. Pl. enl. 351. f. I. (Mas.) 2 (fem.)

Ruticilla, Briss. Orn. III. p. 403.

Redstart, Pen. Brit. Zool. I. p. 371. n. 146. Arct. Zool. II. p. 416. B. Lath. Syn. IV. p. 421. II. Vers. Germ. 421. II.

Gartenrothschwänzchen, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 607.

Femina: Svecis Rödstjert.

Motacilla Erithacus, Lin. Faun. Sv. p. 94. n. 258. Retz. Faun. p. 262. n. 247. Gmel. Syst. I. p. 988.

Sylvia Erithacus, Lath. Ind. I. p. 513.

Red-tail, Lath. Syn. IV. p. 425. n. 14. Vers. Germ. IV. p 425. n. 14. sc. prius descripta seu femina; avis quæ pro Mare huic adjungitur, alia est et forte ut Bechst. putat femina annua *Sylv. Seciæ.*

Svecis: Rödbuk.

Avis Junior: Motacilla Tithys, Lin. Faun. Sv. I. Edit. p. 85. n. 227. (Obs. Bechst. N. D. adfert hoc synonymum ad suam *S. Tithyn*, ad quam minime tamen pertinet, sed revera ad juniorem *Phoenicurum.)*

DESCRIPTIO.

Longit. avis fere 6 poll. Alæ extensæ $9\frac{1}{2}$; Rostr. $\frac{7}{10}$ poll. A flexura alæ ad apicem 3 poll. Cauda $2\frac{3}{8}$; Tibia $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{5}{8}$; postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum nigrum, tereti-acutum, maxilla superiore prominula apice deflexa, vix emarginata. Os intus et anguli oris flava. Nares ovatæ. Iris nigricans. Pedes nigri, cum digitis, graciles. Cauda subæqualis vix rotundata.

Frons alba, supra basin rostri nigra. Vertex, cervix, dorsum et scapulæ coerulescenti-cinerea (rufo interdum leviter immixto) Gula, jugulum, latera colli et capitis usque per oculos nigra. Pectus, hypochondria, tectrices alarum inferiores, Uropygium rufo-ferruginea. Abdomen album. Crissum dilute ferruginescens. Remiges fuscæ dilute ferruginescenti tenuiter extus marginatæ. Rectrices rufo-ferrugineæ, intermediis duabus fuscis, basi et margine exteriore rufo-ferrugineis.

Femina: a mare coloribus valde differt. Supra grisea rufescenti tincta. Genæ, gula et jugulum sordide albida. Pectus, tectrices alarum inferiores et hypochondria sordide ferruginescentia. Abdomen et crissum

albida, levissime ferruginescenti tincta. Remiges et Rectrices ut in Mare.

Avis junior: qualis autumnali tempore in sylvis et hortis una cum parentibus, frequens occurrit. Supra cinereo-fusca, rufo leviter tincta, Uropygio ferrugineo-rufo. Pectus et hypochondria fuscescentia, flavescenti tincta. Abdomen et gula albida. Crissum pallide fulvescens. Remiges nigricantes, præsertim interiores pallide ferrugineo marginatæ. Rectrices ferrugineo-rufæ; par intermedium nigricans margine exteriore rufo-ferrugineo.

Mas junior post primam pennarum mutationem: Frons albida fusco tincta. Vertex, cervix, Dorsum coerulescenti-cinerea fusco saturatius tincta. Gula et jugulum pennis nigris pallide cinereo terminatis. Pectus ferrugineum albo pulchre undulatum. Abdomen medium album. Crissum flavescenti-albidum. Remiges et Rectrices ut in proxime antecedenti.

HISTORIA.

Migratoria. Redux ad finem M. Aprilis. Verno tempore in hortis, sepibus vivis et in fruticetis frequens. Cantus haud insuavis. Perpetuo fere ocissime caudam concutit avis agilissima. Æstivat in sylvis densioribus et hortis, ibique in cavis arborum et murorum, inter lapides sepium &c. nidulatur. Ova 5-8 pallide coerulescenti-viridia. Homine ad nidum vel ad pullos appropinquante sibilantem sonum edit: *huit! huit!* et magis in affectu: *huit Ké-Ké! huit Ké Ké Ké!* Autumnali tempore ante dimigrationem, parentes cum pullis in sylvis et hortis sunt frequentes. Abit post medium Septembrem.

CII. SYLVIA. TITHYS, *Lath.*

Diagn. Supra saturate cinerea. Gula, jugulum et superior pars pectoris nigra. Rectrices rufæ, intermediis binis fuscis.

SYNONYMA.

Sylvia Tithys, Lath. Ind. Orn. I. p. 512. n. 16.
Motacilla gibraltariensis, Gmel. Syst. I. p. 987. *atrata*, Gmel. l. c. p. 988.
Grey-Redstart, Lath. Syn. IV. p. 423. n. 12. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 424. n. 12.
Black-Redtail, Lath. Syn. l. c. p. 426. n. 16. Vers. Germ. l. c. p. 426.
Hausrothschwänzchen, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 597. tab. XVIII.

Mus. Payk. Mus. Holm.

OBSERV.

Errant qui *Mot. Tithyn* Faun. Sv. I Ed. n. 227 ad hanc avem referant. Hoc quisque videre potest, qui vel obiter descriptionem in Fauna Sv. datam inspiciat. Est vero Linnei *Tithys* junior *Phoenicurus*, qualis autumno frequens in Sylvis occurrit. In secunda editione avem hanc ob caussam exclusit Linné, et in XII Systematis editione eam ad *Phoenicurum*, cui pertinet, quamvis non ut femina, retulit. *Linné* nostram avem non novit.

DESCRIPTIO.

Magnitudo *Sylviæ phoenicuri.* Caput supra, cervix, Dorsum, uropygium saturate coeruleo-cinerea. Fascia supra basin rostri, latera colli usque ad oculos, Gula, jugulum et superior pectoris pars nigra, pectore undulis cinereis. Hypochondria cinerea. Abdomen medium albidum. Crissum luteo-rufescens. Remiges fuscæ cinereo marginatæ. Tectrices superiores

caudæ et Rectrices luteo-ferrugineæ, pari intermedio fusco.

Femina: Corpus obscure cinereum fere nigricans; abdomen griseo variegatum. Remiges fuscæ extus albido marginatæ. Rectrices ut in Mare.

LOCUS.

Novitia hæc Ornithologiæ Sveciæ rarissime apud nos occurrit. Specimen prope Upsaliam ab Illustriss. Comite Trolle Wachtmeister verno tempore sclopeto occisum est.

CIII. SYLVIA SVECICA.

DIAGN. **Supra cinereo-fusca. Gula coerulea. Cauda basi ferruginea, apice nigricans.**

SYNONYMA.

Motacilla Svecica, Lin. Faun. Sv. p. 94. n. 259. Retz. Faun. 263. n 248. Lin. Syst. I. p. 336. 37. Gmel. Syst. I. p. 989.

Cyanecula, Briss. III. p. 413. 19. (Mas.)

Cyanecula Gibraltariensis, Briss. III. p. 416. n. 20. (fem.)

Sylvia Svecica, Lath. Ind. I. p. 521. n. 43.

La Gorge bleue, Buff. Ois. V. p. 206. t. 12. Pl. enl. 610. f. 1. 2. 3. Vers. Germ. Otto XV. p. 225. cum 2. fig.

Blue throated Warbler, Lath. Syn. IV. p. 444. n. 39. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 444. n. 39. Pen. Arct. Zool. II. p. 417. E.

Blaukehlchen, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3ter B. p. 589.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $5\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{5}{8}$; A flexura alæ ad apicem $2\frac{5}{8}$ poll. Cauda fere 2 poll. Tibia $1\frac{1}{8}$; Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll; postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum nigrum, gracile, tereti-compressum. Anguli oris lutei. Iris fusca. Tibiæ incarnatæ digitis nigricantibus.

Caput supra, cervix, Dorsum, scapulæ cinereo-fusca. A naribus ad oculum stria albida. Tempora fusco-rufescentia. Collum antice a gula ad sternum pulchre nitide-coeruleum fascia nigricante terminata. Pectus anterius ferrugineum. Abdomen albidum. Crissum albo-ferruginescens. Remiges fuscæ cinereo-fusco marginatæ. Rectrices a basi ad medium ferrugineæ, ceterum nigricantes; par medium fuscum.

Femina: Gula albida ad latera stria utrinque longitudinali nigra. Jugulum striis binis coeruleis. Pedes incarnati.

LOCUS.

Habitat in Salicetis et alnetis Norrlandiæ et Lapponiæ, dimigrationes per Finlandiam instituens, in inferiore Svecia nunquam visa.

CIV. SYLVIA MODULARIS.

DIAGN: Supra rufo-brunnea nigricante maculata. Caput, collum et pectus sordide coerulescenti-cinerea, capite et collo supra fusco striatis.

SYNONYMA.

Motacilla Modularis, Lin. Faun. Sv. p. 89. n. 245. Retz. Faun. 253. n. 233. Lin. Syst. Nat. I. p. 329. n. 3. Gmel. Syst. I. p. 952.

Sylvia Modularis, Lath. Ind. I. p. 511. n. 13.

Curruca Sepiaria, Briss. Orn. III. p. 374. 12.

Traine-buisson, Buff. Ois. V. p. 151. Pl. enl. 615. f. 1. Vers. Germ. Otto XV. p. 129. cum fig.

Hedge Sparrow. Pen. Brit. Zool. I. p. 376. n. 150. Arct. Zool. II. p. 418. H.

Hedge-Warbler, Lath. Syn. IV. p. 419. n. 9. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 420. n. 9.

Braunelle, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 617.

Svecis: Järnsparf.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 6 poll. Alæ extensæ $8\frac{1}{2}$. Rostr. $\frac{7}{16}$ poll. Cauda $2\frac{5}{8}$ poll. extra alas complicatas $1\frac{1}{2}$ poll. extenditur. Tibia $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$; postic. $\frac{9}{16}$ poll.

Rostrum nigrum, teres basi aliquantum dilatatum, mandibula superiore prominula apice deflexa. Nares oblongæ membrana fornicata semitectæ. Os intus pallide flavum. Iris fusco-rufa. Pedes incarnato-flavicantes.

Caput et collum supra cinerea fusco striato-maculata. Dorsum et scapulæ rufo-brunnea maculis nigrofuscis (Dorso *Fring. Domesticæ* fere simile). Uropygium griseo-brunneum immaculatum. Gula sordide albida. Jugulum, latera colli, superior pars pectoris et tectrices alarum inferiores coerulescenti-cinerea. Macula temporum rufa albido lineata. Abdomen albidum. Crissum albidum maculis acutis fuscis. Remiges saturate fuscæ ferrugineo marginatæ. Tectrices proximæ apice (plerumque) maculis minutis albidis. Rectrices saturate fuscæ, pari intermedio dilutiore marginibus ferruginescentibus,

HISTORIA.

Haud vulgaris. Migrant pleræque, hybernant nonnullæ non solum in Scania sed etiam in Hallandia &c. *)

*) Juxta Lund in Scania hieme haud raro capiuntur inter *Fringillas*.

Autumno quæ abeunt, initio M. Aprilis redeunt et in hortis sepibusque vivis Scaniae occurrunt. Dulci sed submissa voce cantant. Victitant Insectis et seminibus.

DISSECTIO III.

Frons stricte-acuminata, depressa. Rostrum elongatum, in plerisque dilatatum. Pedes robustiusculi. Cauda rotundata.

CV. SYLVIA HIPPOLAIS.

DIAGN. Supra cinereo-olivacea, subtus pallide flava. Cauda æqualis. Nares rotundatæ. Pedes plumbei.

SYNONYMA.

Motacilla Hippolais, Lin. Faun. Sv. p. 90. n. 248. (Diagnosis nec tamen Descriptio, quæ, ut ipse suspicatur, ad suam *Curucam* n. 247. pertinet. Vide Obs. sub *Sylv. cinerea.*)

Motac. Salicaria, Retz. Faun. p. 255. n. 237. cum Descriptione Pennantii; Descriptio Linnei ad *M. Salicariam* Lin. i. e. ad *Hortensem* meam pertinet.

? *Curruca Arundinacea*, Briss. Orn. III. p. 378.

Fauvette des roseaux, Buff. Pl. enl. 581. f. 2. (Obs. Descript. in Hist. Ois. V. p. 142. Otto XV. p. 112. potius ad sequentem pertinere videtur.)

Pettychaps, Pen. Brit. Zool. I. p. 376. n. 149. Obs. *Pettychaps* Lath. Syn. ad meam *S. Hortensem* pertinet.

Bastard nachtigall, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 553.

OBSERV.

Plura Synonyma certe extricare non valeo. Sæpius enim hæc cum *S. Trochilo*, sæpius cum aliis confusa. Adfert quidem

Cel. Bechstein l. c. *The lesser Pettychaps*, Lath. Syn. IV. p. 415. hæc vero avis tum descriptione tum magis historiâ ad *S. Trochilum* pertinere mihi videtur. Citavit etiam Bechst. *La Fauvette* Buff. Ois. V. p. 117. quæ huc minime pertinet.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $5\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ 9 poll. Rostr. $\frac{7}{16}$ poll. A flexura alæ ad apicem 3 poll. Cauda 2 poll. Tibia $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{5}{8}$; digit. post. $\frac{1}{2}$ poll.

Caput fronte acuminata depressa. Rostrum rectum, obtusiusculum, præsertim basi depresso-dilatatum*), supra incarnato-fuscum subtus flavescent.-incarnatum marginibus et oris angulis luteis, vibrissis 3-4 nigris. Mandibulæ æquales superiore vix emarginata. Nares patulæ rotundatæ. Os intus croceum. Iris rufo-fusca. Pedes plumbei unguibus griseo-fuscis.

Caput supra, cervix, dorsum et tectrices alarum minores cinereo-olivacea. Stria pallide flava a naribus ad oculum. Palpebræ pallide flavæ. Gula, jugulum, pectus et abdomen dilute-flava, crisso et tectricibus alarum inferioribus pallidioribus. Remiges saturate fuscæ, primores tenuius, secundariæ latius luteo-viridi extus marginatæ. Rectrices æquales, saturate fuscæ, extima pallidiore, albo tenuiter fimbriata, ceteris intus albo-extus pallide virescenti marginatis.

HISTORIA.

Migratoria, revertitur circa medium Majum. Avis cauta et inquieta haud rara est in hortis, fruticetis et ad margines sylvarum in inferiore Svecia. In magnis et densis sylvis rarius occurrit. Cantus egregius et

---

*) Rostro Muscicapæ quodammodo simile.

variæ modulationis plenus, quem qui attentius exaudit, ex sonis variarum avium compositum reperiet. Recognoscet enim in eo sonos *Hirundinis Sturni*, *Fringillæ Cannabinæ*, imo vero *Sternæ hirundinis* et *Tringæ Calidris*. Vox quam edit cum homo vel alius hostis ad nidulum adpropinquat, his fere syllabis exprimi potest: Tack-Tack-Tack! et magis irata: Tăck-ăkўŏ-Tăck-ăhўŏ-hў! Nidum pulcherrimum obconiformem, in fruticibus frondosis, duas fere ulnas super terram, medio Junio inveni. Foliis culmisque graminum et amentis Salicum artificiose erat constructus, extus pulcherrime ornatus subtili et albo cortice extimo Betulæ, intus setis equinis stratus. Ova 5 pulcherrima, rubescenti-albida punctis et venis saturate sangvineis, præsertim circa extremitatem crassiorem.

CVI. SYLVIA ARUNDINACEA.

(Tab VI.)

Diagn. Supra cinereo-fusca, subtus alba ferruginescenti tincta. Cauda subcuneiformis, Rostrum elongatum. Frons depressa.

SYNONYMA.

Motacilla Arundinacea, Lightfoot Philos. Transact. Vol. LXXV. anno 1785. P. I. p. 8. fig. I. (bona.) Gmel. Syst. I. p. 992*).

Sylvia Arundinacea, Lath. Ind. Orn. I. p. 510. n. 12.

Der Spitzkopf, Bechst. N. D. Ima. Edit. 4. B. p. 667.

Der Spitzkopf mit der Schwanzbinde, Bechst. l. c. 669.

*) Gmel. et Lath. in magnitudine avis exponenda hallucinantur; Lightf. l. c. dicit maris longitudinem esse 5½ poll. feminæ 5 poll. sed latitudinem 7½ poll.

Bouscarle de Provence, Buff. Ois. V. p. 134. Pl. enl. 655. f. 2?

Reed Wreen, Lath. Syn. IV. p. 615. n. 151. Vers. Germ. IV. p. 560.

Der Teichlaubvogel, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 566.

OBSERV.

Specimen quod descripsi in Mus. Reg. Acad. Holm. asservatur, in Svecia occisum. Notatu sane dignum est quod hoc exemplar in rectricibus mediis talem habeat fasciam pallidiorem (quamis obsoletam) qualem semel vidit Cel. Bechst. et quæ illum induxit ut novam constitueret speciem. Unde hæc sit, nescio, sed in arundinetis quærenda est avis.

DESCRIPTIO.

Longit. Avis 5 poll. Rostr. $\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{6}{8}$ poll. Cauda 2. poll. Tibia fere 1. poll. Digit. med. $\frac{11}{16}$; Digit. post. $\frac{9}{16}$.

Caput fronte acuminata et depressa. Rostrum longum, subtus teres, luteo-incarnatum, supra nigro-fuscum carina angulatum, maxilla superiore aliquantum longiore vix emarginata, apice obtusa, deflexa. Supra angulos oris vibrissæ quatuor nigræ, breviores, reflexæ. Nares ovales. Pedes validiusculi unguibus, præsertim postico, robustis, compressis. Cauda cuneato-rotundata, rectricibus acutiusculis, præsertim intermediis duabus longioribus.

Tota avis supra griseo-fusca olivaceo tincta, capite saturatius, uropygio pallidius. A naribus supra oculos stria albicans, in hoc specimine vix conspicua. Gula alba. Avis subtus albida tinctura ferruginescenti-lutea in pectore, hypochondriis et crisso. Remiges saturate fuscæ marginibus pallidioribus. Tectrices in-

feriores sordide albæ. Rectrices saturate fuscæ, lateribus pallidiore, apicibus fere albido marginatis.

OBSERV.

Magnitudine et habitu *S. Hippolaidi* simillima, a qua tamen his fere differt. 1mo Rostrum ad basin aliquantum est angustius, et carina superne longitudinalis a basi inter nares ad apicem magis conspicua. Maxilla superior quoque longior et apice deflexa. 2do Ungues majores sunt, præsertim postico valido, obtuso et compresso. 3tio Cauda fere cuneiformis. 4to Color dissimilis.

DISSECTIO. IIII

Rostrum brevius, tenue, subcompressum. Pedes graciles.

CVII. SYLVIA SCHOENOBÆNUS, *mihi.*

MOTACILLA SCHOENOBÆNUS, Lin. Faun. Sv.

DIAGN. Caput supra nigricans striis griseo-olivaceis. Dorsum griseo-olivaceum maculis fuscis; uropygio sordide ferrugineo. Stria albida supra oculos. Subtus ferruginescenti-alba. Cauda rotundata.

SYNONYMA.

Motacilla Schoenobænus, Lin. Faun. Sv. p. 89. n. 246. Retzii Faun. p. 253. n. 234.

Sylvia Salicaria, Lath. Ind. I. p. 516. (Descriptio),

Sedge, Pen. Brit. Zool. I. p. 381. n. 155. (Bene descripta.)

Sedge Warbler, Lath. Syn. IV. p. 430. n. 21. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 431. n. 21. Arct. Zool. II. p. 419. M —

Der Schilfsänger, Sylvia Phragmitis, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 3. B. p, 633.

Svecis: Säfstigare.

OBSERV.

Hæc est avis, quam sub nomine Motac. Schoenobæni intellectam voluit Linne in Fauna Sv. Descriptio Linneana brevior quidem est et minus exacta. Linné vero avem numquam ipse vidit. Cel. autem Leche, a quo descriptionem sumsit, hanc multo magis accuratam et perfectam in *Adversariis* suis, quæ ad manus sunt, reliquit. Ex his igitur liquet avem hanc nostram esse eandem ipsam, quam nomine *Schoenobæni* descripserit Linne. Cel. Pennant, (qui nostram avem bene descripsit), et omnes fere post illum Ornithologi enumerarunt inter Synonyma ejus *Motac. Salicariam* Lin., quo tamen nihil falsius.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 5 poll. Alæ extensæ $7\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{7}{16}$ poll. A flexura alæ ad apicem $2\frac{6}{8}$ poll. Cauda 2 poll. Extra alas extenditur $1\frac{2}{8}$ poll. Tibia $\frac{7}{8}$; Digit. med. $\frac{5}{8}$ poll. Digit. post. $\frac{1}{2}$ poll.

Avis gracilis fronte acuminata. Rostrum acutissimum, rostro *Sylviæ Svecicæ* simile, supra carinatum nigro-fuscum, versus apicem compressum; subtus basi pallidum. Nares ovato rotundatæ. Os intus aurantium. Lingua apice lacera, basi supra maculis binis fuscis notata. Iris castanea. Pedes sordide flavescentes, plantis subtus luteis unguibus pallide fuscis, postice majori, curvato, intermedio rectiusculo.

Caput supra fusco-nigrum striis longitudinalibus griseo-olivaceis præsertim in medio pileo, ita ut fascia supra-superciliaris utrinque nigra immaculata ex-

sistat. Dorsum saturate fuscum marginibus pennarum latioribus griseo-olivaceis. Dorsum posticum et tectrices caudæ superiores sordide lutescenti-rufa, immaculata. A naribus, supra oculos versus nucham stria albida; per oculos stria fusca pone oculos latior rufescens. Subtus avis sordide alba, rufescenti-luteo tincta in jugulo, hypochondriis et crisso. Alæ extensæ obtusæ. Remiges fuscæ, ultima extus albido marginata, interiores cum tectricibus griseo-olivaceo marginatæ. Tectrices inferiores albidæ luteo tinctæ. Cauda rotundato-cuneiformis (explicata angulum format obtusum). Rectrices apice rotundato fuscæ, pallidius apice marginatæ.

Pullus vix volatui aptus: Supra testaceus maculis longitudinalibus nigris præcipue in capite. Linea supra oculos pallide flavescens. Remiges et Rectrices nigricantes, testaceo latius marginatæ. Subtus albidus tinctura levi ferrugineo-flavescenti.

HISTORIA.

Migratoria. Locis paludosis ad margines Lacuum et fluviorum inter Arundines et Equiseta &c. in Scania et Uplandia avem vidi. Inter arundines saliens variis modulationibus interdiu et in multam noctem cantat. Cantans arundines sæpe relinqvit et in aërem, Alaudæ instar, sed brevius, adscendit. Cantus haud insuavis e Cantu *Mot. flavæ.*, *Hirund. rusticæ* et quibusdam sonis stridentibus compositus videtur. Nidum nondum inveni.

CVIII. SYLVIA SIBILATRIX.

(Tab. VII.)

Diagn. Supra flavescenti-viridis. Supercilia lutea. Fascia per oculos fusca. Gula et jugulum fla-

vescentia, Abdomen et crissum alba. Nares ovatæ.

OBSERV.

Cel. quidem Bechstein aviculam hancce et quoad colores et quoad mores optime descripsit; Synonymiam vero quam adfert, approbare non possum. Recitat igitur 1mo *Motacillam Trochilum* Gmel. Syst I. p. 995. n. 49. (marem). Gmelin autem l. c. nullam adfert coloris differentiam inter Marem et feminam. Avis ejus eadem est atque illa, quam sub hoc nomine intellectam voluit Linné. 2do *Pouillot ou Chantre*, Buff. Ois. V. p. 344. Pl. enl. n. 651. f. 1. Vers. Germ., Otto XVI. p. 201. Buffon l. c. aperte confundit historiam hujus avis cum sequente. Otto vero l. c. p. 211. nomine *Sänger* aviculam nostram descripsisse videtur. 3tio *Yellow Wren*, Lath. Syn. IV. p. 412. n. 147. Descriptio quidem coloris tam brevis est, ut inter aves tam sibi similes perdifficile sit videre, ad utram pertineat. Mores vero et cantus potius ad Trochilum pertinent. Quæ vero cum ita sint, equidem hæc vera habeo.

SYNONYMA.

Grüner Laubvogel, *Sylvia Sybilatrix*, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 561.

The Wood Wren, Lamb. Transact. of Lin. Soc. Vol. II. p. 245.

Sylvia Sylvicola, Montagu Transact. Lin. Soc. IV, p. 35.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 5. poll. Alæ extensæ $8\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{5}{16}$ poll. Cauda 2. poll. Tibia $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{1}{2}$ poll; postic. $\frac{7}{16}$ poll.

Caput fronte stricta. Rostrum basi latiusculum versus apicem compressum, marginibus tamen haud in-

flexis, supra fuscum, carinatum, subtus basi et marginibus incarnatum. Maxilla superior longior pone apicem deflexum emarginata. Nares ouatae. Os intus pallide flavum et lingua bifida. Anguli oris vibrissis nigris ciliatæ. Iris avellana. Pedes griseo-fusci plantis sordide luteis.

Supra pulcherrime viridis capite et uropygio præsertim flavo tinctis. A naribus supra oculos versus nucham stria flava, pone oculum pallidior. Per oculos stria fusca, quæ latior est et saturatior pone oculos. Gula et collum antice pallide flava. Pectus, abdomen et crissum pulchre alba. Remiges nigro-fuscæ margine exteriore flavescenti-virides; interiores apice tenuiter albidæ. Tectrices majores nigro-fuscæ marginibus flavescenti-virides. Alæ subtus secundum marginem flavæ punctis nigris. Cauda bifurca. Rectrices saturate fuscæ; extima margine exteriore pallida, ceteræ flavescenti-viridi extus marginatæ.

Femina: Mari similis coloribus tamen aliquantum pallidioribus.

Pullus: Rostrum supra fuscum, subtus incarnato-luteum. Anguli oris et os intus flava. Nares oblongo-ovales. Iris fusca. Pedes pallide grisei, plantis luteis. Cauda bifurca. Colores pennarum ut in femina.

HISTORIA.

Migratoria. Rara. In sylvis frondosis, præcipue in fagetis *Scaniæ* ex gr. ad Roslätt, Billinge &c. *Hallandiæ* ex gr. ad Fröllinge hanc pulcherrimam aviculam inveni. Magnitudine et coloribus cum *S. Trochilo* facile confunditur. Cantu vero singulari ab omnibus congeneribus etiam eminus dignoscitur. Inter frondes cacuminum fagorum saliens agilissima avicula se prodit voce extenta et tristi: dju! dju! dju! quam sequitur

cantus alacris et sonorus *Ippsippsippserrrr!* Cantus maris fere continuus nec nisi devoratione Insectorum et Larvarum, quas inter frondes legit, interruptus. Cantans jam ramulo insidet expansa cauda et demissis alis; jam ab uno in aliud arboris cacumen volitat. Nidulatur inter radices truncorum, vel juxta aliam quandam eminentiam in ipsa terra. Nidum sine arte ex Muscis et radiculis constructum intus culmis graminum stratum, apertura laterali, (nidulo *S. Trochili* fere similem) initio M. Julii inveni. Ova 6 oblongo - ovata, parva, pallide grisea rufo et fusco maculata atque striata. Marem juxta nidum canentem jam pullis exclusis audivi. Parentes prolem teneram Insectis et Larvis nutriunt.

CIX. SYLVIA TROCHILUS.

DIAGN. Supra cinereo - virescens, superciliis pallide flavescentibus, subtus albido-flavescens. Nares oblongæ, subcurvatæ; pedes luteo-fusci. Alarum flexura subtus flava.

SYNONYMA.

Motacilla Trochilus, Lin. Faun. Sv. p. 96. n. 263. Retz. Faun. Sv. 266. n. 252. Gmel. Syst. I. p. 995.

Mot. Acredula; Lin. Faun. Sv. p. 96. n. 263.

Sylvia Trochilus, Lath. Ind. I. p. 550.

Asilus, Briss. Orn. III. p. 479.

Le Chantre, Pl. enl. 651. f. I.

Yellow - Wren, Pen. Brit. Zool. I. p. 378. n. 151. Lath. Syn. IV. p. 412. n. 147. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 499.

Der Fitis. Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 643.
Svecis: Sparfkung, Skogsknett.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 5. poll. Rostr. $\frac{3}{8}$; Cauda bifurca 2 poll. Alæ extensæ $8\frac{5}{8}$ poll. Tibia $\frac{13}{16}$ poll. Digit. med. $\frac{5}{8}$ poll.; postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum antice compressum marginibus inflexis, maxilla superiore parum longiore fusca, apice deflexa, pone apicem emarginata, inferiore flavescenti-fusca. Nares perviæ oblongæ, sursum subcurvatæ. Anguli oris, faux, lingua et margines maxillarum flava vibrissis 3. nigris. Pedes flavescenti-fusci, plantis flavis, ungvibus flavescenti-fuscis.

Supra cinereo-viridis. A naribus supra oculos versus nucham stria flavescenti-alba. Stria fusca inter rostrum et oculos. Tempora fuscescentia. Gula albida. Jugulum et pectus albida flavo intermixto. Abdomen album. Crissum dilute flavum. Remiges fuscæ, margine exteriore olivaceæ. Alæ ad basin subtus flavæ (fusco interdum maculatæ). Rectrices fuscæ, margine interiore pallidæ, exteriore tenuiter olivaceæ.

HISTORIA.

Migratoria. Avis parva, gracilis, inquieta ad nos redit circa d. XX. Mens. Aprilis. Per totam æstatem in sylvis et hortis frondosis frequens, autumno copiosa. Sono sibilante *huit! huit!* se prodens. Cantum primo acutum, tum submissius tristem his litteris bene expressit Bechst. l. c.: *Didi*, *Duhu*, *dehi*, *zia*, *zia!* Nidum inter muscos in ipsa terra, fornicatum apertura laterali rotundata, culmis constructum, pennis et plumis stratum Mens. Junio inveni. Ova 6. albida macu-

lis striisque violaceis. Pulli supra magis virides quam parentes, subtus pallide flavescentes, Remigibus apice albidis.

CX. SYLVIA REGULUS.

DIAGN. Supra virescens vertice flavo. Remiges fuscæ latere exteriore flavo-virescentes.

SYNONYMA.

Motacilla Regulus, Lin. Faun. Sv. 95. n. 262. Retz. Faun. 265. n. 251. Gmel. Syst. I. p. 995. n. 48.
Sylvia Regulus, Lath. Ind. I. p. 548. n. 152.
Calendula, Regulus cristatus vulgo dicta, Briss. Orn. III. p. 579.
Roitelet huppé, Buff. Ois. V. p. 363. t. 16. f. 2. Pl. enl. 651. fig. 1. Vers. Germ. XVI. p. 234.
Gold-crested Wren, Pen. Brit. Zool. I. p. 379. n. 153. Lath. Syn. IV. p. 508. n. 145. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 496. Arct. Zool. II. n. 321.
Das Goldhähnchen, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 655.
Svecis Kongsfogel. *Scanis* Fogelkong. *Uplandis* Busklus.

DESCRIPTIO.

Inter aves Europæas facile minima vix 4. poll. longa. Alæ extensæ 6. poll. Rostr. $\frac{5}{16}$ poll. Cauda $1\frac{1}{2}$ poll. Tibia $\frac{11}{16}$ poll. Digit. med. $\frac{1}{2}$ poll. Digit. post. $\frac{7}{16}$ poll.

Rostrum nigrum, rectum, tenue, acutum, maxillis æqualibus. Nares ovatæ, penna rigida nigra tectæ. Os intus flavum. Anguli oris vibrissis 3. vel 4. nigris. Pedes luteo-fusci.

Macula magna verticis crocea (in femina lutea), fasciâ nigrâ utrinque marginata. A naribus supra oculos stria alba. Latera capitis cinerascentia. Cervix et dorsum virescentia. Gula albida. Jugulum, pectus et abdomen sordide albida, tinctura fusco-flavescente. Tectrices alarum fuscæ, majores apicibus albis. Remiges fuscæ, margine exteriore (in quibusdam interrupte) flavo-virescente, secundariæ basi albæ; intimæ apice albæ. Rectrices fuscæ, extus virescenti marginatæ.

HISTORIA.

Permanens. Frequens. Æstivat et hybernat in pinetis Sveciæ superioris, autumno hortos et sylvas Scaniæ frondosas visitat. Avis agilis, parum timida. Cristam parvulam pro lubitu erigit et demittit. Ab insectis eorumque ovis sylvas purgat utilis avicula.

CXI. SYLVIA TROGLODYTES.

DIAGN. Supra fusco-rufescens obsolete nigro-undulata. Remiges extimæ nigro-tessellatæ. Cauda cuneiformis lineis transversis fuscis.

SYNONYMA.

Motacilla Troglodytes, Lin. Faun. Sv. p. 95. n. 261. Retz. Faun. 264. n. 250. Gmel. Syst. I. p. 993. n. 46.

Sylvia Troglodytes, Lath. Ind. I. p. 547. n. 148.

Regulus, Briss. Orn. III. p. 425. n. 24.

Troglodyte, Buff. Ois. V. p. 352. tab. 16. f. 1. Pl. enl. 651. f. 2. — Vers. Germ. Otto XVI. p. 215.

Wren, Pen. Brit. Zool. I. p. 380. n. 154. Lath. Syn. IV. 506. n. 143. Vers. Germ. IV. p. 493. Arct. Zool. II. No. 322.
Zaunkönig, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 666.
Svecis: Gärdsmyg, Tummeliten, Tummelilla.

DECRIPTIO.

Longit. avis $4\frac{3}{8}$ poll. Alæ extensæ $6\frac{3}{8}$ poll. Rostr. $\frac{5}{8}$; Cauda $1\frac{3}{8}$ poll. Tibiæ $\frac{11}{16}$; Digit. med. $\frac{9}{16}$; Digit. post. $\frac{1}{2}$ poll.

Caput fronte acutissima. Rostrum nigro-fuscum, basi subtus flavescens, tenue, acutum, compressum subdeflexum, maxillis fere æqualibus. Nares oblongæ. Anguli oris et os intus flava. Pedes et digiti, quorum posticus robustior, fusci.

Collum supra et Dorsum rufo-fusca striis transversis nigro-fuscis, capite saturatiore, unicolore. Supra oculos linea albida. Gula, jugulum et pectus rufescenti-cinerea. Abdomen et crissum rufescentia striis transversis nigro-fuscis. Tectrices caudæ inferiores maculis albidis. Remiges fuscæ, primores (6.) latere exteriore fusco albidoque tessellatæ, ceteræ latere exteriore dorso concolores striis transversis fuscis. Tectrices alarum minores punctis quibusdam (4-6) albis. *Femina* saturatius rufo-fusca striis transversis in dorso vix conspicuis.

HISTORIA.

Manens. Passim. Æstivat in pinetis montuosis. Autumno et hyeme in dumetis et aliis fruticibus densis et humilibus prope terram, etiam inter lapides salit repitque avicula admodum agilis. Caudam brevem,

erectam fert. Vox pro magnitudine avis magna. Cantus suavis et alacris. Nidulatur inter radices arborum, inter acervos ramorum aridorum &c. Nidus artificiose constructus extus ex muscis, intus plumis, lana et setis stratus, globosus, apertura laterali parva rotundata. Ova 7-8 rotundato-ovata, alba punctis rubris. Vescitur Insectis eorumque ovis.

GENUS XXII.

MOTACILLA.

Rostrum gracile, teres, apice subulato.
Nares ovato-rotundatæ, nudæ.
Lingua apice lacera.
Pedes ambulatorii, longi, graciles, ungvi postico in aliis longiore, in aliis breviore, curvato.
Cauda elongata.
Locus juxta aquas.
Victus Insecta.

CXII. MOTACILLA ALBA.

Diagn: Dorsum cinereum. Frons, latera colli et capitis abdomenque alba. Vertex, occiput et collum antice nigra. Cauda nigra extimis duabus rectricibus dimidiato oblique albis.

SYNONYMA.

Motacilla alba, Lin. Faun. Sv. p. 92. n. 252. Retz. Faun. p. 256, n. 239. Lin. Syst. I. p. 331. 11. Gmel. Syst. I. p. 960. Briss. III. p. 461. n. 38. Lath. Ind. I. p. 501. n. 1.

La Lavandiere, Buff. Ois. V. p. 251. t. 14. f. 1. Pl. Enl. 652. f. 1. (senior), fig. 2. (junior post deplumationem.) Vers. Germ. Otto XVI. p. 28. cum duabus fig.

Motac. cinerea, Briss. III. p. 465. Gmel. Syst. I. p. 961. et.

La Bergeronette, Buff. Ois. V. p. 261. Pl. enl. 674. I. Vers. Germ. Otto VI. p. 46. cum fig. (junior ante deplumationem.)

White Wagtail, Pen. Brit. Zool. I. p. 361. n. 142. tab. 55. Arct. Zool. II. p. 396. B. Lath. Syn. IV. p. 395. I. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 396. Suppl. p. 178.

Svecis: Ärla, Sädesärla.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $7\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ $11\frac{5}{8}$ poll. Rost. $\frac{7}{16}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{1}{2}$ poll. extra alas extenditur $2\frac{1}{8}$ poll. Tibia 1 poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll. Digit. post. $\frac{9}{16}$ ut in *Sylviis* brevis et curvatus.

Rostrum nigrum mandibula superiore longiore, pone apicem aliquantum emarginata. Nares ovato-oblongæ. Iris fusca. Pedes nigri.

Frons, capitis et colli latera alba. Vertex, cervix, gula et jugulum usque ad sternum nitide nigra. Dorsum, Scapulæ, tectrices alarum minores, latera pectoris et abdominis coerulescenti-cinerea. Pectus, abdomen et crissum alba. Remiges saturate fuscæ, margine exteriore cinerascentes, interiore ad basin albæ. Remiges 16 (longitudine primæ) 17 et 18 latere exteriore, latius albæ. Tectrices longiores utriusque ordinis nigrescentes, apice et margine exteriore albæ, unde fasciæ duæ obliquo-transversæ et striæ quædam albæ in ala complicata. Rectrices nigræ extimæ duæ niveæ, basi et plurima parte marginis interioris fuscæ. Par medium margine exteriore interdum albo. Tectrices caudæ superioris nigræ marginibus cinerascentibus.

Femina differt coloribus minus vividis. Scil. Albedo frontis et laterum capitis sordida, nigredo verticis et occipitis cinereo intermixto. In ceteris Mari similis. *Avis junior* ante primam deplumationem ab utroque parente differt. Caput supra, cervix, dorsum sordide cinerea, capite obscuriore. A naribus ad nucham supra oculos fascia nigricans. Latera colli et capitis cinerea, fusco alboque immixto. Tota subtus sordide alba. In utroque juguli latere fascia nigricans descendit, seque conjungit in lunula transversa, nigricante supra sternum. Cetera fere ut in parentibus.

OBSERV.

Hic color post primam deplumationem ita mutatur, ut Mense Septembri, omnes fere aves hujus Speciei sequentem habeant colorem: Supra coeruleo-cinerea, in olivaceum vix tendens. Frons albida demittit lineam albam supra oculos. Gula et jugulum pure alba. Tempora cinereo-fusca. Ad latera juguli macula nigricans. In inferiore juguli parte macula magna lunaris nigra.

HISTORIA.

Migratoria in Scaniam venit primis diebus M. Aprilis. Ad ripas rivulorum et lacuum, in plateis et areis, in pascuis et pratis currens, cibum sibi quærit. Vernali tempore aratrum quoque sequitur. Victitat Insectis et Larvis. Nidulatur in catervis lapidum et truncorum, in cavis arborum et murorum &c. Ova 5-6 coerulescenti-alba maculis obscuris. Accipitres persequitur, aliasque aves clamore suo, sicut *Hirundo*, præmonet. Caudam perpetuo movet. Abit M. Octobri. Initio Novembris adhuc unum vel aliud individuum in Scania obvenit.

CXIII. MOTACILLA FLAVA.

DIAGN. Supra olivacea, subtus flava. Rectrices duæ laterales plus quam dimidiato oblique albæ. Unguis posticus longus.

SYNONYMA.

Motacilla Flava, Lin. Faun. Sv. p. 92. n. 253. Retz. Faun. p. 257. n. 240. Lin. Syst. Nat. I. p. 331. n. 12. Gmel. Syst. I. p. 963. Lath. Ind. I. p. 504. n. 8.

Motacilla verna, Briss. Orn. III. p. 468. 40.

Bergeronette de printemps, Buff. Ois. V. p. 265. tab. 14. fig. I. Vers. Germ. Otto XVI. p. 54. cum fig. Pl. enl. 674. n. 2.

Yellow Wagtail, Pen. Brit. Zool. I. p. 362. n. 143. Arct. Zool. II. p. 396. F. Lath. Syn. IV. p. 400. 6. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 402.

Mot. Boarula, Lin. Mant. Plant. p. 527.

Gelbe Bachstelze, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 466.

Svecis, Gulärla.

OBSERV.

Mot. Boarula Lath. Ind. I. p. 502. et Bechst. l. c. p. 459. quæ caudâ longiore et præsertim ungvi postico breviore curvato (ut in *M. Alba*) gulaque maris nigra a *M. flava* satis dignoscitur, nunquam in Svecia inventa est. *Motacilla* quæ in Mant. Plant. Linnei l. c. *Boarula* vocatur, quæque Boves tota die sequitur, Conopsides calcitrantes et irritantes colligens, nulla alia est, quam *M. flava* præcipue junior.

DESCRIPTIO.

Longit. avis fere 7. poll. Alæ extensæ $10\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{2}{8}$ poll. Cau-

da $2\frac{5}{8}$; extra alas compositas $1\frac{6}{8}$ poll. Tibia I poll. Digit. med. $\frac{11}{16}$ poll. Digit. post. $\frac{6}{8}$.

Rostrum teres, acutum, nigricans, basi subtus pallidius, mandibulis æqualibus, superiore excisa. Nares ovatæ. Faux pallide incarnata. Iris fusca. Pedes nigricantes. Unguis posticus $\frac{7}{16}$ poll. longus et modice curvatus.

Caput supra coerulescenti-cinereum, interdum olivaceo immixto. A naribus supra oculos versus nucham linea alba. A sinu oris per oculos ad tempora stria nigricans, sub oculo, albo interrupta. Dorsum olivaceum uropygio magis flavescente. Gula et crissum flavescenti-alba. Præterea tota avis subtus pulcherrime flava maculis obscuris, pluribus paucioribusve (raro nullis) in jugulo. Remiges fuscæ (quarum 16ta longitudine 1. 2. 3.) margine interiore ad basin albæ, intimæ tres aut quatuor longæ, acutæ, molles, margine exteriore albide-flavescentes, id quod facit fascias binas obliquas et strias quasdam longitudinales albo-flavescentes in ala complicata. Tectrices alarum inferiores fuscescentes, flavo tinctæ. Rectrices exteriores duæ albæ, basi et ad marginem interiorem oblique nigro-fuscæ; tertia margine exteriore tenuiter alba, reliquæ nigro-fuscæ, immaculatæ.

Femina: Supra cinereo-olivacea; Gula et jugulum sordide albida, tincturâ flavescenti levissima. Abdomen et crissum flava, neque tam splendida ac Maris.

Junior, qualis Mense Julio frequens occurrit: Rostrum supra fuscum, subtus pallidius. Pedes fusci. Caput et Dorsum supra fusca olivaceo tincta. Supra oculos stria flavescenti-alba pone oculos latior. Supra hanc fascia nigricans. Per oculos ad tempora fascia dilute fusca. Remiges et Rectrices ut in adultis. Avis subtus sordide lutescenti-albida. Ad latera juguli stria

nigra utrinque descendit, in superiore pectoris parte se jungit et maculam majorem nigricantem format. Hæ vero striæ et hæc macula sensim ætate evanescunt*).

Var. α. Forma et magnitudine M. flavæ.

Caput nigrum, cinereo postice immixto. Dorsum, Remiges et cauda ut in M. flava. Gula albida punctis nigris. Tota præterea flava, in inferiore juguli parte maculis fuscis fere confluentibus. Mus. Payk.

OBSERV.

Hæc Motacilla ad Enonteckis et Enara Lapponiæ habitat, neque M. Flava, (vulgaris) illic occurrit. A *M. Boarulâ* distinguitur cauda breviore, et præsertim ungue postico longiore, modice curvato. An distincta Species? An pro climate varietas?

Var. β. Habitus *Mot. flavæ* junioris: Supra griseo-fusca olivaceo tincta. A naribus ad superiorem oculi marginem stria alba. Remiges obscuro-fuscæ, intimæ tres margine exteriore albidæ. Alæ fascia duplici obliqua alba. Subtus tota alba, jugulo, anteriore pectore et crisso lutescenti tinctis. Cetera ut in *M. flava*. (Tabula nostra VIII.) Mus. Holm.

Est *M. Tschutschensis* Gmel. Syst. I. p. 962. ceterorumque. Prope Stockholm occisa.

HISTORIA.

Migratoria in Scaniam advenit serius quam *M. Alba* scil. circa vigesimum diem M. Aprilis. Vernali tem-

---

*) Cel. Bechstein has maculas numquam observavit, et putat aves illis præditas juniores esse Boarulas. Apud nos vero, ubi frequens est M. flava, M. vero Boarula nunquam visa, frequentes occurrunt in pascuis et in foeno strato, inter seniores, a quibus quoque aluntur. In nido illas quoque vidi.

pore aratrum sæpe sequens Insecta et Larvas legit. Æstate in pratis depressis et inter Segetes nidulatur. Ova ponit 5-6 sordide virescenti-grisea, maculis fuscescentibus. Pulli per totam æstatem parentes sequuntur. In pratis humidioribus, in foeno strato, in pascuis inter oves, equos et boves currens, gregaria sæpe Insecta et Larvas consumit. Ad medium usque Septembrem in tesquis et pratis Scaniæ depressis obvenit.

GENUS XXIII.

ANTHUS, *Bechst.**)

Caput versus rostrum elongato-coarctatum.

Rostrum gracile, subteres, subulatum maxillis margine aliquantum inflexis, superiore longiore, pone apicem emarginata.

Nares ovatæ, nudæ, superne membrana fornicata semitectæ.

Lingua bifida vel lacera.

Pedes ambulatorii, digito postico plerumque longo, magis minusve curvato.

Locus: prata depressa, litora, sylvæ.

Victus: Insecta et Larvæ.

DISSECTIO I.

Ungue postico longo modice curvato. Rostro tenuissimo.

CXIV. ANTHUS PRATENSIS, *Bechst.*

DIAGN. Supra olivacea nigricante maculata. Tectrices alarum majores apice albidæ. Subtus alba

*) Genus *Alaudæ Linnei*, natura duce, in duo Genera, *Anthum* scil. et *Alaudam* abit. *Anthus* continetur Speciebus aliis quæ ad *Motacillas*, aliis quæ ad *Alaudas* propius accedunt. In serie igitur naturali inter haec duo genera optime collocatur.

jugulo et pectore maculis oblongis nigricantibus. Rectrices nigricantes, extima extus dimidiato oblique alba; secunda macula cuneiformi alba. Rostrum gracillimum. Ungvis posticus digito longior.

SYNONYMA.

Alauda Pratensis, Lin. Faun. Sv. p. 76. n. 210.
Alauda sepiaria, Briss. Orn. III. p. 347.
L'Alouette Pipi, Buff. Ois. V. p. 39. Vers. Germ. Otto XIV. p. 218. Pl. enl. 661. f. 2.
Tit-Lark, Will. Orn. p. 206. (Bene descripta) Pen. Brit. Zool. I. p. 357. n. 138. (Descriptio optima; historia vero cum Antho arboreo confusa.) Lath. Syn. IV. p. 374. n. 5.
Wiesen-Pieper, *Anthus pratensis* Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 732.
Svecis: Änglärka.

OBSERV.

Improbus esset labor et inutilis omnes Scriptores recensendi. Longe vero facilius est avis colores et mores describere quam Synonyma apud Auctores rite eruere, quod quidem sæpius fieri omnino non potest, quia Ornithologi aves, quas descripserunt, ipsi ignorarunt. Eadem avis pluries descripta, confusi mores, composita historia. Etiam accuratissimus naturæ observator Bechstein in prima editione Naturgesch. Deutschl. et in Commentariis ad versionem Germ. Lathami Synopsis confudit Species hujus generis distinguendas. Hos vero errores in 2da editione Nat. Deutschl. natura duce, correxit.

DESCRIPTIO.

Avis gracilis, inter congeneres Svecanas minima, 6. poll. longa. Alæ extensæ circa 10. poll. Rostr.

$\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem 3. poll. Cauda $2\frac{2}{8}$ poll. Tibia $\frac{7}{8}$ poll. Digit. post. $\frac{6}{8}$ poll. ungue $\frac{3}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum tenuissimum, acutum, compressum marginibus aliquantum inflexis. Maxilla superior nigricans, parum longior, pone apicem emarginata, inferior rufolutea apice fusco. Nares rotundato-ovales, nudæ, superne membranâ fornicatâ. Anguli oris eminentes lutei vibrissis 3. nigris brevioribus. Os intus pallide griseo-incarnatum. Lingua lacera. Iris brunnea. Pedes pallide incarnati, Digitis fuscescentibus, unguibus fuscis, quorum posticus longus et parum curvatus.

Caput supra, cervix, Dorsum et scapulæ olivacea maculis nigricantibus, quarum minores in capite, majores in dorso (i. e. singula penna nigricans margine latiore griseo-olivacea.) Uropygium griseo-olivaceum immaculatum. Stria luteo-alba supra oculos. Tempora fuscescentia lineis albis. Avis subtus sordide alba jugulo et pectore tincturâ sulphurea. Ad latera gulæ decurrunt maculæ fuscæ in striam fere junctæ; quæ maculæ in jugulo et superiore pectore magis sunt distinctæ, nigricantes, ovales, et in hypochondriis oblongæ. Abdomen et crissum sordide alba. Remiges nigricantes, quarum prima margine exteriore tenuiter alba, ceteræ margine exteriore viridi-luteo, in intimis tribus latiore, 1-4 æquales, 5-15 breviores, apice excisæ, 16ta cum qvatuor primis æqualis, mollior (Etiam in hoc *Mot. flavæ* similis). Tectrices minores nigricantes tenuiter olivaceo marginatæ. Tectrices majores utriusque ordinis nigricantes apice sordide albo marginatæ, unde striæ binæ obliquæ albidæ in ala oriuntur. Tectrices inferiores fuscescentes tinctura lutea. Cauda aliquantum bifurca nigricans; Rectrix extima ab apice supra medium extus oblique alba; se-

cunda maculâ apicis cuneiformi albâ juxta rachin ad latus interius. Omnes vero margine exteriore tenuiter luteo - virescentes.

Femina: Supra magis nigro-fusca, (ubi mas nigricans) marginibus pennarum griseo-olivaceis. Subtus sordide alba tincturâ sulphureâ vix conspicuâ.

Avis junior: Rostrum fuscum basi subtus incarnatum. Pedes pallide lutescentes digitis magis fuscescentibus, subtus luteis.

Avis supra nigra pennis luteo-viridi latius marginatis. Uropygium olivaceum maculis obsoletis nigricantibus. Collum antice et pectus pallide lutea maculis minoribus, crebris, oblongis, nigricantibus. Abdomen et crissum sordide alba. Alæ nigricantes marginibus pennarum luteo-viridibus, et striis binis obliquis pallide luteis. Rectrix extima dimidiato-oblique alba, secunda apice macula cuneiformi alba, tertia ultimo apice alba; ceterum nigræ marginibus luteo-viridibus, in intermedio pari latioribus.

HISTORIA.

Migratoria. In Scania, Hallandia, Uplandia &c. passim frequens. Mature advenit nive nondum nisi locis humidis soluta. In pratis depressis, gregaria, quamvis dispersa, jam ante finem Mensis Martis occurrit. Hominem adpropinquantem supervolitat sono sibilante: Ist, Ist — Ist, Ist, Ist! (Singulum Ist! edens, alas componit, unde volatus alternis vicibus jam altior jam demissior). Nive jam soluta in prata et tesqua juniperis et grumulis adspersa, nidificandi caussâ abit. Nidulatur in ipsa terra in grumulo vel sub frutice Juniperi. Ova 4-6 coerulescenti - alba maculis rufis; pulli Larvis et Insectis a parentibus aluntur. Cum homo vel alius hostis ad nidulum adpropinquat, mater-

cula ejulantem et tristem edit sonum, qui pullis educatis nunquam exauditur. Tempore propagationis Mas e frutice vel grumulo quodam in aërem adscendit, sono Tick! Tick! Tick, certaque altitudine attacta librans se expansis alis demittit, cantu ocius et alacrius continuato. Pullis exclusis et educatis per familias campos depressos et arva frequentat, sono Gick! Gick! in aëre se prodens. Hoc (autumnali) tempore arboribus quoque insidet, id quod verno tempore nunquam vidi. Vescitur Insectis et Larvis. Versus finem M. Septembris et initio Octobris sensim abit.

CXV. ANTHUS RUPESTRIS, *mihi.*

(Tab. IX. fig. I senior fig. 2 junior.)

DIAGN. Supra fusco-cinerea maculis obsoletis saturatioribus. Subtus sordide albida maculis fuscescentibus. Rectrice extima extus oblique sordide alba. Rostrum nigrum. Pedes nigro-fusci. Unguis posticus longus, curvatus.

SYNONYMA.

Alauda petrosa, Rocklark, Montagu Transact. of Lin. Soc. Vol. IV. p. 41.

Dusky Lark, Lewin Brit. Birds, vol. 3. pl. 94.

Alauda obscura, Lath. Ind. Orn. I. p. 494. 7. (junior).

Alauda pratensis, variet. Pen. Brit. Zool. fol. pl. P. I. (junior).

Anthus aquaticus, Wasserpieper, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 745.

OBSERV.

Primus qui hanc avem ut distinctam Speciem distincte descripsit, est cel. *Lewin* l. c. Cel. autem Latham Specimen hujus speci-

ei recepit ab ipso Lewin, eamque *Alaudam obscuram* appellavit. Hoc idem Specimen a Lathamo communicatum est celeberrimo *Montagu*, qui postea (anno 1791.) avem in rupibus Provinciæ South Wales invenit, eamque l. c. *Alaudam petrosam* appellavit. Ex his itaque liquet, *Al. obscuram* Lath. eandem esse ac *Al. petrosam* Mont. Bechstein, qui l. c. eandem descripsit avem, aliam adfert Synonymiam minime vero accuratam. Quamvis itaque avis jamdudum descripta est, necessarium tamen mihi visum est novum illi eligere Nomen; cum antea nullum aptum sit electum. *Anthus* enim *aquaticus* quo a Bechstein appellatur, non magis huic quam *Anth. pratensi* competit. Bechst. avem non nisi prætermigrantem cognovit. Nescio vero quo jure Avis *petrosa* dici possit. Nomen autem quod elegi, indicat locum, in quo avis nascitur et ubi semper nisi sub dimigrationibus versatur. *Spipoletta* Will. Orn. (Ang.) p. 209. E. X. et *Alauda Spinoletta* Scop. Ann. I. p. 128. potius ad hunc quam ad *Anthum campestrem* pertinere videtur.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $6\frac{6}{8}$ poll. Alæ extensæ $11\frac{1}{8}$ poll. Rostr. a fronte ad apicem $\frac{9}{16}$ poll. A sinu oris ad apicem $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{1}{2}$ poll. Tibia I poll. Digit. med. $\frac{7}{8}$; Digit. postic. $\frac{7}{8}$; unguis postic. $\frac{7}{16}$ poll.

Rostrum nigrum, basi subtus vix pallidum, tenue, acutum, compressum marginibus aliquantum inflexis. Maxilla superior parum longior pone apicem emarginata. Lingua apice lacera. Faux griseo-incarnata maxillis intus nigricantibus. Nares perviæ, ovales. Iris avellana. Pedes nigro-fusci, pro magnitudine avis magni et crassi, unguibus nigris, quorum posticus longitudine digiti modice curvatus.

Avis supra saturate cinerea, in dorso leviter fusco maculata. Stria albida supra et pone oculos. Tempora fuscescentia lineolis albidis. Subtus avis sordide albida luteo vix tincta maculis cinereo-fuscis ad latera

gulæ et juguli, in pectore et hypochondriis. Remiges fuscæ, quarum extimæ extus albo, ceteræ pallide griseo marginatæ. Tectrices fuscæ, proximæ extus griseæ, penultimæ apice albidæ. Tectrices inferiores fuscescentes tincturâ lutescenti. Cauda aliquantum bifurca. Rectrices nigricantes, extima latere exteriore et oblique per apicem sordide alba; secunda ultimo apice pallida; par medium cinerascens.

Avis junior: Supra saturate olivacea maculis in Dorso obsoletis nigricantibus, subtus flavicans maculis in lateribus colli et in pectore fuscis. Remiges nigricantes, primores margine exteriore tenuiter luteo-albæ, secundariæ extus olivaceo latius marginatæ. Tectrices minores nigricantes olivaceo marginatæ, majores nigricantes margine exteriore olivaceæ apice albidæ. Rectrices nigræ olivaceo extus tenuiter marginatæ, extima extus oblique sordide alba, secunda apice ultimo albida. Rostrum et pedes fusci plantis et basi rostri subtus luteis.

HISTORIA.

Migratoria. Habitat in rupibus et saxis, juxta litora maris et in ipso mari sitis. Inter *Åhus* et *Sölfwitsborg* Scaniæ in saxis litoris numerosam invenit Illustriss. Comes Trolle Wachtmeister, mihique benignissime communicavit. Ad Torekow, in Hallands-Wäderö et in litore petroso Hallandiæ, frequens quoque occurrit. Eminus obscurior apparet quam congeneres. Vox et cantus fere similis *Anthi pratensis*. Sicut ille, *Mas* in aërem cantans adscendit, et immotis alis in rupem quandam se demittit. Nidulatur in rupibus inter granula. Ova 5. sordide alba maculis fuscis, in extremitate crassiore saturatioribus et fere confluentibus. Vescitur Insectis et Larvis.

DISSECTIO II.

Ungue postico brevi minus vel magis curvato. Rostro robustiusculo.

CXVI. ANTHUS CAMPESTRIS.

Diagn. Supra dilute cinereo-fusca in olivaceum inclinans. Tænia ferruginescenti-alba supra oculos. Subtus albicans striis in pectore fuscis. Rostrum validum, elongatum. Unguis posticus brevis rectiusculus.

SYNONYMA.

Alauda novalium, Frischs Vögel Deutschl. Tab. 15. f. 2. b.

Anthus campestris, Bechst. N.D. 2te Aufl. B. 3. p. 722. t. 2.

Alauda campestris, Briss. Orn. III. p. 349. 5.

La Spipolette, Buff. Ois. V. p. 43. Vers. Germ. Otto XIV. p. 224. cum. fig.

Meadow-Lark, Lath. Syn. IV. p. 378. n. 10. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 379.

Svecis: Fältlärka.

OBSERV.

Hæc inter Synonyma mihi nota sola sunt digna quæ adferantur. Neque enim difficile est videre quamnam avem ante oculos habuerit Ill. Linné, cum *Alaudam campestrem* n. 213 in Faun. Svec. describeret. Nimirum hoc nomine egregie descripsit *Saxicolam* (Motacillam Lin.) *rubetram*, fem. Mirandum itaque sane est, laudatos illos Ornithologos, Gmelin, Latham plures ut taceam, non solum Synonyma Linneana, sed etiam falsam illam Diagnosin retinuisse. Neque in ultima Faunæ Svecicæ editione melius rei consultum est, cum Descriptioni Linneanæ (quæ sal-

tem ex unica Specie facta est) varia sunt addita et immixta, quæ a Pennanti Field-Lark (Brit. Zool. I. n. 139) desumta sunt. Hæc vero *Field-Lark* neque ad eam speciem pertinet, quam ante oculos habuerit Linné, cum *Al.* suam *campestrem* describeret, neque ad hanc nostram. Est igitur hæc Species re vera Faunæ nostræ novitia, quæ benevolentiæ et favori in Scientiam Naturalem Illustriss. Comitis &c. T. Wachtmeister debetur. Frisch l. c. avem bene depinxit, quam et Bechstein l. c. optime descripsit.

OBSERV.

Alauda Spinoletta, quæ a Lathamo huic jungitur, variorum Auctorum, ad *Anthum rupestrem* pertinere videtur. *Pispoletta* Cetti Uc. di Sard. p. 158. ad *Anthum pratensem* referenda.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 6½-7 poll. Alæ extensæ 11. poll. Rostr. a sinu oris ad apicem ⅝ poll. A fronte ½ poll. A flexura alæ ad apicem 3⅝ poll. Cauda 2⅝ poll. Tibia 1. poll. Digitus med. ⅝ poll. Digit. post. fere ⅝ poll. Ungue postico ⅜ poll.

Rostrum elongatum, basi robustius quam in antecedentibus, versus apicem aliquantum compressum marginibus inflexis, supra fuscum, subtus albidum, apice fusco. Maxillæ æquales superiore pone apicem excisa. Os intus pallide incarnatum lingua apice bifida. Nares nudæ rotundatæ. Anguli oris pallide incarnati; vibrissis 3. l. 4. brevioribus nigris. Iris fusca. Pedes pallide incarnati. Unguis posticus digito brevior, fere rectus.

Corpus supra dilute cinereo-fuscum in olivaceum tendens maculis longitudinalibus fuscis juxta raches pennarum in dorso et capite. Uropygium immaculatum ut etiam tectrices caudæ superiores, quarum binæ ultra caudæ medium elongatæ et acuminatæ. A naribus supra oculos versus nucham tænia ferruginescenti-alba,

Lora fusca. Tempora fuscescentia. A sinu oris sub oculis ad latera gulæ linea nigricans. Avis subtus sordide alba tincturâ, præsertim in pectore, ferrugineo-luteâ. Latera juguli et pectus maculis parvis rarioribus longitudinalibus fuscis. Remiges fuscæ, primores tenuiter, secundariæ latius margine exteriore ferruginescenti albidæ. Tectrices majores saturate fuscæ margine et apice ferruginescenti-albæ. Tectrices inferiores albidæ, luteo tinctæ. Cauda subæqualis. Rectrices fuscæ, prima fere a basi extus dimidiato oblique alba, secunda a medio extus oblique alba, intermediæ binæ cinereo-fuscæ, magis quam ceteræ acuminatæ (fere lanceolatæ).

Femina distinguitur tinctura pectoris ferruginescenti-lutea vix conspicua, et pectore fere immaculato striis raris fusco-griseis.

Avis junior magis variegata vel undulata. Supra saturate fusca vel nigricans pennis testaceo fimbriatis. Stria flavescens supra oculos. Remiges nigricantes quarum præsertim interiores et tectrices proximæ testaceo latius marginatæ, apicibus pallidioribus. Tectrices minores et penultimæ nigricantes testaceo-albo latius marginatæ. Rectrices nigræ testaceo marginatæ, ultima et secunda extus oblique albidæ. Subtus avis sordide alba. Lineola ad latera gulæ utrinque nigra pectore luteo tincto, nigro maculato.

HISTORIA.

Migratoria. In Scaniæ campis arenosis hæc Species rarius occurrit. Illustriss. Comes T. Wachtmeister illam in Svecia primus invenit prope Prædium suum Arup juxta Ifvö lacum. Postea in campo arenoso *Ljungbyhed* dicto, et juxta Torekow, haud longe a mari, a me visa. Altissime volitans voce sonora Zivoly! Zivoly!

crebrius edita, se prodit quærenti. Raro arboribus insidet. In ipsa terra Insecta et Larvas colligens tamquam *Sturnus* currit. Motacillae instar caudam movet. *Alauda arvensi* eminus fere similis. Collecta messe in agris interdum per familias obvenit.

CXVII. ANTHUS ARBOREUS.

DIAGN. Supra griseo olivacea fusco-maculata. Tectrices alarum majores apice griseo-albæ. Subtus alba jugulo et pectore ferruginescenti-luteo tinctis, fusco longitudinaliter maculatis. Rectrices fuscæ, extima extus dimidiato alba, secunda apice alba. Rostrum breve validiusculum. Unguis posticus digito brevior, curvatus.

SYNONYMA.

Die Pieplerche, Bechst. Nat. D. I. edit. B. 4. p. 135. Lath. Syn. Vers. Germ. IV. t. 52. fig. I. (fig. mediocris).

Der Baumpieper, *Anthus Arboreus*, Bechst. N. D. 2. Aufl. 3. B. p. 706. tab. 36. f. I.

Alauda Trivialis, Lin. Syst. Nat. p. 288. n. 5. (quoad mores huc pertinet), Lath. Ind. I. p. 493. n. 6. Gmel. Syst. I. p. 796.

Alauda minor, Gmel. I. p. 793.

The field Lark, Pen. Brit. Zool. I. p. 358. n. 139. (Bene descripta).

Lesser Field Lark, Will. Orn. p. 207.

Farlouse ou Alouette de prés, Buff. Ois. V. p. 31. t. 3. Pl. enl. 660. f. I. Vers. Germ. Otto XIV. p. 203. cum fig.? *Eine Pommersche Lerche:* Otto l. c. p.

211. (Hoc loco nostra avis optime a Cel. Otto est descripta.)

Svecis: Piplärka.

OBSERV.

Hæc sunt Synonyma quæ cum certitudine quadam colligere potui. Confusa enim sæpissime est aut Descriptio aut Historia hujus avis et plerumque eum *Antho pratensi.* An *Sylvia Locustella* Lath. Ind. I. p. 515. n. 25. huc pertineat (ut Bechst. l. c. putat) dubito. Neque enim hæc, nec alia hujus generis habet *caudam cuneatam* (Lath. l. c. nec in media et densissima parte fruticum se celat unde difficillime fugatur (Pen. Brit. Zool. n. 156. *Grasshopper Lark*) nec minor est Regulo non cristato (i. e. *Sylv. Trochilo*) ut Willugh. 6. p. 207 dicit de sua *Titlark Shat sings like a Grasshopper*, unde ceterorum Locustella desumta est. Anne *Sylviæ modulari* vel *Schoenobæno* hæc confusio originem debet? *Alauda Gorensis*, Mus. Carls. forte huc pertinet, quod tamen certe affirmare non audeo. Specimen ære incisum inter reliquias Musei Carlsoniani invenire non potui. *Al. obscura* Lath. minime ad hanc, ut Beehst. putat, sed ad *Anth. rupestrem* pertinet. Vide supra p. 245.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $\frac{6}{8}$ poll. Alæ extensæ 12. poll. Rostr. $\frac{7}{16}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{1}{2}$ poll. extra alas extenditur $1\frac{3}{8}$ poll. Tibia $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll. Digit. postic. $\frac{5}{8}$ poll. ex quo unguis $\frac{5}{16}$ poll.

Rostrum breve, validiusculum; maxilla superior obscure fusca, emarginata, aliquantum longior; inferior pallide incarnata apice fusco. Nares ovatæ, nudæ. Sinus oris eminentes pallidi. Os intus pallidum. Iris fusca. Pedes sordide albescentes. Unguis posticus brevis, curvatus. Cauda aliquantum bifurca Rectricibus acuminatis.

Avis supra griseo-olivacea maculis longitudinalibus saturate-fuscis, in capite minoribus, in dorso majoribus. Uropygium fere immaculatum, fusco-grisescens. A naribus supra oculos stria albicans. Tempora griseo-fusca. Corpus subtus a gula ad abdomen testaceum s. pallide ferruginescenti-luteum, maculis nigrofuscis in juguli lateribus striam utrinque descendentem formantibus, in pectore superiore oblongis fere triquetris, in hypochondriis linearibus. Abdomen et crissum alba. Femora extus fusca flavo tincta. Remiges saturate fuscæ, primores 1-4 margine exteriore tenuiter albæ, ceteræ inprimis intimæ olivaceo marginatæ. Tectrices minores olivaceo-fuscæ; majores fuscæ margine olivaceæ, apice albæ, unde tænia alarum duplex alba oritur. Rectrices fuscæ, extima extus dimidiato oblique alba; secunda maculâ apicis parvâ, cuneiformi alba (qua interdum caret, apice ultimo tantum albo) ceteræ olivaceo marginatæ, intermediæ latius.

Femina: Mari fere, similis sed aliquantum pallidior.

Avis junior: Juniori *Antho pratensi* (cujus Descriptionem vide supra) similis. Distinguitur tamen: Rostro breviore et robustiore; maculis pectoris majoribus; Rectricibus apice acuminatis, et inprimis ungue postico Digito breviore et curvato.

HISTORIA.

Migratoria. Frequens. Serius advenit et maturius abit quam Anth. pratensis. Redux circa medium M. Maji in arboribus hortorum et pratorum primo occurrit. Æstivat in sylvis. Mas e cacumine arboris in aërem adscendens, et paulo post in eundem plerumque locum expansis et immotis alis se demittens, cantum suavem et sonorum modulatur. Hoste ad nidulum adpropinquante tristem et ejulantem vocem edunt paren-

tes. Nidulatur in ipsa terra inter Gramina. Nidus extus graminibus exsiccatis constructus, intus setis equinis et pilis stratus. Ova 5. grisea maculis rufo-fuscis. Vescitur Insectis et Larvis. Autumnali tempore, ante abitum, agros gregatim frequentat, et sonum pipientem, qui alio tempore nunquam auditur, volans edit.

SUBDIVISIO II.

Maxillis integris.

GENUS XXIV.

A L A U D A.

Caput subovatum.
Rostrum cylindrico-subulatum, rectum mandibulis æqualibus, integris, basi deorsum dehiscentibus.
Nares ovatæ, plumis setaceis tectæ.
Lingua bifida.
Pedes ambulatorii; *unguis* posticus digito longior, rectus, apice tantum paulo curvatus.
Locus: Agri, arva, nemora.
Victus: Semina et Insecta.

CXVIII. ALAUDA ARVENSIS.

Diagn. Supra griseo-rufescens maculis fuscis; subtus rufescenti-alba, pectore maculis minutis fuscis. Cauda longa bifurca. Rectrice extima extus supra medium oblique alba, secunda latere exteriore et apice alba.

SYNONYMA.

Alauda arvensis, Lin. Faun. Sv. p. 76. n. 209. Syst. Nat. I. p. 287. n. I. Lath. Ind. I. p. 491. n. I. Retz. Faun. p. 202. n. 193. Gmel. Syst. I. p. 791.

Alauda, Briss. Orn. III. p. 335. I.
L'Alouette, Buff. Ois. V. I. t. I. Vers. Germ. Otto XIV. p. 152. cum. fig. Pl. enl. 363. f. I.
Sky-Lark, Pen. Brit. Zool. I. p. 353. t. 55. Lath. Syn. IV. p. 368. n. I. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 369. I.
Feldlerche, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 755.
Svecis: Lärka, Sånglärka.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $7\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ $14\frac{1}{2}$. Rostr. $\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem $4\frac{1}{2}$ poll. Cauda fere 3. poll. Extra alas plus quam I. poll. extensa. Tibia I. poll. Digit med. $\frac{7}{8}$ poll. Digit. post. I; unguis postic. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum robustiusculum, teres, supra convexum, maxilla superiore fusca, integra, inferiore albido apice fusco. Anguli oris eminentes, lutei. Os intus pallide incarnatum. Lingua obtuse bifurca. Nares ovales plumulis setosis tectæ. Iris griseo-fusca. Pedes fusco-incarnati, unguibus fuscis, postico apice albo.

Caput, Dorsum et scapulæ saturate fusca marginibus pennarum rufescenti- vel albide-griseis. Uropygium et tectrices alarum minores rufescenti-grisea fere immaculata. Genæ et stria supra oculos sordide alba. Tempora fusca rufescentia. Avis subtus sordide alba, collo et pectore antice ferruginescenti-luteo tinctis, maculis parvis fuscis cuneiformibus, fere striatis. Remiges saturate fuscæ; extimæ tres fere æquales, margine exteriore albæ; 5-15 apice albæ, excisæ, margine exteriore ferrugineæ; 15 longitudine quintæ, cum sequentibus, margine pallide griseæ. Tectrices majores fuscæ, margine exteriore rufescenti-griseo, apice albido. Cauda longa, bifurca, Rectricibus nigricantibus acutis, extima extus ab apice supra medium obli-

que alba, secunda latere exteriore per totam longitudinem et margine interiore ad apicem alba. Par intermedium fuscum extus rufo-griseo, intus ferrugineo latius marginatum.

Femina: minor: 7. poll. longa; fere similis Mari, pectore tamen pallidiore.

Junior avis: magis variegatus, ab aliis Speciebus optime dignoscitur rostro et ungue postico.

OBSERV.

Vertex *Maris* pennis longioribus est instructus, quas pro lubitu in cristam brevem erigere potest. Tempore propagationis hoc sæpissime facit. Talem vero Alaudam Aucupes Scaniæ appellant *Topplärka* et dicunt hanc melius cantare quam illam, quæ crista caret. Et hoc jure. Aliam *Al. cristatam* nec in Svecia nec in Selandia inveni, nisi ab exteris allatum.

HISTORIA.

In agris, arvis et campis frequens. Mensibus Septembri et Octobri gregatim ab uno in alterum agrum errat. Sensim evanescit. Manent tamen nonnullæ in Scaniæ agris in multam hyemem. Mature redit. Jam Mense Februario, aurâ leniore in aëre supra agros se librans, cantu dulci ver lætum adnunciat.

Ecce suum *Tirili*, *Tirili*, *Tiritirtiti* tractim
Candida per vernum cantat Alauda solum.

Etiam terræ insidens cantat. Nidulatur in agris vel campis. Nidum graminibus siccis constructum pilis stratum in ipsa terra ponit. Ova 5. albo-grisea punctis et maculis griseo-fuscis. Vescitur Seminibus, Insectis, Larvis et satis.

CXIX ALAUDA ARBOREA.

DIAGN. Supra pallide testacea, nigro maculata Stria albida supra oculos caput cingens. Subtus albida pectore maculis nigris. Cauda brevis æqualis.

SYNONYMA.

Alauda arborea, Lin. Faun. Sv. p. 77. n. 211. Retz. Faun. p. 221. n. 195. Lath. Ind. I. p. 492. Gmel. Syst. I. p. 793. n. 3. Briss. Orn. III. p. 340. t. 20. f. 1.

Alouette des bois ou Cujelier, Buff. Ois. V. p. 25. Vers. Germ. Otto XIV. p. 190. Pl. enl. 660. f. 2.

Wood-Lark, Pen. Brit. Zool. I. p. 356. n. 137. Lath. Syn. IV. p. 361. n. 3. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 373. n. 3.

Alauda nemorosa, Gmel. Syst. I. p. 797. n. 21.

Al. cristatella, Lath. Ind. Orn. I. p. 499. n. 26.

Lulu, Buff. Ois. V. p. 74. Vers. Germ. Otto XIV. p. 277. Pl. enl. 503. f. 2.

Lesser Crested Lark, Pen. Brit. Zool. I. p. 360. n. 144. Lath. Syn. IV. p. 391. n. 24.

Baumlerche, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 781.

Svecis: Trädlärka.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 6. poll. Alæ extensæ 12 poll. Rostr. $\frac{7}{16}$ poll. A flexura alæ ad apicem $3\frac{6}{8}$ poll. Cauda 2. poll.; extra alas $\frac{1}{2}$ poll. extenditur. Tibia $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. fere $\frac{6}{8}$ poll. Digit. post. $\frac{6}{8}$ poll. Ungv. post. $\frac{7}{16}$ poll.

Rostrum tenuius quam antecedentis, tereti-compressum, supra fuscum, subtus pallidum. Pedes pallidi.

Unguis posticus pallidus, compressus, rectus, apice subincurvatus.

Quoad habitum brevior et crassior quam *Al. arvensis*. Caput, Dorsum et Scapulæ supra nigricantia marginibus pennarum griseo-ferrugineis. Uropygium et Tectrices caudæ supra rufo-grisea immaculata. Vertex pennis longioribus instructus, quas in cristam erigere potest avis. A naribus supra oculos ad nucham fascia albida Pileum cingit. Macula Temporalis fusco-rufa postice fere nigra. Subtus avis sordide alba maculis nigricantibus cuneiformibus in jugulo minutis, in superiore pectoris parte aliquantum majoribus. Gula, Abdomen et crissum immaculata. Latera colli et nucha albida maculis nigricantibus, unde "Collum fere annulo albo cinctum," *Lin. Faun. Sv.* Remiges nigro-fuscæ apice albicantes: primores (5) margine exteriore tenuiter albæ, ceteræ pallide ferrugineæ. Tectrices *minores* rufo-griseæ, *majores* remigum primorum nigricantes apicibus rufo-albescentes. Ad marginem alæ clausæ maculæ albæ. Cauda æqualis, brevis, nigra, Rectricibus late obtusis *extimâ* ab apice fere ad medium albá, fusco immixto, secunda et tertia macula apicis obliqua alba; pare intermedio rufo-griseo, ad rachem tantum fusco.

Femina: Mari fere similis, sed color ejus sordide albidus vel luteo-albidus, in hac purius albus.

HISTORIA.

Migratoria. Mature redit, jam ad finem M. Martii. Post medium M. Septembrem versus meridiem dimigrans, agros Scaniæ gregaria frequentat. Volans continuo *Dadigoi!* clamat. Volatus arcuatim altior et demissior. Æstivat in nemoribus, præcipue pinetis Hal-

landiæ, Smolandiæ &c. Mas cantans e cacumine arboris in aërem altissime adscendit; etiam cacumini arboris insidens. Nidulatur in terra sub frutice juniperi &c. Ova 4-5. saturate grisea maculis fuscis præsertim circa extremitatem obtusiorum. Vescitur Insectis et seminibus.



GENUS XXV.

CINCLUS.*)

Rostrum rectum, tenue, acutum, dorso fere carinato, maxillis margine inflexis, superiore pone apicem decurvatum parum excisa.
Nares lineares, membrana et pilis fere tectæ.
Caput parvum.
Lingva plana, apice bifida.
Pedes ambulatorii.
Oculi altius sub vertice positi.

CXX. CINCLUS AQUATICUS.

Diagn. Nigricans, collo antice et pectore albis.

SYNONYMA.

Sturnus Cinclus, Lin. Faun. Sv. 78. n. 214. Amoen. Ac. IV. p. 594. Retz. Faun. Sv. p. 225. n. 20. Gmel. Syst. I. p. 803. n. 5.
Turdus Cinclus, Lath. Ind. Orn. I. p. 343. n. 57.
Merula aquatica, Briss. Orn. V. p. 252. 19.

*) Hoc Genus omnino a *Sturnis* separandum. Formâ rostri propius ad *Turdos* accedit, variis vero notis distinguitur. Quoad habitum ad Passerum ordinem pertinet, quoad vivendi rationem potius ad Grallas accedit. Etiam femora vix usque ad genua pennis tecta, transitum ad Aves aquaticas demonstrant.

Merle d' eau, Buff. Ois. VIII. p. 134. t. 11. Pl. enl. 940. Vers. Germ. Otto. XXVIII. p. 246. cum. fig.
Water-Ouzel, Pen. Brit. Zool. I. p. 312. n. 111. Arct. Zool. II. p. 332. B. — Lath. Syn. III. p. 48. 50. Id. Sup. p. 142. Vers. Germ. Bechst. III. p. 45. n. 50.
Der Wasserschwätzer, *Cinclus aquaticus*, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 808.
Svecis: Wattnstare, Strömstare.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $7\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ 13 poll. Rostr. e fronte $\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 4 poll. extra alas $1\frac{2}{8}$ poll. Tibia $1\frac{1}{8}$ poll. Digit. med. 1. poll. postic. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum nigrum. Iris pallide fusca; palpebræ albæ. Pedes antice pallide grisei, postice et subtus nigro-fusci. Ungues fusci.

Magnitudine fere *Sturni*, capite tamen minore, corpore crassiore, alis et cauda brevioribus. Caput, collum supra et ad latera brunneo-fusca (fusco-castanea). Dorsum, Scapulæ, alarum tectrices et uropygium pennis cinereis nigro latius fimbriatis; Gula, collum antice et pectus ad medium pure alba. Ceterum pectus et abdomen nigra castaneo tincta. Hypochondria et crissum nigro-cinerea. Remiges nigro-fuscæ, secundariæ extus cinereo marginatæ; Cauda æqualis Rectricibus obtusis nigricantibus, cinereo cinctis.

Femina Mari similis sed dignoscitur capite et collo supra magis griseo-fuscis; collo antice et pectore sordide albis.

HISTORIA.

Juxta fluvios lapidosos et ad cataractas superioris Sveciæ passim. Non nisi hyeme in Scania invenitur. Solitaria nec nisi propagationis tempore per paria occurrit. In aquas ad caput usque descendit cibum quæsitura. Urinatur quoque summa dexteritate licet fissipes. Hieme cantat. Nidulatur jam M. Martio, inter lapides ad fluviorum ripas. Ova 4-6 alba. Vescitur Insectis aquaticis eorumque Larvis.

GENUS XXVI.

STURNUS.

Rostrum rectum, subulatum, angulatum; depressum, obtusiusculum, mandibula superiore integerrima marginibus patentiusculis.
Nares oblongæ, supra marginatæ.
Lingua emarginata, acuta.
Pedes ambulatorii.

CXXI. STURNUS VULGARIS.

Diagn. Niger purpureo, viridi et coeruleo fulgore nitens, maculis parvis albidis adspersus.

SYNONYMA.

Sturnus Vulgaris, Lin. Faun. Sv. p. 77. n. 213. Retz. Faun. p. 224. n. 199. Gmel. Syst. Nat. I. p. 801. Lath. Ind. Orn. I. p. 231. n. 1. Briss. Orn. II. p. 439.
L'Etourneau, Buff. Ois. III. p. 176. t. 15. Pl. enl. 75.
Stare or Starling, Pen. Brit. Zool. I. p. 299. n. 104. t. 46. Arct. Zool. II. p. 331. A. — Lath. Syn. III. p. 2. Suppl. p. 137.
Svecis: Stare.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 8½ poll. Alæ extensæ 15 poll. Rostr. 1 poll. A flexura alæ ad apicem 5 poll. Cauda 2½

poll. Tibiæ $1\frac{2}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{1}{8}$ poll. Digit. post. $\frac{7}{8}$ poll.

Rostrum basi supra ad nares pennis tectum. Pedes robustiusculi, et unguis posticus præsertim robustus.

α. Mas annosus, tempore propagationis:

Rostrum pallide luteum, basi subtus album (in ave mortua nigrescens). Iris avellana. Pedes luteo-incarnati.

Corpus totum (pennis longis acutis tectum) nigrum, capite supra et collo subtus purpureo nitentibus. Dorsum, scapulæ et superior pectoris pars viridi (æneo) colore nitentia. Ceterum pectus et alarum tectrices majores fulgore coeruleo. Collum supra, Dorsum et scapulæ apicibus pennarum testaceo-albis, unde maculis parvis trigonis adspersa. Crissum obscure nigrum pennis albido fimbriatis. Caput, collum subtus, pectus et abdomen immaculata. Remiges latere exteriore nigræ, interiore fuscæ, versus apicem cinereæ nigro fimbriatæ, margine exteriore pallide-testaceo tenuiter marginatæ. Cauda fere æqualis Rectricibus nigricantibus cinereo supra tinctis, lateralibus extus pallide testaceo-marginatis. Tectrices caudæ superiores rufo, inferiores albo, late marginatæ.

β. Junior post primam deplumationem:

Corpus tegitur pennis haud acuminatis. Rostrum supra nigrum, subtus fuscum. Pedes fusco incarnati. Niger minus nitens; Caput supra, Cervix, Dorsum et scapulæ maculis rotundatis pallide rufis. Corpus totum subtus nigrum maculis crebris albis in collo minoribus subrotundis, in pectore et abdomine majoribus transversim-ovalibus. Remiges et majores tectrices nigro-fuscæ margine exteriore rufæ. Rectrices nigricantes, cinereo tinctæ, rufo marginatæ.

γ. *Junior ante primam Deplumationem*:

Supra fusco-fuliginosa immaculata Remigibus ferrugineo marginatis. Subtus pallide grisea maculis crebris longitudinalibus griseo-fuscis. Gula albida.

δ. *Junior (Variet.?) ipso tempore deplumationis*:

Caput collumque supra et ad latera cinereo-fusca. Dorsum cinereo-fuscum, pennis nigris æneo colore nitentibus maculâ apicis albida, insertis. Uropygium nigrum pennis rufo marginatis. Gula alba. Jugulum albidum versus pectus vix fuscescens. Pectus et abdomen nigra maculis albis adspersa. Remiges et Rectrices ut in β.

Mus. Payk. Mense Julio occisa.

HISTORIA.

Frequens. Migratoria. Mature redux. Jam M. Martio in pratis depressis et ad rivulos Scaniæ catervatim occurrit socialis Avis. Mox in sylvas frondosas, se propagandi caussa, abit. Nidulatur in cavis arborum ex. gr. Quercuum, Fagorum, Populorum &c. sæpe in una arbore plures. Etiam sub tectis ædium. Ova 4-7 pallide cinerascenti-viridia. Pulli jam M. Junio volatui apti sunt. Post hoc tempus gregatim in pratis et pascuis occurrunt. Vescuntur Insectis, Larvis, Lumbricis &c. Dorso avium insidentes Insecta deligunt. Inter arundines ad margines lacuum et fossarum vel in arboribus, innumeris fere gregibus pernoctant. Facile mansuescit avis. Docilis, aliarum avium cantus, et vocem humanam imitari discit. M. Octobri abit.

OBSERV.

Linne in Dissert. de *Migrationibus Avium*. p. 31. contendit *Sturnos* in Scania hybernare, quod nunquam, ne lenioribus qui-

dem hyemibus, vidi. In Faun. Svec. l. c. dicit: *Discedit post mediam æstatem in Scaniam campestrem.* Est quidem verum, *Sturnum* hoc tempore in Scaniam campestri frequentem esse, sed in Uplandia quoque e. gr. ad Prædium Wallox-Säby, juxta finem M. Augusti maximas vidi catervas.

GENUS XXVII.

PARUS.

Rostrum rectum, breve, compressum, integerrimum, basi setis tectum.
Nares pennis setaceis tectæ.
Lingua truncata, setis quatuor terminata.
Pedes ambulatorii.

CXXII. PARUS MAJOR.

Diagn. Caput nigrum, temporibus albis, nucha viridi-lutea. Dorsum olivaceum. Pectus et abdomen flava, fascia in medio longitudinali nigra.

SYNONYMA.

Parus Major, Lin. Faun. Sv. p. 96. n. 265. Retz. Faun. p. 268. n. 255. Gmel. Syst. I. p. 1006. Lath. Ind. I. p. 562. I. Briss. III. p. 539.

La grosse Mesange ou Charbonniere, Buff. Ois. V. p. 392. t. 17. Pl. enl. 3. f. I. Vers. Germ. Otto XVII. p. 29. cum. fig.

Great Titmouse, or Ox-eye, Pen. Brit. Zool. I. p. 390. t. 57. f. I. Lath. Syn. IV. p. 536. I. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 531. n. I.

Die Kohlmeise, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 834.

Svecis: Talgoxe.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 5. poll. Rostr. $\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 3. poll. Cauda $2\frac{1}{2}$ poll. Tibia $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll, Digit. post. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum validiusculum, nigrum, rectum, tereti-compressum, acutum, mandibulis æqualibus. Nares rotundatæ plumis setosis tectæ. Iris fusca. Pedes cum unguibus, plumbei.

Caput splendide nigrum. Gula nigra. A jugulo nigro tænia utrinque concolor latera capitis alba cingit. Nucha pallide viridi-lutea. Dorsum et scapulæ pulchre olivacea. Uropygium pallide cinereum. Pectus et abdomen virescenti-flava, stria longitudinali nigra, in abdomine latiore. Crissum medio nigrum lateribus albis. Remiges nigricantes, primores (exceptis duabus primis) a basi ad medium pallide coeruleo dehinc albido marginatæ. Intimæ latere exteriore lutescenti, apice albido marginatæ. Tectrices alarum pallide coeruleæ, majores apicibus albis. Rectrices nigricantes, extima longitudinaliter extrorsum oblique alba; secunda apice alba; mediæ binæ coeruleo-tinctæ; reliquæ exteriore latere coerulescentes.

Femina: Minor, coloribus minus vividis, striâ pectoris et abdominis nigra, breviore.

HISTORIA.

Manens. In sylvis et hortis ubique. Instante hyeme ad domos appropinquat, et interdum intrat. Agilissima avicula. Ferox, aves imbecilliores interdum cædit cerebrumque devorat. Vescitur præterea Insectis, Larvis, seminibus, etiam cadaveribus *). Nidulatur

*) Intrat quoque Caveas, in quibus Caro et alia obsonia ventis exponuntur, linteis, quibus circumdantur, laceratis. Sic has aves totum fere *Tetraonem Tetricem* devorantes vidi.

in cavis arborum, murorum &c. Ova 8 et plura, lutescenti-alba, maculis et striis rufescentibus.

CXXIII. PARUS COERULEUS.

Diagn. Frons alba. Vertex coeruleus. Corpus supra olivaceum, subtus flavum.

SYNONYMA.

Parus coeruleus, Lin. Faun. Sv. p. 97. n. 267. Retz. Faun. p. 269. n. 256. Gmel. Syst. I. p. 1008. Lath. Ind. Orn. I. p. 566. n. 12. Briss. Orn. III. p. 544. 2.

La Mesange bleue, Buff. Ois. V. p. 413. Pl. enl. 3. f. 2. Vers. Germ. Otto XVII. p. 75. cum. fig.

Blue Titmouse, Pen. Brit. Zool. I. p. 391. n. 163. t. 57. f. 2. Lath. Syn. IV. p. 543. n. 10. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 538. n. 10.

Die Blaumeise, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 860.

Svecis: Blåmes.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $4\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ $7\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $2\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{1}{2}$. Tibia $\frac{5}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{9}{16}$ poll. post. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum breve, compressum supra subtusque convexum, nigricans maxillis margine albidis. Iris fusca. Pedes cum unguibus plumbei.

Frons et latera capitis alba. A rostro per oculos stria nigra, pone oculos ad cervicem saturate coerulea. Vertex coeruleus. Gula nigra demittit fasciam saturate coeruleam utrinque circa latera capitis ad cervicem. Occiput et inferior Cervicis pars, (versus Dorsum) al-

bicantia. Dorsum viride. Pectus, latera abdominis et crissum flava. Abdomen medium albescens striâ longitudinali coerulea. Alarum tectrices coeruleæ proximæ apice albæ, unde tænia alarum alba. Remiges latere interiore nigricantes, exteriore coeruleæ, primores 4 margine exteriore, secundariæ apice, albæ. Cauda fere æqualis Rectricibus coeruleis, lateralibus extus albo marginatis.

Femina aliquantum minor, colore coeruleo minus pulchro et stria abdominis vix conspicua.

HISTORIA.

Haud rara. Autumno et hieme hortos frequentat. Æstivat in sylvis. Nidulatur in cavis arborum. Ova ponit 8-10 rubescenti-alba, rufo fuscoque maculata. Vescitur Insectis, Larvis, seminibus.

CXXIV. PARUS CYANUS.

DIAGN. Dorsum pallide coeruleum; Caput et Corpus subtus alba. Fascia cervicis transversa saturate coerulea. Cauda longa, rotundata.

SYNONYMA.

Parus cyanus, Gmel. Syst. I. p. 1007. n. 16. Pallas Nov. Comment. Acad. Petrop. T. XIV. p. 588. n. 8. t. 23. f. 3. Lepechin ibid. p. 498. n. 1. t. 13. f. 1. Lath. Ind. I. p. 563. Retz. Faun. Sv. p. 267. n. 253.

Parus Sæbyensis, Mus. Carls. I. t. 25 *) Gmel. Syst. I. p. 1008. n. 17.

*) Ex hoc eodem Specimine, quod adhuc in Museo Paykulliano invenitur, Descriptionem sumsi.

Parus Knjæsciok; Gmel Syst. Nat. I. p. 1013.
La grosse Mesange bleue, Buff. Ois. V. p. 455. Vers. Germ. Otto. XVII. p. 153. n. 5. cum. fig. — p. 174. n. 8. et p. 84. Append.*)
Parus coeruleus major, Briss. Orn. III. p. 548. n. 3.
Azur Titmouse, Pen. Arct. Zool. II. p. 426. C. Lath. Syn. IV. p. 538. n. 3. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 533. n. 3. et p. 553. n. 30.
Die Lazur-Meise, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 865. Mus. Payk.

DESCRIPTIO.

Inter *P. coeruleum* et *caudatum* serie naturali collocandus. *Paro coeruleo* major, caudâ longiore, rostro breviore et crassiore, compresso, obtusiusculo, maxillis æqualibus pallidis præsertim ad margines albidis. Pedes, cum unguibus acutis, nigro-coerulei.

Caput et tota avis subtus alba pennis paucis 2-3 nigro-coeruleis in medio pectore insertis. Stria nigra a rostro per oculos ad latera colli. Fascia lata cervicis transversa nigro-coerulea, pone quam initium Dorsi albescens. Dorsum et alarum basis albo-coerulescentia. Alæ coeruleæ apicibus Remigum secundariarum albis. Tectrices proximæ apicibus late albis, unde fascia alarum transversa et alia obliqua, lata, alba. Cauda longa, cuneato-rotundata, coerulea, Rectricibus lateralibus (1-1; 2-2 &c.) extus dimidiato oblique albis.

*) Descriptio ex Museo Carlson. sumta. Figura vero, quæ ex eodem Museo desumta perhibetur, potius ad *P. coeruleum* pertinet.

LOCUS.

Non nisi semel, quantum ego scio, in Svecia inventus, et quidem ad Prædium Säby in Sudermannia.

CXXV. PARUS CAUDATUS.

Diagn. Cauda cuneiformis corpore longior. Caput album. Corpus supra nigrum albo et roseo varium.

SYNONYMA.

Lanius biarmicus, Lin. Faun. Sv. p. 29. n. 84. cum. fig. Tab. I.

Lanius Caudatus, Lin. Faun. Sv. p. 28. n. 83.

Parus caudatus, Retz. Faun. Sv. p. 271. n. 259. Lath. Ind. Orn. I. p. 569. Gmel. Syst. I. p. 1010. n. 11.

Parus longicaudus, Briss. Orn. III. p. 570. n. 13.

La Mesange à longue queue, Buff. V. p. 437. t. 19. Pl. enl. 502. f. 3. Vers. Germ. Otto XVII. p. 114. cum. fig.

Long-tailed Titmouse, Pen. Brit. Zool. I. p. 394 n. 166. Lath. Syn. IV. p. 550. n. 18. Sup. p. 190. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 544. n. 18.

Der Schwanzmeise, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 879.

Svecis: Altita, Swansmes.

OBSERV.

Parus biarmicus qui Bechst. l. p. 889. Scaniæ et in Fauna Retz. p. 272. superioris Svecicæ incola dicitur, nunquam in Svecia inventus est. Avis, quem Linne a Cel. Leche e Scania recepit et in Faun. Sv. n. 84. *Lanium biarmicum* appellavit, est revera *Parus caudatus*, quod tum ex Descriptione tum ex Icone sa-

tis liquet. *Lanium caudatum* Lin. Faun. Sv. n. 83. descripsit Auctor ex figura nimis colorata, quæ inter *Aves pict. Rudbeckii* exstat (fol. 114).

DESCRIPTIO.

Longit. avis 6. poll. Alæ extensæ $7\frac{1}{2}$ poll. Rostrum vix $\frac{2}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $2\frac{1}{2}$ poll. Cauda $3\frac{1}{2}$ poll. Tibia $\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. fere $\frac{1}{2}$; Digit. post. $\frac{5}{16}$ poll.

Rostrum breve, compressum, nigrum, basi pennis reversis tectum. Iris nigro-fusca palpebris margine luteis vel rubris. Pedes saturate fusci.

Caput supra et ad latera album. Cervix rufescens demittit striam concolorem utrinque in scapulas et alarum tectrices. Dorsum nigrum roseo et albido varium. Avis subtus alba, abdomine et crisso rufescentibus. Remiges primores nigricantes, secundariæ fuscæ albo late marginatæ. Tectrices nigræ. Cauda longa, nigra, cuneiformis. Rectricibus tribus lateralibus fuscis latetere exteriore et apice oblique albis.

Femina distinguitur striâ nigricante a rostro supra oculos ad nucham ductâ.

HISTORIA.

Passim. Manens. Parum timidus. Autumno et hieme in sylvis frondosis, præsertim in alnetis. Æstivat in sylvis. Nidum magnum, ovalem, extus ex Muscis et Lichenibus constructum, intus pennis stratum, aperturâ laterali rotunda, in ramo juxta truncum arboris cujusdam ponit. Ova 9-12 alba, interdum rufo punctata. *Victus:* Insecta, Larvæ &c.

CXXVI. PARUS CRISTATUS.

Diagn. Caput cristatum. Collare nigrum. Dorsum rufescenti-griseum. Abdomen albidum.

SYNONYMA.

Parus cristatus, Lin. Faun. Sv. p. 97. n. 266. Retz. Faun. p. 268. n. 254. Gmel. Syst. I. p. 1005. Lath. Ind. Orn. I. p. 567. n. 14. Briss. III. p. 558. n. 8.

La Mesange huppée, Buff. Ois. V. p. 447. Pl. enl. 502. f. 2. Vers. Germ. Otto XVII. p. 134. cum. fig.

Crested Titmouse, Arct. Zool. II. p. 427. F. Lath. Syn. IV. p. 545. 12. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 540. n. 12.

Die Haubenmeise, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 869.

Svecis: Tofstita, Tofsmyssa: *Uplandis:* Meshatt. *Scanis:* Toppmes.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $4\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ $7\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{5}{16}$ poll. A flexura alæ ad apicem $2\frac{2}{8}$ poll. Cauda 2 poll. Tibia $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{1}{2}$ poll. Digit. post. $\frac{7}{16}$.

Rostrum nigrum, gracile, compressum. Nares ovales pennis setosis albis tectæ. Iris fusca. Pedes plumbei.

Vertex cristatus e pennis acutis fere pollicaribus, nigris, albo marginatis. Ceterum caput supra nigrum marginibus pennarum albis, unde frons f re alba. Latera capitis cinereo-alba, macula pone aures semilunari nigra. Gula et jugulum nigra. Ab inferiore juguli parte fascia nigra, utrinque ad nucham recurrens, col-

lum cingit. Dorsum et scapulæ rufescenti-grisea. Pectus et abdomen alba. Latera abdominis, crissum, et caudæ tectrices inferiores rufescenti leviter tincta. Remiges griseo-fuscæ extus rufescenti tinctæ, primores margine exteriore albidæ. Cauda fere æqualis, Rectricibus griseo-fuscis, lateralibus versus basin extus rufescenti-albidis.

HISTORIA.

Habitat passim in pinetis Sveciæ, ex. gr. in Hallandia, Smolandia, Uplandia &c. Sono singulari *Krrrrit! Krrrrit!* eminus se prodit agilis avicula. Nidulatur in cavis arboribus. Ova 8-10 alba maculis in extremitate sanguineis. Vescitur Insectis eorumque ovis, Larvis, etiam seminibus Pini. Apud nos hyemat.

CXXVII. PARUS ATER.

Diagn. Caput et collum nigra, lateribus maculâ magna alba. Stria occipitis alba. Dorsum cinereo-coeruleum. Pectus albidum.

SYNONYMA.

Parus ater, Lin. Faun. Sv. p. 97. n. 268.

Parus ater, Retz. Faun. Sv. p. 270. n. 257. Gmel. Syst. I. p. 1009. Lath. Ind. I. p. 564. n. 8.

Parus atricapillus, Briss. Orn. III. p. 551. 5.

La Petite Charbonniere, Buff. Ois. V. p. 400. Vers. Germ. Otto XVII. p. 44.

Colemouse. Pen. Br. Zool. I. p. 392. n. 164. t. 47. f. 3 Lath. Syn. IV. p. 540. 7. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 536. n. 7.

Tannenmeise, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 853.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $4\frac{3}{8}$ poll. Alæ extensæ 7. poll. Rostr. $\frac{5}{16}$ poll. A flexura alæ ad apicem $2\frac{1}{2}$ poll. Cauda $1\frac{7}{8}$ poll. Tibia $\frac{5}{8}$ poll.; Digit. med. supra $\frac{1}{2}$; Digit. post. vix $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum subgracile, acutum, compressum, supra convexum, nigrum, marginibus maxillarum pallidis. Nares ovato-rotundatæ setis nigris tectæ. Iris fusca. Pedes plumbei.

Caput supra et cervix nitide nigra, striâ nuchæ longitudinali alba. A sinu oris, sub oculo ad latera capitis et colli macula longitudinalis, magna, alba. Dorsum, scapulæ et alarum minores tectrices coeruleo-cinereæ. Uropygium in viride vergens. Gula et jugulum ad sternum usque nigra. Pectus et abdomen albida hypochondriis et crisso rufescenti tinctis. Remiges saturate cinereo-fuscæ extus tenuiter cinereo-albo intus albo marginatæ, intimæ apice albo maculatæ. Rectrices cinereo-fuscæ extimæ extus versus basin albido marginatæ.

HISTORIA.

Manens. In pinetis Sveciæ æstivat. Mense Octobri hortos Scaniæ per familias visitat. Nidulatur in ipsa terra aut in truncis cavis. Ova 6-8 alba punctis rufis. Vescitur Insectis eorumque ovis, quæ ex arboribus legit, unde sylvis utilis.

CXXVIII. PARUS PALUSTRIS.

DIAGN. Caput superne nigrum. Tempora alba. Dorsum rufescenti-griseum.

SYNONYMA.

Parus palustris, Lin. Faun. Sv. p. 98. n. 169. Retz. Faun. p. 270. n. 258. Gmel. Syst. Nat. I. p. 1009. n. 8. Lath. Ind. Orn. I. p. 565. n. 9. Briss. III. p. 555. 7.

La Mesange de Marais, Buff. Ois. V. p. 403. Pl. enl. 3. f. 3. Vers. Germ. Otto XVII. p. 57. cum. fig.

Marsh Titmouse, or *Black-Cap*, Pen. Brit. Zool. I. p. 393. n. 165. t. 57. f. 4. Lath. Syn. IV. p. 541. n. 8. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 536. n. 8.

Die Sumpfmeise, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 873.

Svecis: Entita. Tomlinge.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 4⅝ poll. Alæ extensæ 7 poll. Rostr. fere ⅜ poll. A flexura alæ ad apicem 2$\frac{6}{8}$ poll. Cauda 2 poll. Tibia ⅝ poll. Digit. med. ½ poll. post. ½ poll.

Rostrum nigrum, tereti-compressum. Nares pennis setosis nigris tectæ. Iris castanea. Pedes sordide plumbei.

Caput superne ad nucham nigrum. Genæ et tempora alba. Dorsum rufescenti-cinereum. Gula nigra. Corpus præterea subtus sordide album, hypochondriis et crisso in rufescens vergentibus. Alæ griseo-nigræ margine exteriore Remigum albido. Rectrices griseo-fuscæ lateralibus extus albido marginatis.

Femina: gulâ nigrâ vix conspicuâ.

HISTORIA.

Manens. Habitat in hortis et sylvis frondosis haud raro. Larvas, Insecta eorumque ova ex arboribus de-

ligit, unde hortis utilis avicula. Vescitur quoque baccis Sorbi, et sæpe in laqueis (Donor dictis) cum Turdis capitur. Nidulatur in cavis arboribus. Ova 8-12 albo-grisea maculis rubris.



FAMILIA III.

INCURVIROSTRES.

Rostrum minimum, acutum, apice incurvum, basi latissimum et depressum; unde faux amplissima. *Victus:* Insecta.

GENUS XXVIII.

HIRUNDO.

Rostrum minimum, apice incurvum, acutum, basi depressum.

Sinus oris vibrissis caret.

Rictus capite amplior.

Lingua brevis, lata, apice fissa.

Tibiæ breves.

Pedes ambulatorii vel prehensiles; unguibus acutissimis.

Cauda plerisque forficata.

DISSECTIO I.

Digitis tribus anticis, uno postico.

CXXIX. HIRUNDO RUSTICA.

Diagn. Nigro-coerulescens, pectore, abdomine, et crisso albidis, fronte gulaque castaneis. Rec-

trices nigræ, maculâ albâ, exceptis intermediis, notatæ.

SYNONYMA.

Hirundo rustica, Lin. Faun. Sv. p. 98. n. 270. Retz. Faun. p. 273. n. 261. Gmel. Syst. I. p. 1015. Lath. Ind. Orn. I. p. 572. n. I.

Hirundo domestica, Briss. Orn. II. p. 486. I.

Hirondelle de cheminée, Buff. Ois. VI. p. 591. t. 25. f. I. Pl. enl. 543. f. I. Vers. Germ. Otto XXII. p. 119. cum fig.

Chimney or common Swallow, Pen. Brit. Zool. I. p. 398. n. 168. t. 58. Arct. Zool. II. p. 429. n. 330. Lath. Syn. IV. p. 561. Sup. p. 192. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 554. n. I.

Die Rauchschwalbe, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 902.

Svecis: Laduswala.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $6\frac{1}{2}$-7. poll. Alæ extensæ 13. poll. Rostr. a fronte $\frac{5}{16}$ poll. A flexura alæ ad apicem fere 5 poll. Cauda $4\frac{5}{8}$ poll. extra alas $1\frac{1}{2}$ poll. extensa. Tibia $\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. $\frac{9}{16}$; Digit. post. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, rectum, basi depressum, latum, apice tereti-acutum maxilla superiore pone apicem decurvatum excisa. Nares ovales aliqvantum sursum curvatæ. Os intus et lingua lutea. Iris fusco-castanea. Pedes nudi, fusci, unguibus acutissimis.

Frons et gula pulchre castaneo-rufa. Caput et collum superne, Dorsum et alarum tectrices nigra, coeruleo nitentia. Latera capitis et collum antice nigra. Pectus, abdomen et crissum alba, ferrugine-

scenti levissime tincta. Remiges nigræ, latere interiore fuliginoso-fuscæ. Cauda nigra forficata, Rectricibus, excepto pari intermedio, macula alba pone apicem notatis; extima utrinque longissima et angustissima.

Femina dignoscitur caudâ minus forficata, rectricibus extimis non tam elongatis.

Var. Hirundo rustica alba: Tota alba.

HISTORIA.

Habitat ubique ad ædes frequens. Migratoria redit primis diebus M. Maji et nos relinquit initio M. Septembris, australiores terras petitura *). Ante abitum innumeris gregibus inter arundines juxta aquas obvenit, Insecta aquatica, sola fere quæ jam restant, lectura. Nidulatur in domibus sub tectis. Nidum semiglobosum ex luto glutinoso et terra argillacea, straminibus intermixtis, pennis intus vestitum, apertura laterali præditum, muro vel trabi agglutinat. Ova ponit 4-6 alba, punctis fuscescentibus et violaceis. Vescitur Culicibus aliisque Insectis, quæ volitans, in aëre et superficie aquæ prædatur. Volatus altior sere-

*) Non equidem ignoro plurimorum Ornithologorum opinionem de hibernis Hirundinum in lacubus, stagnis et paludibus. Hæc vero opinio, mea sententia, observationibus minus accurate habitis nititur. Nullum adhuc factum verum nec relatum audivi, nec descriptum legi, quod dimigrationi Hirundinum absolute repugnet. Repugnat vero rationi, aviculam tam calido sanguine instructam, hibernum aquarum frigorem posse perferre. Eadem olim fabula de pluribus narrabatur avibus ex. gr. de *Tringa vanello*, de *Charadrio campestri* et *Hiaticula*, de *Ardea Ciconia*, de *Colymbo aurito* et aliis (vide Diss. Lin. de Migration. Avium). Cum vero angustia loci me vetet fusius de hac re disputare, Lectorem ad ea delegare volo, quæ egregia scripsit Cel. Bechstein in Naturg. Deutschl. 2te Aufl. 2. B. p. 122. et seqq. et 3. B. p. 907. et seqq.

nam, demissior pluviosam tempestatem præsagit vulgo. Sono acuto: *Zifit!* aliis aviculis hostem advenientem indicat, et, ut caveant, præmonet. Quem vero clamorem ut plurimum audiunt Columbæ, Gallinæ, aliæque aves inermes, statim pastu relicto indicatum hostem circumspiciunt et refugium meditantur. Mirandus sane instinctus! Unde hanc linguam intelligere didicit juvenis Columba, quæ antea nec Falconem vidit nec Hirundinem audivit unquam? Non experientia sed natura illam docuit.

CXXX. HIRUNDO URBICA.

DIAGN. Rectrices immaculatæ. Dorsum nigro-coerulescens. Uropygium et corpus subtus alba.

SYNONYMA.

Hirundo urbica, Lin. Faun. Sv. p. 98. n. 271. Retz. Faun. p. 273. n. 262. Gmel. Syst. I. p. 1017. Lath. Ind. I. p. 573. n. 3.

Hirundo rustica s. agrestis, Briss. Orn. II. p. 490. 2.

Hirondelle à cul blanc, Buff. Ois. VI. p. 614. t. 25. f. 2. Vers. Germ. Otto. XXII. p. 152. cum fig.

Le petit Martinet, Pl. enl. 542. f. 2.

Martin, Pen. Brit. Zool. I. p. 401. n. 169. Arct. Zool. II. n. 331. Lath. Syn. IV. p. 564. 3. — Sup. p. 192. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 557. n. 2.

Die Hausschwalbe, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 915.

Svecis: Husswala.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 5. poll. Alæ extensæ $10\frac{1}{2}$ poll. Cauda 2. poll.

Rostrum nigrum, intus flavum. Iris fusca. Pedes lanâ alba usque ad digitos vestiti, unguibus griseis.

Caput supra nigrum. Dorsum nigrum coeruleo nitens. Uropygium, Tectrices caudæ superiores, Gula, Pectus et abdomen nivea, collo subtus rufescenti tincto. Remiges nigro-fuscæ intimis tribus apice albis. Rectrices coeruleo-nigræ, immaculatæ, exteriores sensim longiores ita ut cauda sit minus quam in præcedente forficata.

Femina: Gula sordide alba.

HISTORIA.

Migratoria serius aliquantum advenit maturiusque abit, quam *H. rustica*, scilicet circa medium Majum. Ad ædes et templa frequens. Nidum ex terra argillacea firme constructum, pennis mollibus intus vestitum, sub subgrundiis muro adglutinat. Ova ponit 4-6 alba punctis fuscis. Vescitur Insectis.

CXXXI. HIRUNDO RIPARIA.

DIAGN. Cinereo-fusca; Gula et abdomen alba. Pedes subnudi.

SYNONYMA.

Hirundo riparia, Lin. Faun. Sv. p. 99. n. 273. Retz. Faun. p. 274. n. 263. Gmel. Syst. I. p. 1019. Briss. II. p. 506. n. 12. Lath. Ind. I. p. 575. n. 10.

L'Hirondelle de rivage, Buff. Ois. VI. p. 632. Pl. Enl. 543. f. 2. Vers. Germ. XXII. p. 176. cum fig.

Sand Martin or Shore-bird, Pen. Br. Zool. p. 402. n. 170. Arct. Zool. II. n. 332. — Lath. Syn. IV. p. 568. n. 10. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 560. n. 10.

Uferschwalbe, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 922.
Svecis: Strandswala, Backswala, Jordswala.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 5. poll. Alæ extensæ 9. poll. Rostr. $\frac{2}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 4$\frac{2}{8}$ poll. Cauda 2$\frac{1}{8}$ poll. Tibia $\frac{7}{16}$ poll. Digit. med. $\frac{5}{8}$ poll. Digit. post. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, depressum, basi latissimum, apice acutum, maxilla superiore pone apicem excisa. Iris fusca. Nares obliquæ, oblongæ. Pedes fusco-nigricantes, nudi, ad exortum digiti postici plumulæ nonnullæ.

Caput et corpus totum supra cinereo-fuscum (cinereo-murinum). Collum antice annulo cinereo-fusco cinctum. Gula alba rufescenti levissime tincta. Pectus, abdomen et crissum alba. Remiges et Rectrices saturate fuscæ. Cauda minus forficata quam in congeneribus, alisque brevior.

HISTORIA.

Migratoria, revertitur circa . . . ., abit jam M. Augusto. In abruptis littoribus, arenosis præcipitiis, sepibusque terreis fodit cuniculos horizontales profundos, in quibus nidulatur. Ova 6 alba, rufescenti-cinereo-nebulosa. Victus: Insecta.

DISSECTIO II.

Digitis omnibus anticis,

CXXXII. HIRUNDO APUS.

Diagn. Tota nigricans, Gula alba.

SYNONYMA.

Hirundo Apus, Lin. Faun. Sv. p. 99. n. 272. Retz. Faun. p. 275. n. 264. Gmel. Syst. I. p. 1020. Briss. II. p. 512. n. 15. Lath. Ind. I. p. 582. n. 32.

Le grand Martinet, Pl. enl. 542. f. I. Buff. Ois. VI. p. 643. Vers. Germ. Otto XXII. p. 193. cum. fig.

Swift, Pen. Brit. Zool. I. p. 403. n. 171. t. 58. Arct. Zool. II. n. 334. Lath. Syn. IV. p. 584. n. 34. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 574. n. 34.

Thurmschwalbe, Bechst. Nat. Deutsch. 2te Aufl. 3. B. p. 929.

Svecis: Ringswala.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 7$\frac{5}{8}$ poll. Alæ extensæ 6$\frac{1}{2}$ poll. Rostr. a fronte $\frac{2}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 6$\frac{2}{8}$ poll. Alæ clausæ caudâ I. poll. longiores. Cauda fere 3. poll. Tibia fere $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum nigrum minimum depressum basi latissimum, apice decurvatum. Nares oblongo - ovales. Iris castanea. Tibiæ pennis plumosis nigricantibus antice tectæ. Digiti incarnato-fusci, omnes antice versi, intimo brevissimo. Ungues acutissimi nigri. Alæ longissimæ. Cauda forficata.

Corpus totum nigricans. Gula alba.

Femina: Fusco - nigricans. Gula sordide albida.

HISTORIA.

Migratoria. Redit circa medium Majum. Sono acutissimo, sibilante *J. J. J*! eminus quoque dignoscitur. Celerrime volat immotis fere alis. In excelsis

locis templorum arcium et ædium habitat. Nidulatur in cavis arborum et sub tectis, etiam in sylvis, in cavis arboribus. Ova 3 - 4 lactea, griseo obsolete variegata. Vescitur Insectis.

GENUS XXIX.

CAPRIMULGUS.

Rostrum minimum, acutum, apice incurvum, basi depressum.

Sinus oris vibrissis rigidis.

Rictus amplissimus.

Lingua acuta, integerrima.

Cauda integra, Rectricibus decem.

Pedes breves, tetradactyli, ungue medio latiusculo, intus serrato.

Apertura aurium ampla.

CXXXIII. CAPRIMULGUS EUROPÆUS.

Diagn. Corpus supra variegatum ex nigro, fusco, ferrugineo et albo; subtus albo-rufescens undulis fuscis. Cauda cinerea, fusco transversim fasciata et variegata. Narium tubuli obsoleti.

SYNONYMA.

Caprimulgus Europæus, Lin. Faun. Sv. p. 100. n. 274. Retz. Faun. p. 275. n. 265. Gmel. Syst. I. p. 1027. Lath. Ind. Orn. I. p. 584. n. 5. Briss. Orn. II. p. 470. I. t. 44.

L'Engoulevent, Buff. Ois. VI. p. 512. Vers. Germ. Otto XX. p. 5. cum fig.

Le Crapaud-Volant, Pl. enl. 193.

Nocturnal Goat-sucker, Pen. Brit. Zool. I. p. 416. n. 173. t. 59.

European Goatseucker, Arct. Zool. II. p. 437. A. Lath. Syn. IV. p. 593. 5. Sup. p. 194. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 580. n. 5.

Der Europäische Tagschläfer, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 939. tab. 39. f. 2.

Svecis: Nattskräfwa, Nattskärra.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 10$\frac{6}{8}$ poll. Alæ extensæ 1. ped. 9$\frac{1}{2}$ poll. Rostr. a fronte $\frac{3}{8}$ poll. A sinu oris 1$\frac{1}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 8$\frac{2}{8}$; Cauda 5$\frac{5}{8}$ poll.; extra alas extenditur fere 2. poll. Tibia $\frac{4}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{7}{8}$ poll. Digit. post. $\frac{5}{16}$ poll.

Caput ratione corporis magnum, depressum. Rostrum parvum, nigrum, basi depressum, latum, apice tenue maxillis incurvatis. Faux amplissima, usque sub oculos se tendens, albido-lutea. Sinus oris Vibrissis rigidissimis nigris superne ciliati. Nares prominentes cylindro elevato. Lingua parva acutissima, palato adfixa. Oculi magni coeruleo-nigri. Aures amplæ. Pedes breves, incarnato-fusci, tibiis antice quoad partem pennis tectis. Unguis intermedius latere interiore denticulis sex pectinatus. Caput et dorsum cinerea undulis et punctis tenuissimis fuscis, maculisque longitudinalibus nigris, præsertim supra caput. Occiput et scapulæ maculis præterea pallide ferrugineis. A maxilla inferiore ad latera colli decurrit fascia ferruginescenti-alba. Collum inferne et pectus anterius undulis tenuissimis cinereis et nigricantibus, maculis in medio collo ferrugineo-luteis. Abdomen cinereo-ferruginescens undulis crebris latioribus nigro-fuscis. Crissum pallide ferruginescens undulis

nigricantibus. Remiges nigro-fuscæ, characteribus ferrugineo-luteis hinc inde notatis, apicibus cinereo-variegatæ; extimæ tres maculâ magna alba, interiore latere; intimæ Dorso concolores. Tectrices majores colore dorsi, maculis ovalibus pallide ferrugineis. Tectrices inferiores ferrugineæ undulis fuscis. Cauda fere æqualis rectricibus exterioribus parum brevioribus. Rectrices cinereo-fusco variegatæ, fasciis transversis (8-9) nigro-fuscis notatæ; extimæ binæ (I. I-2. 2.) apice albæ.

Femina caret maculâ albâ in remigibus tribus primis et in rectricibus duabus extimis.

HISTORIA.

In sylvis passim. Migratoria avis mature discedit, sero revertitur. Susurro nocturno de arbore se prodit. Interdiu quiescit; noctu Insecta quæsitura evolat. Volatus valde pacatus. Nidificat ad prærupta umbrosaque montium latera. Ova 2. sordide alba, fuscescenti maculata.

ORDO IV.

COLUMBÆ, *Lath.*

GENUS XXX.

COLUMBA.

Rostrum mediocre, molle, tenue, rectum, subcompressum; maxilla *superiore* versus apicem elevato-convexa, apice descendente obtuso; *inferiore* recta pone apicem subtus subgibba.

Nares oblongæ, postice acutæ, membranâ molli tumida semitectæ.

Lingua integra subtrigona.

Pedes breves.

CXXXIV. COLUMBA PALUMBUS.

Diagn. Corpus coerulescens. Alæ maculâ longitudinali niveâ. Cauda pone apicem nigrum fasciâ subtus latâ albidâ.

SYNONYMA.

Columba Palumbus, Lin. Faun. Sv. p. 75. n. 208. Retz. Faun. p. 219. n. 191. Gmel. Syst. I. p. 776. Lath. Ind. Orn. I. p. 601. n. 32. Briss. Orn. I. p. 89. n. 6.

Le Pigeon ramier, Buff. Ois. II. p. 531. t. 24. Pl. enl. 316. Vers. Germ. Martini VI. p. 238. cum fig.
Ring-Pigeon Pen. Brit. Zool. I. p. 296. n. 102. Arct. Zool. II. p. 329. B. Lath. Syn. IV. p. 635. n. 29. Sup. p. 198. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 620. n. 40.
Ringeltaube, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 949.
Svecis: Ringdufwa. Oelandis: Sjutut.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circa 17 poll. Alæ extensæ $2\frac{1}{2}$ ped. Rostr. $\frac{7}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 10. poll. Cauda $6\frac{6}{8}$ poll. extra alas extensa 2. poll. Tibia $1\frac{2}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{5}{8}$ poll. Digit. post. fere 1 poll.

Rostrum rectum, compressum, luteum, maxilla superiore longiore, apice obtusa, dependente, fornicata; inferiore recta pone apicem subtus gibbo. Nares lineares, antice rima hiante, membranâ tumida, molli, incarnata tectæ. Orbita nuda cinereo-coerulescens. Iris pallide lutea. Cauda longa subæqualis. Pedes incarnati. Tibiæ antice sub genubus plumosæ. Digiti usque ad basin fissi unguibus fuscis.

Corpus supra fusco-coerulescens, capite et uropygio pallide coeruleo-cinereis. Cervix viridi-coeruleo nitens, ad latera colli maculâ utrinque alba nitens, ovalis, magnitudine ovi columbini. Collum antice et pectus purpureo-cinerea (rubicundo-cinerea). Abdomen et crissum pallidiora. Hypochondria et alarum tectrices inferiores pallide cinerea. Remiges nigricantes, primores margine exteriore albæ. Tectrices primores, majores et minores niveæ, unde macula longitudinalis magna, alba, juxta marginem alæ clausæ oritur. Rectrices versus basin cinereo-coerulescentes, versus apicem atræ, fascia lata albida in medio subtus.

Femina: Minor, maculâ alba ad latera colli minore, pectore pallidiore.

Junior: Rostro et pedibus incarnatis. Iris griseo-albida. Cervix caret colore nitente, et maculâ ad latera albâ.

HISTORIA.

Migratoria. Ad finem M. Martis et ad initium Aprilis in Scaniam redit, ibique in hortis et lucis rarius occurrit. Mox vero in pineta superioris Sveciæ, se propagandi caussa abit. Inter arborum ramulis nidulatur. Ova 2. rarius 3. alba ponit. Subole educata in Scaniam revertitur, ubi a medio Septembri innumeris gregibus querceta, fageta, et agros *Secali cereali* consitos frequentat. Vescitur seminibus Pini, glandibus, secali, tritico, piso sativo &c. Timida fixuque difficilis. Caro juniorum sapida.

CXXXV. COLUMBA OENAS.

Diagn. Corpus coerulescens uropygio pallide cinereo. Alæ fascia nigra duplici. Cauda pone apicem nigrum fascia subtus cinerea.

SYNONYMA.

Columba Oenas, Lin. Faun. Sv. p. 75. n. 207. (nec. tamen Diagn. in Syst. Nat. I. p. 279. huc pertinet). Gmel. Syst. I. p. 769. n. I. Lath. Ind. II. p. 589. n. I. Briss. Orn. I. p. 86. n. 5.

L'Oenas ou le Pigeon Deserteur, Buff. Ois. II. p. 498. Vers. Germ. Martini VI. p. 155.

Stock-Dove or Wood-Pigeon, Will. Orn. (Angl.) p. 185.

Stock-Dove or Wood-Pigeon, Pen. Brit. Zool. V. 2. append. A.

Stock-Pigeon, Lath. Syn. IV. p. 605. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 589. n. 1.

Die Holztaube, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 957.

Svecis: Wilddufwa, Skogsdufwa.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 13. poll. Alæ extensæ 2 ped. 2 poll. Rostr. $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 8. poll. Cauda $4\frac{4}{8}$ poll. extra alas 1. poll. Tibia $1\frac{1}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{2}{8}$; Digit. post. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum lutescens vel albidum (interdum incarnatum) mandibula superiore longiore, apice descendente obtuso, inferiore recta, subtus subgibba. Nares lineares antice rima hiante, membrana tumida, molli, incarnata tectæ. Iris fusca. Orbita nuda, pallide incarnata. Pedes saturate incarnati tibiis antice sub genu pennis tectis.

Corpus cinereo-coerulescens, collo supra viridi-coeruleo et purpureo nitente, subtus et pectore purpurascente; capite supra, Dorso antico et scapulis fuscescenti-tinctis. Dorsum medium, Uropygium, tectrices alarum majores, abdomen et erissum pallide cinerea. Remiges primores nigro-fuscæ, margine exteriore tenuissime pallidæ, secundariæ cinereæ apice nigræ, intimæ cinereo-fuscæ. Tectrices majores maculis majoribus nigris juxta medium latere exteriore, ex quibus atque ex apicibus Remigum intermediarum, fascia duplex nigra, in ala composita oritur. Cauda subrotundata Rectricibus cinereis versus apicem magis magisque nigris; fascia pone apicem semipollicari cinerea, præsertim subtus conspicua.

Femina collo et pectore minus nitidis.

HISTORIA.

Frequens. Migratoria redit ad finem M. Martis et in agris satis sylvas adjacentibus per familias occurrit. Tempore propagationis in sylvas frondosas et acerosas per paria discedit. Nidulatur in cavis arboribus *). Ova 2. rarius 3. alba. Autumno gregatim aut solæ aut cum *Palumbis* sociatæ, in agris demersis aut *Secali* consitis occurrunt. Vescitur Secali Tritico, hordeo, avena, piso &c.; etiam seminibus Pini, Cannabis. Mense Octobri abit. Caro sapidissima.

OBSERV.

Columba Domestica mansueta non huic Speciei, ut quidam putant, originem debet, sed alii, quæ inter rupibus habitat, uropygioque albo dignoscitur. Hæ vero duæ Species sæpius sunt confusæ. *Col. Oenas* apud nos frequens est, *Col.* vero *domestica fera* nunquam, quantum ego scio, in Svecia inventa est. Cum vero inter rupes Norvegiæ habitare refertur; **) fieri quidem potest ut inter rupes quoque Sveciæ habitet, quamvis nondum ab Ornithologis observata fuerit. Diagnosis ejus hæç est.

COLUMBA DOMESTICA.

DIAGN. Coerulescens, uropygio albo, fasciis alarum duabus caudæque apice nigris, Membrana na-

*) *Observ.* Cel. Gmelin in Syst. Nat. l. c. Latham in Syn. l. c. et Pennant in Arct. Zool. Germ. II. p. 306 A. dicunt hanc columbam in Europæ et Sibiriæ turribus ripisque rupestribus habitare et nidulari. Sed hoc, ni fallor, de sequente Specie (Columba Domestica), minime vero de hoc intelligendum est.

**) Nulla enim alia esse potest, de qua ita habet Cel. Pontopp. in Norv. Nat. Hist. vers. Germ. Tom. II. p. 132: Auf den Inseln an der Seeküste in Rylylke findet man eine Art *wilde Tauben*, die den zahmen ähnlich sind, ausser dass sie alle einerley Farbe und blaue glänzende Federn am Halse haben und dass sie ihre Nester in den Felsenritzen bauen. Sie sind nicht so scheu, als die Holztauben.

rium tumida albescens. Longit. 1. ped. Alæ extensæ fere 2. ped.

A. COLUMBA DOMESTICA FERA.

SYNONYMA.

Columba domestica, Gmel. Syst. I. p. 769. n. 2. Lath. Ind. Orn. II. p. 589. n. 2.

Columba livia, Briss. Orn. I. p. 82. n. 3.

Columba saxatilis, Briss. l. c. p. 84. n. 4.

Columba rupicola, Raji Av. p. 63. n. 11.

Biset et Pigeon de roche, Buff. Ois. II. p. 498. Pl. enl. n. 510. Vers. Germ. Martini VI. p. 155. 158. cum. fig.

Common or Rock-Pigeon, Pen. Brit. Zool. I. p. 290. n. 101. t. 45.

White-rumped Pigeon, Lath. Syn. IV. p. 605. n. 2. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 590. n. 2.


Biset-Pigeon et *Rock Pigeon*, Lath. Syn. l. c. n. 3. var. A. B.

LOCUS.

Habitat in rupium fissuris et præcipitiis.

B. COLUMBA DOMESTICA MANSUETA.

Plurimæ varietates in Svecia, cultæ hospitantur.



ORDO V.

GALLINÆ, *Lath.*

GENUS XXXI.

TETRAO.

Rostrum breve, conico-incurvum, fornicatum.
Macula supra oculos nuda, papillosa.
Pedes plumosi.

DISSECTIO. I.

Pedibus ad digitos tantum plumosis.

CXXXVI. TETRAO UROGALLUS.

DIAGN. Cauda cuneato-rotundata. Axillæ albæ.

Mas nigricans, supra tenuissime albo variegatus. Gula barbata.

Femina supra nigro et ferrugineo transversim undulata; subtus ferruginea postice nigro undulata.

SYNONYMA.

Tetrao Urogallus, Lin. Faun. Sv. p. 72. n. 200. Faun. Retz. p. 207. n. 183. Gmel. Syst. I. p. 746. Lath. Ind. Orn. II. p. 634. n. I.

Urogallus major, Briss. Orn. I. p. 182.

Coq de Bruyere, ou Tetras, Buff. Ois. II. p. 191. t. 5. Pl. enl. 73. 74. Vers. Germ. Martini, V. p. 7. cum 2. fig.

Wood-Grous, Pen. Brit. Zool. I. p. 262. n. 92. tab. 40. 41. Arct. Zool. II. p. 312. A. Lath. Syn. IV. p. 729. I. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 693.

Grosses Waldhuhn, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 1298.

Svecis: Tjäder.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 2. ped. 10. poll. — 3 ped. Alæ extensæ $3\frac{1}{2}$ ped.

Rostrum lutescenti-album, robustum, incurvum. Iris avellana. Nares pennulis nigris tectæ. Pedes usque ad digitos pennis tecti. Digiti marginibus pectinatim ciliati; cum unguibus, griseo-fusci.

Caput et collum nigra, albo tenuissime variegata. Pennæ occipitis longæ. Sub gula fasciculus, barbæ instar, e pennis longis, mollioribus, nigris. Supra oculos macula longitudinalis, nuda, papillosa, carminea. Palpebræ rubro marginatæ. Dorsum et uropygium nigra albo tenuissime variegata et undulata. Pectus nigrum viridi nitens. Abdomen nigrum maculis albis adspersum. Crissum pennis longis nigris apice albis. Latera Dorso similia. Femora nigra tenui albo undulata apicibus pennarum late albis. Tibiæ pennis pilosis griseo-fuscis albo variegatis dense tectæ. Alæ supra saturate fuscæ et rufo-fuscæ, nigro tenuiter undulatæ, tectricibus majoribus variegatis. Tectrices inferiores et axillæ albæ. In flexura alæ macula alba. *Remiges* saturate fuscæ vel nigricantes *primores* extus albo marginatæ, *secundariæ* margine exteriore albo gri-

seoque maculatæ, apice albæ. Rectrices XVIII. latæ, truncatæ, nigræ punctis rarioribus albis.

Femina multo minor: I ped. 9-10 poll. longa.

Rostrum nigricans. Caput nigrum maculis ferrugineo-luteis. Collum ferrugineo-luteum maculis rotundatis nigris. Dorsum, scapulæ, uropygium, tectrices alarum et caudæ nigro-fusca ferrugineo transversim undulata. Gula ferrugineo-lutea. Pectus ferrugineum maculis interdum hinc inde fuscis. Abdomen ferrugineo-luteum undulis nigris. Crissum ferruginescenti-luteum, nigro undulatum, apicibus pennarum albidis. Remiges primores saturate fuscæ latere exteriore maculis ferrugineis; secundariæ tectricibus concolores. Cauda saturate ferruginea nigro fasciata, alba terminata. Femora et tibiæ ferrugineo-grisea maculis fuscis.

Variet. α. Mas. Dorsum anticum album maculis ferrugineis, fusco tenuissime undulatis; posticum nigrum pennis albis insertis. Abdomen et cauda maculis albis. Tibiæ sordide albæ. Act. Holm. 1807. p. 4.

E *Dalekarlia.* *Mus. Holm.*

Var. β. Mas: Vulgari Minor. Cinereo-canus, capite et collo saturatioribus. Mus. Thunb. *T. Eremita* Wet. Ac. Handl. 1789. p. 179. Ex Lapponia.

Var. γ. Femina: Supra sordide testacea undulis rarioribus albis, subtus testaceo et albido undulata.

Mus. Thunb.

Var. δ. Fem: Tota sordide albida, fuscescenti nebulosa. Mus. Payk. Ex *Enontekis* Lapponiæ.

Hybridas Varietates vide sub *T. Tetrice.*

Obs. Dignoscuntur omnes hujus varietates a varietatibus sequentis Speciei, præsertim caudâ rotundata.

HISTORIA.

In sylvis montuosis, præcipue ubi mixtæ sunt arbores acerosæ et frondosæ, frequens. Mense Aprili coit,

"Gallis ita deletis id quod sæpe fit, ut Gallina vagabunda et æstuans maritales amplexus frustra et anxie desideret, hæc ipsa ecstasi interdum corripitur ut nudis manibus se prehendi capiatur." *Ödm.* Hac anxietate cum *Tetrice* interdum coit, unde nascitur *T. Hybridus.* Interdiu terræ plerumque insidet, noctu in arboribus quiescit. Ova 8 - 12 sordide alba maculis sordide luteis in terra ponunt. Vescitur æstate baccis et insectis, hyeme gemmis, baccis juniperi et foliis pinorum. (Vide Historiam avis fusius expositam in Wet. Ac. Handl. 1787. p. 201.)

CXXXVII. TETRAO TETRIX.

Diagn. Cauda bifurca Rectricibus lateralibus extrorsum curvatis. Macula alarum alba.

Mas: Niger; capite, collo, dorso et uropygio nitore coeruleo splendentibus.

Femina: Caput et collum ferruginea fasciis transversis nigris; Dorsum, uropygium et cauda nigra ferrugineo fasciata.

SYNONYMA.

Tetrao Tetrix, Lin. Faun. Sv. p. 73. n. 202. Retz. Faun. p. 208. n. 184. Gmel. Syst. I. p. 748. Lath. Ind. II. p. 635. n. 3.

Urogallus minor, Briss. Orn. I. p. 186. 2.

Petit Tetrix ou *Coq de bruyères à queue fourchue*, Briss. Ois. II. p. 210. t. 6. Pl. enl. 172. 173. Vers. Germ. Martini V. p. 23. cum 2. fig.

Black Grous, *Blackcock*, Pen. Brit. Zool. I. p. 266. n. 93. t. 42. Arct. Zool. II. p. 314. C. — Lath. Syn.

IV. p. 733. 3. — Sup. p. 213. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 697. n. 3.

Das gabelschwanzige Waldhuhn, Bechst. Nat. Deutschl. 2te Aufl. 3. B. p. 1319.

Svecis: Orre. *Scanis: Mas*. Orrhane. *Femina*, Orhöna.

DESCRIPTIO.

Longit. I. ped. 10 poll. Alæ extensæ 2 ped. 8 poll. Rostrum nigrum, breve, crassum, incurvum. Nares pennis minutis dense tectæ. Iris coerulescens. Supra oculos macula nuda papillosa coccinea. Apertura aurium magna. Pedes ad digitos usque pennis tectæ. Digiti fusci marginibus pectinatim ciliati.

Niger, capite, collo, Dorso et uropygio nitore coeruleo splendentibus. Pennæ scapulares tectricesque alarum minores ferrugineo tenuissime undulatæ, ceteræ tectrices, alarum et caudæ, nigræ. Uropygium albo tenuissime variegatum. Latera crissi albo undulata. Remiges breves, subincurvæ, obscure fuscæ, margine exteriore ferrugineo variegatæ, quinta et sequentes basi albæ, quæ albedo in sequentibus ita augetur ut (cum tectricibus proximis majoribus a basi ad medium albis) maculam magnam albam formet. Remiges interiores, cum suis tectricibus, apice albo marginatæ. Tectrices alarum inferiores albæ. Cauda bifurca rectricibus XVIII nigris, exterioribus tribus utrinque extrorsum curvatis, ceteris brevioribus, albo tenuiter marginatis. Tectrices caudæ inferiores longæ, albæ. Femora et tibiæ albo-grisea, fusco maculata.

Femina minor, I ped. 7 poll. longa. Cauda minus quam maris bifurca, minusque lateribus extrorsum curvata. Caput et collum ferruginea fasciis transversis nigris. Dorsum, Uropygium et cauda nigra fasciis transversis ferrugineis. Pectus et crissum alba fasciis ferrugineis

et nigris. Abdomen nigro-fuscum fasciis angustis rufescenti-albis. Remiges *primores* obscure griseæ, latere exteriore ferrugineo maculatæ, *interiores* a basi ad medium albæ. Tectrices alarum superiores colore dorsi apicibus hinc inde albis. Tectrices caudæ inferiores longæ, albæ, fasciis rarioribus nigris ferrugineo marginatis. Femora et tibiæ albo-griseæ fasciis angustis fuscis.

VARIETATES TETRICIS.

Variet. α. Mas. Cinereo-fuscescens, crisso et fascia alarum obliqua; albis. *Mus. Payk.* Ex Uplandia.

Variet. β. Femina. Alba, undulis supra rarioribus obsolete-fuscescentibus. Cauda leviter bifurca. Tibiæ pennis sordide albis, obsolete fusco undulatis tectæ. Wet. Acad. Handl. 1785. p. 230. — Mus. Carlss. III. t. 66. *Obs.* In hac figura, Cauda notatur rotundata, quod falsum est. — Prope Hedemora Dalekarliæ interfecta est avis, quæ jam in Mus. Holm. asservatur.

Variet. γ. Mas: Hybridus a Tetrice patre et Urogallina matre:

Magnitudo circiter *Urogalli Feminæ.* Circa 2 ped. longus.

Rostrum coeruleo-nigrum. Supra oculos macula nuda, coccinea, papillosa. Gula barbata (nec tamen tam prolixâ barba, quam in *Urogallo*). Cauda bifurca Rectricibus aliquantum extrorsum curvatis. Tibiæ teguntur pennis pilosis, griseo-fuscis, albo irroratis.

Caput et collum nigra coeruleo-nitentia. Dorsum, Scapulæ et alarum tectrices superiores nigricantia, rufescenti variegata. Abdomen nigrum, maculis hinc inde albis. Axillæ et tectrices alarum inferiores albæ. Remiges fuscæ rachibus albidis, *primores* extus albo et ferrugineo variegatæ, *interiores* a basi ad medium albæ

maculis hinc inde fuscis, medietate exteriore ferrugineo-variegata apicibus albo marginatis. Rectrices XVIII. nigræ, apice albo marginatæ, exceptis duabus lateralibus. Tectrices caudæ superiores ferrugineo-variegatæ apicibus albo marginatis. Tectrices inferiores nigræ, apicibus albis.

OBSERV.

Inter plurima quæ vidi Specimina, vix duo perfecte sibi similia inveni. Omnia vero dignoscuntur a *Tetrice* præsertim gulâ barbatâ; ab *Urogallo* caudâ bifurcâ, ab utroque colore et magnitudine.

SYNONYMA.

Tetrao Hybridus Lin. Faun. Sv. p. 72. Mus. Carls. I. 15. Wett. Ac. Handl. 1744. p. 181.

Tetrao intermedius, Langsdorff, Mem. de l'Acad. Petersb. III. 1811. p. 286.

Tetrao Medius, Meyer, Berlin Magaz. V. Jahrg. p. 337.

Svecis: Rackelhane. *Roslagis!* Roslare.

Variet. δ. Mas. *Hybridus a Tetrice patre et Tetr. subalpino femina:* Magnitudo Tetricis Maris. Rostrum nigrum. Tibiæ pennis sordide albis usque ad ungues tectæ. Cauda bifurca (nec tamen falcata). Caput supra, Cervix et collare circa jugulum nigra maculis et punctis albis et cinereis. Dorsum fuscum albo tenuissime undulatum. Tectrices alarum albæ maculis fuscis albo tenuissime variegatis. Tota avis subtus alba maculis nigris, in jugulo et abdomine fascias transversas fere formantibus. Thunb. Wet. Ac. Handl. 1808. p. 195. Tab. III. E. Wermelandia. Mus. Thunb.

Variet. ε. Mas. *Hybridus a Tetrice patre et Tetr. subalpino femina:*

Magnitudo et habitus *T. Tetricis* maris. Rostrum nigrum, formâ Tetricis. Macula supra oculos coccinea. Cauda bifurca, minus tamen, quam in Tetrice. Pedes ad ungues usque lanâ sordide albâ vestiti. Ungues rectiusculi, lati, subtus concavi. (Pedes itaque *Tetr. subalpini*, sed aliquantum majores).

Color Tetricis, sed collum maculis albis confluentibus. Alæ, pectus et abdomen alba, maculis nigris. Cauda nigra Rectricibus mediis apice albis. Tectrices caudæ inferiores albæ, immaculatæ, superiores nigræ, apice albæ. Mus. Carls. III. t. 61. E. Norrlandia. Mus. Holm.

OBSERV.

Ex his videre licet hanc Speciem, nostro saltem sub coelo, pluribus esse obnoxiam varietatibus, e quibus ultimas tres (γ. δ. et ε.) ornithologis maxime notatu dignas censemus. Ill. Linné et plurimi post illum Ornithologi, varietatem γ. prolem esse hybridam a *Tetrice* et *Urogallina* ortam existimant. Celeberrimi vero viri Meyer et Langsdorff l. l. c. c. hanc avem pro distincta Specie habent; in quo tamen cum his cel. Ornithologis consentire non possum. Rationes omnes, quibus nititur horum virorum opinio, recensere, angustia loci me vetat. Illis tamen paucis respondebo: Hybrida hæc proles existere non potest nisi in regionibus ubi unâ inveniuntur et *Tetrices* et *Urogallinæ*, et ubi *Urogalli* a venatoribus quodammodo deleti sunt *). Si exstant feminæ, nihil contra opinionem meam probant: ex aliis enim avium hybriditatibus uterque nascitur sexus. Si quis de his nuptiis hybridis dubitat, eam ob caussam, quia nulla avis diversæ Speciei urget necessitas coëundi, illum ad ea delegare volo quæ in Actis R. Ac. Sc. Holm. VIII. p. 201 (*Om Tjäderfoglen i dess vilda och tama tillstand*) scripta sunt. Qui vero videt varietates δ et ε (quarum illa in Museo Thunbergiano Upsaliæ,

---

*) *Hæc* caussa est cur in dissitis terris obveniat.

hæc in Museo Reg. Ac. Scient. Holm. adhuc asservantur, quarumque hybrida a *Tetrice* et *Tetr. subalpino* origo, primo adspectu evidens &c.); non diutius dubitare potest de libidine *Tetricis* ad furtivos amores congeneribus instituendos semper paratissima. Vide præterea Acta Soc. Upsal. vol. V. p. 75.

HISTORIA.

In Sylvis præcipue inter betulas et juniperos frequens. Coit Mens. Martio et Aprili, ubi Mas sono gravi et rauco thalami sociam ad nuptias celebrandas appellat. Inter mares libidinosos de feminis sæpe pugna oritur. Nidulatur in terra. Ova 8-12 sordide luteo-alba punctis ferrugineis. Vescitur æstate baccis, insectis et formicarum ovis, hyeme gemmis, amentis et præcipue baccis juniperi.

CXXXVIII. TETRAO BONASIA.

Diagn. Cauda cinerea nigro-variegata, fascia pone apicem album lata nigra, exceptis Rectricibus duabus intermediis. Gula maris nigra, feminæ pallide ferruginea, fusco-maculata.

SYNONYMA.

Tetrao Bonasia, Lin. Faun. Sv. p. 73. n. 204. Retz. Faun. 213. n. 187. Gmel. Syst. I. p. 753. Lath. II. p. 640. n. 14. Briss. Orn. I. p. 191. 3.

Gelinotte, Buff. Ois. II. p. 233. t. 7. Pl. enl. 474. 475. Vers. Germ. Martini p. 62. cum. 2. fig.

Hazel Grous, Arct. Zool. II. p. 317. F. Lath. Syn. IV. p. 744. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 707.

Schwarzkehlige Waldhuhn, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 1338.

Svecis: Hjärpe.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circa I. ped. Rostrum breve, convexum, nigrum. Nares plumis dense tectæ. Iris avellana. Tibiæ fere ad digitos tectæ lana rufescenti. Digiti nudi marginibus pectinatis.

Caput et collum supra cinerea, rufescenti tincta, undulis numerosis fuscis. Supercilia nuda sanguinea. Gula nigra, fascia alba cincta. Pone oculos macula alba. Dorsum et alarum tectrices ferrugineæ maculis albis et nigris. Dorsum posticum et tectrices caudæ cinerea ferrugineo et nigro immixtis. Corpus subtus albidum, pectore undulis confertis, abdomine, maculis majoribus cordatis fuscis. Remiges fuscæ latere exteriore pallide rufo variegatæ. Cauda subrotundata Rectricibus XVI. cinereis nigro-fusco punctatis et variegatis pone apicem album fascia lata nigra, qua caret par intermedium.

Femina: minor; gula non nigra ut in mare, sed pallide ferrugineo-lutea, fusco maculata. Præterea mari subsimilis.

Variet α. Diluta. In omnibus T. Bonasiæ feminæ similis, colore tamen dilutissimo. Sic ubi illa nigra vel fusca, hæc fuscescens, ita ut rudimentum vel fasciæ caudæ conspicuum sit.

Tetr. Canus Mus. Carls. I. t. 16. Lath. Ind. Orn. II. p. 640. Specimen in Mus. Payk. adhuc asservatum vidi.

HISTORIA.

Regionum septentrionaliorum sylvas montuosas incolit. Nidulatur sub frutice. Uva 10-12 pallide ferruginea, fusco maculata. Vescitur Baccis, insectis, arborum gemmis amentisque. Caro omnium sapidissima *).

*) Unde nomen *Bonasia*, quasi *bona assa*.

DISSECTIO II.

Pedibus usque ad ungues, etiam subtus hyeme *lanatis; digitis media æstate nudiusculis.* (Lagopodes. *Svecis* Ripor).

CXXXIX. TETRAO SUBALPINUS*), *mihi.*

DIAGN. Rectrices XIV. nigræ, apice albæ: Remiges omnes albæ. *Hyeme* albus. *Æstate*: Caput et collum fulva s. rufa nigro maculata. Dorsum nigrum, undulis ferrugineis.

SYNONYMA.

Tetrao Lagopus, Lin. Faun. Sv. p. 73. n. 203. Syst. Nat. XII. I. p. 274.

Tetrao, (Rehusak) *Lagopus*, Martin Act. Soc. Physiogr. Lund. p. 150 (Specimen mutilatum) unde.

Tetrao Lapponicus, Gmel. Syst. I. p. 751. n. 25. Lath. Ind. II. p. 640. et.

Tetrao Cachinnans, Retzii Faun. Sv. p. 210 n. 185,

White Grous, Lath. Syn. IV. p. 743. n. II. Pen. Arct. Zool. II. n. 183. Edw. t. 72.

Red grous, Lath. Syn. IV. Vers. Germ. IV. p. 709. n. 13. (Descriptio; mores vero cum sequentis confusi sunt).

Perdrix de Saules, Hearne Voy. Baye Huds. II. p. 260.

Morast-Waldhuhu, Meyer, Vögel Liv. und Esthl. p. 152.

Svecis: Ripa, Snöripa, Skogsripa. *Norvegis:* Skog Rypa, Lie Rypa; Dal Rypa. *Lapponibus:* Rehusak.

---

*) Nomina inepta huius et sequentis Speciei mutare necessarium duxi. Alia mihi quærenti, ea maxime characteristica visa sunt, quæ loca avium natalia indicarent; Sc. Hæc in *Subalpinis*, sequens in *alpinis* locis degit.

DESCRIPTIO.

Mas: Longit. 16. poll. Alæ extensæ 2. ped. 1. poll. Rostr. a fronte $\frac{7}{8}$ poll. A flexura alæ 8 poll. Cauda fere 5 poll. Tibiæ $1\frac{5}{8}$ poll. Digit. med $1\frac{5}{8}$ poll. postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum saturate corneum, robustum, apice incurvo, obtuso. Nares plumis tectæ. Iris saturate fusca. Macula superciliaris nuda coccinea, superne marginata membranâ pectinatim dentata, præsertim tempore pruritus conspicua. Ungues longi, lati, parum curvati, supra convexi. subtus concavi; fusci margine et apice albidi. Cauda æqualis.

A. *Mas occisus d. I. M. Junii.* Caput et collum saturate rufa, maculis parvis nigris, superne confertioribus. Pars colli inferior versus dorsum et pectus undulis nigris et fulvis: Mentum, palpebræ et narium tectrices alba. Dorso albo immixtæ sunt pennæ nigræ ferrugineo undulatæ. Pectus, Abdomen, crissum, pedes lanati, alæque subtus alba. Remiges albæ rachibus extimarum sex fuscis. Tectrices alarum albæ, mediis quibusdam e nigro et rufo variegatis. Rectrices XIV. nigræ, apice et basi albæ; præterea duæ mediæ s. spuriæ, alias obtegentes albæ. Tectrices longæ, rufæ nigro variegatæ. Pedes usque ad ungues plumosæ, albæ, sed digiti subtus nudi.

Femina: Mare aliquantum minor; 15 - $15\frac{1}{2}$ poll. longa. Alæ extensæ 23 poll. v. 2 ped. Macula superciliaris coccinea nuda et membrana ejusdem marginalis dentata, minor quam in Mare. Pedes ut in Mare.

B. *Femina occisa d. I Mens. Junii:* Caput et collum fulvo-ferruginea maculis nigris, præsertim superne confertis, ita ut pileus et cervix fere nigra sint maculis minoribus fulvis adspersa. Dorsum et uropygium nigra striis transversis undulisque fulvo-ferrugineis et

luteis. Pectus, Hypochondria er crissum fulva maculis transversis s. fasciis nigris. Abdomen album. Alæ ut in Mare, Tectricibus tamen pluribus nigris fulvo undulatis. Rectrices XIV. nigræ apice et basi albæ; spuriæ dorso concolores. Pedes ut in Mare.

C. *Mas medio Julio*: Caput, collum et pectus fulvo-ferruginea, gula et genis pallidioribus; vertice et cervice nigro maculatis; pectore striis, punctis et undulis nigris rarius adsperso. Dorsum et Scapulares, Uropygium et tectrices alarum mediæ nigra striis transversis undulisque confertis ferrugineis et (hinc inde) albidis. Tectrices alarum minimæ (juxta marginem sitæ) et remiges albæ. Abdomen album. Crissum et femora rufo tincta. Rectrices XIV. nigræ, rufo tinctæ, apice et basi albæ. Rectrices spuriæ binæ ceteris longiores e nigro et ferrugineo variegatæ. Tectrices caudæ inferiores ferrugineæ maculis nigris, apicibus albis. Tibiæ antice et ortus digitorum superne plumis pilosis sordide albis vestiti; Tibiæ postice et digiti, nudi, superne squamati.

D. *Femina medio Julio:* Similis feminæ sub Litt. B. descriptæ, undulis tamen dilutioribus fere albidis inter fulvas immixtis. Digiti ut in Mare nuper descripto.

E. *Pullus* (d. 16 Julii) *nuper ad volandum aptus:* 7. poll. longus. Supra ex ferrugineo et nigro variegatus, maculis parvis albidis in alarum tectricibus; Remiges cinereo-fuscæ primores extus pallide ferrugineo marginatæ et variegatæ. secundariæ latius et saturatius extus ferrugineo marginatæ. Cauda rotundata Rectricibus XIV. ferrugineis maculis irregularibus, confertis nigris. Pedes usque ad ungues vestiti plumulis pilosis pallide ferruginescentibus.

F. *Pullus* (d. 7. Aug.) 13 poll. longus. Feminæ Litt. B. fere similis, sed remiges 3. 4. 5. fuscæ sunt, extus

ferrugineo variegatæ. Rectrices nigræ brevissimæ (e vaginis erumpentes.) sed Rectrices spuriæ multo longiores, acuminatæ, colore dorsi. Digiti subnudi.

Post medium M. Augustum pedes hujus avis sensim vestiuntur plumis densissimis albis. Ungues albescunt basi tantum fusco. Habitus æstivalis variegatus successive deponitur et hyemalis, albus iuduitur, his fere stadiis: Imo Pectus et Uropygium, tectrices alarum et Rectrices spuriæ in alba mutantur. 2do Caput et collum magis magisque pennis albis ornantur, et ferrugineis privantur. 3tio Dorsum albescit. Tota hæc pennarum mutatio ante finem Mens. Septembris peracta est. Ab hoc tempore et per totam hiemem avis est nivea rostro nigro Rectricibus XIV. nigris apice et basi albis, rachibusque Remigum sex extimarum fuscis exceptis.

HISTORIA.

Inhabitat frequens Scandinaviam Septentrionaliorem a Finnmarkia usque ad 61. latitudinis gradum, citra quem non longe descendit. Tesqua depressa et uliginosa, ubi sunt frutices *Betulæ albæ* et *nanæ*, præsertim amat; in sylvis quoque obvenit. Latera alpium adscendit usque ad terminum sylvaticum (i. e. usque ubi desinit *betula alba)*; nuda alpium juga nunquam visitans. Monogamiam celebrat. Coit mense Majo. Mas ad nuptias celebrandas feminam appellat voce hinniente, quæ cachinnos quodammodo æmulatur. Huic respondet *femina* voce debiliore: *Jack! Jack!* quem feminæ sonum imitantes venatores marem alliciunt. Evolans quoque vel terrefactus hos cachinnos edit Mas, saltem per æstatem. Femina plerumque evolat tacita. Nidulatur in terra inter fruticulos. Ova 10-12 (usque ad 18. nonnunquam inventa, narrabant rustici) lutescenti-alba maculis et punctis nigris irrorata. Pullis educatis plurimæ familiæ sociatæ ab uno in alterum

locum errant. Capitur laqueis, vel necatur globulis. Vescitur baccis, foliis, gemmis, seminibus. Caro sapida.

CXL. TETRAO ALPINUS.

DIAGN. Rectrices XIV, nigræ, apice albæ. Remiges albæ. *Hyeme* albus loris nigris. *Æstate, Mas:* Caput et collum nigricantia. Lora nigra. Dorsum nigricans fulvo et cinereo tenuissime variegatum. *Femina:* nigra fasciis fulvis et albis.

SYNONYMA.

Tetrao Lagopus, varietas alpina, minor, Lin. Faun. Sv. p. 73. n. 203. Syst. Nat. XII. I. p. 274.

Tetrao Lagopus, Fabric. Faun. Groenl. p. 114. n. 80. (exacte descripta) Lath. Ind. II. p. 639. n. 9.

Tetrao rupestris, Lath. Ind. II. p. 640. n. 11. Gmel. Syst. I. p. 751.

Tetrao (Keron) mutus, Montin, Acta Soc. Physiogr. Lund. I. p. 153. (femina est, unde *muta* dicitur).

Ptarmigan Grous, Lath. Syn. vers. Germ. IV. p. 705. n. 10.

Rock Grous, Pen. Arct. Zool. II. n. 184.

Perdrix de roches, Hearne Voy. baye Huds. II. p. 260.

Schneewaldhuhn, Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 163.

Svecis: Fjällripe: *Norvegis:* Fjellrypa, Skare rypa; Fjellskarv; *Lapponibus:* Keron.

DESCRIPTIO.

Mas: Long. 14-14½ poll. Alæ extensæ fere 2. ped. Rostr. a fronte ⅝ poll. A flexura alæ ad apicem 8 poll. Cauda 4½ poll. Tibia 1⅝ poll. Digit. Med. 1⅜ poll.

Rostrum nigrum, minus robustum quam antecedentis, maxilla superiore incurva, versus apicem acuminata, apice ipso truncato. Nares plumis tectæ. Iris fusca. Macula superciliaris nuda coccinea, superne marginata membrana pectinatim dentata, præsertim tempore coitus conspicua. Ungues longi, lati, magis curvati, basi fusci, apice et marginibus pallidis.

Mas die I. M. Junii occisus: Caput et collum nigra; gula palpebraque inferiore albis. Supra basin rostri macula alba s. rufescenti-alba. Pone et infra aures maculis albis. Tempora punctis ferrugineis. Macula de rostro per oculos pure nigra. Vertex et occiput lineis transversis ferrugineis. Dorsum nigricans, ferrugineo et cinereo tenuissime undulatum et irroratum, pennisque albis insertis. Alæ niveæ tectricibus quibusdam dorso contiguis colore dorsi. Raches Remigum sex primorum fuscæ. Pectus, abdomen, crissum, tectrices caudæ inferiores albæ, pennis nigris fulvo s. cinereo variegatis in pectore et hypochondriis insertis. Cauda æqualis. Rectrices XIV. nigræ apice et basi albæ; intermediæ s. spuriæ binæ albæ, ceteræ dorso concolores. Pedes usque ad ungues plumis densis albis vestiti, digitis subtus nudis.

Femina die I. M. Junii occisa. Long. 13-13½ poll. Caput supra nigrum maculis fulvis. Nares plumis albis tectæ. Gula luteo-albida, nigro maculata. Collum, Dorsum, Uropygium, caudæ tectrices, Scapulares et tectrices alarum dorso contiguæ nigra fasciis transversis fulvis er albis; (apice singulæ pennæ albo). Collum inferius, pectus superius, et hypochondria fasciata nigro, fulvo et albo. Abdomen, crissum et inferiores caudæ tectrices albæ. Rectrices ut in Mare.

OBSERV.

Post hoc tempus magis magisque deponit avis pennas albas et induit nigras variegatasque. Mense Julio mutatione pennarum peracta, avis ita picta est ut in Faun. Groenl. l. c. describitur. Digiti hac tempestate nudi sunt. Mense Aug. et Sept. habitu hyemali albo sensim induitur avis, ita ut inveniatur:

Hyeme: Nivea, maculâ nigra a rostro per oculos, præsertim in Mare conspicua; Rectricibus XIV. nigris apice et basi albis; rachibus Remigum sex primarum fuscis.

HISTORIA.

Inhabitat juga alpium Lapponicarum, nunquam, nisi frigore maxime intenso et alpibus nive profunda obrutis, in sylvas, vel in planities descendens. Adscendit vero alpes æstate, usque inter nives. Amat loca petrosa. Quiescit in rupibus s. in nive. Monogamiam celebrat. Coit ante medium M. Junii. Mas thori sociam appellans s. terrefactus evolans, rhondjos sonat, sotertentis hominis s. ranæ temporariæ vocem æmulantes. Vocem feminæ debilis I — ack! I — ack! imitando mas stupidus allicitur, tempore pruritus. Femina plerumque tacite evolat. Nidulatur in terra inter Salices, Empetra &c., Ova 8-10 fulvescenti-alba, maculis confertis nigris. Hyeme avis gregaria est. Caro parvi æstimatur.

OBSERV.

In itinere Norvegico æstate nuper præterlapsa, (1816) instituto, hanc et antecedentem speciem, quarum Historia huc usque minus rite cognita fuit, in Alpibus Scandinavicis observandi occasionem habui. Observationes Cel. Montin, quarum illa ex Specimine mutilato, hæc ex femina factæ sunt, causæ fuerunt plurium errorum in scriptis Ornithologicis.

GENUS. XXXII.

P E R D I X.

Rostrum breve, robustum, maxilla superiore incurvo-fornicata.

Nares margine prominulæ.

Orbita papillosa.

Pedes nudi, plerisque calcarati.

CXLI. PERDIX CINEREA.

DIAGN. Sub oculis macula nuda papillosa. Corpus cinereo, rufo et nigro variegatum. Lineæ longitudinales albidæ in vertice et scapulis. Cauda rufa rectricibus mediis exceptis.

SYNONYMA.

Tetrao Perdix, Lin. Faun. Sv. p. 74. n. 205. Retz. Faun. p. 214. n. 188. Gmel. Syst. I. p. 757.

Perdix cinerea, Lath. Ind. Orn. II. p. 645. n. 9. Briss. I. p. 219.

La Perdrix grise, Buff. Ois. II. p. 401. Pl. enl. 27. (fem.) Vers. Germ. Martini VI. p. 12. cum. fig.

Common Partridge, Pen. Brit. Zool. I. p. 274. n. 96. Arct. Zool. II. p. 319. A. — Lath. Syn. IV. p. 762. 8. Vers. Germ. Bechst. II. p. 721. n. 8.

Gemeines Feldhuhn, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 1361.

Svecis: Rapphöns. *Scanis*: Åkerhöns.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 12. poll. Alæ extensæ..... Rostrum $\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $6\frac{1}{2}$ poll. Cauda $3\frac{2}{8}$; Tibia $1\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{5}{8}$; Digit. post. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum coerulescens in olivaceum tendens. Iris rufo-fusca. Circa oculos postice papillæ rubræ. Nares sqvama tectæ. Pedes griseo - incarnati; Mas calcare brevi instructus. Ungues cornei.

Frons, stria supra oculos ad nucham et gula, rufa. Vertex olivaceo-fuscus lineis longitudinalibus luteo-albis nigro marginatis. Tempora et collum ad medium pectus cinerea undulis tenuissimis nigris. Dorsum et uropygium cinerea rufo immixto undulis tenuissimis nigris, striisque latioribus transversis fuscis. Pennæ scapulares tectricesque alarum rufo-griseæ undulis tenuissimis nigris, striâ ad rachin longitudinali luteo-alba, nigro marginata et maculâ majori rufa in latere interiore singulæ pennæ. Pectus maculâ castanea formam ferri equini referente. Latera pallide cinerea undulis tenuissimis fuscis, fasciisque transversis latis rufis. Medium abdomen album. Crissum rufescenti album. Remiges breves, introrsum curvatæ, fuscæ, fasciis ferrugineo-luteis. Tectrices inferiores albæ. Rectrices XVIII; quarum I - 7. utrinque apice pallido, fusco variegato. Mediæ quatuor et tectrices caudæ superiores, longitudine caudæ, lutescenti fuscoque tenuissime variegatæ fasciis transversis castaneis.

Femina: dignoscitur præcipue tectricibus alarum et scapulis fusco (non rufo) maculatis; macula pectoris castanea; quæ in mare ferrum equinum refert, in femina maculis sparsis concoloribus continetur.

Avis junior: plane caret macula pectoris castanea. Pedes flavescentes.

HISTORIA.

Manens. Habitat gregaria, tempore vero pruritus per paria in campis, agris et fruticetis, agros adjacen-

tibus Scaniæ, Ostrogothiæ, Uplandiæ &c. *). Vescitur Insectis, seminibus, herbis, hyeme vero satis et præsertim baccis juniperi. In terra nidulatur. Ova 12-21 sordide virescenti-grisea, in fossulâ, straminibus pennisque parcius vestitâ, ponunt.

CXLII. PERDIX COTURNIX.

DIAGN. Corpus griseo-ferrugineum maculis nigris, striis longitudinalibus ferrugineo-albidis. Super oculos stria albida, aliaque in medio vertice. Cauda fusca striis transversis, rachibusque ferrugineo-albidis.

SYNONYMA.

Tetrao Coturnix, Lin. Faun. Sv. p. 74. n. 206. Retz. Faun. p. 215. n. 189. Gmel. Syst. I. p. 765. Briss. I. p. 247. n. 14.

Perdix coturnix, Lath. Ind. Orn. II. p. 651. n. 28.

La Caille, Buff. Ois. II. p. 449. t. 16. Pl. enl. 170. Vers. Germ. Martini VI. p. 79. cum fig.

The Quail, Pen. Brit. Zool. I. p. 276. n. 97. Arct. Zool. II. p. 320. B. Lath. Syn. IV. p. 779. n. 24. Sup. p. 222. Vers. Germ. Bechst. IV. p. 735. n. 24.

Das kleine Feldhuhn oder die Wachtel, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 1402.

Svecis: Wacktel.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circa 7. poll. Alæ extensæ 14 poll. Rostr. $\frac{3}{8}$ poll. Cauda $1\frac{1}{2}$ poll. Tibia $1\frac{1}{8}$; Digit. med. 1. poll. Digit. post. $\frac{3}{8}$ poll.

*) Ante aliquot annos in Scania campestri frequentissima erat. Anni vero 1814 gelida et nivosa hyems plurimam partem exstirpabat, ita ut vix solitaria hinc inde jam obveniat. Hanc vero calamitatem in Scania campestri habitantes solæ acceperunt. In Uplandia enim plurimas vidi greges æstate nuper præterlapsa (1815). Inter frutices scilicet, quibus in Scania campestri carebant, victum et contra vim ventorum præsidium obinebant.

Rostrum nigricans. Nares rimæ longitudinales, membrana fornicata inflata tectæ. Iris olivaceo-fusca. Pedes pallide incarnati calcare carent.

Caput supra tegitur pennis nigricantibus ferrugineo late marginatis. A naribus supra oculos ad nucham stria lutea albida, postice latior, alia a fronte per medium verticem. Latera capitis albida rufo maculata. Cervix et dorsum, latera uropygii et tectrices caudæ, maculis nigro-fuscis et ferrugineis, striisque longitudinalibus albidis vel albo-ferrugineis. Uropygium medium nigrum lineis transversis ferrugineis. Gula media nigro-fusca striis castaneis binis cincta, quarum altera ex basi rostri, altera ex auribus descendit. Collum antice et pectus pallide ferruginea, lineola longitudinali albida in singula penna. Abdomen sordide albidum. Crissum et tectrices caudæ inferiores ferrugineo-alba. Latera castanea stria lata longitudinali albida nigro tenuiter marginata in singula penna. Tectrices alarum rufescenti-griseæ; *minores* lineolis longitudinalibus albidis; *majores* striis transversis ferruginescentibus. Remiges griseo-fuscæ, striis transversis ferruginescentibus. Tectrices inferiores ferruginescenti-albæ. Rectrices XIV. deorsum curvatæ fuscæ striis transversis 4. s. 5. rachibusque ferruginescenti-albis.

Femina: Gula albida; Pectore maculis nigricantibus; striis dorsi longitudinalibus pallide ferrugineis.

HISTORIA.

Migratoria avis habitat in agris Scaniæ &c. Inter segetes æstate proditur sono singulari: *Pickvervick-Pickvervick!* Vescitur seminibus, satis, insectis.

Corrigenda:

Pag. 9. Lin. 6. lege: Brit. Zool. II. App. p. 623. Arct. Zool. II. p. 200. n. 92.
— 9. — 19. l. p. 200. n. 93.
— 9. — 28. *adde:* Digiti lutei.
— 10. — 18. lege: Norrlandia.
— 27. — 29. *et* lege: ex.
— 28. — 28. lege: Musvag.
— 28. — 28. I. p. 88. *ad antecedentem lineam pertinet.*
— 31. — 3. leg. varietatem C.
— 32. — 8. *supra* deleatur.
— 62. Synonymis adde: *Strix Stridula*, Tengm. vet. Ac. H. 1783. p. 47.
— 63. — 15. lege: cui.
— 70. — 20. l. Nosten.
— 85. — 3. l. dimigrant.
— 90. — 10. l. *Caryocatactes guttatus.*
— 94. — *post descriptionem Maris*, adde: *Femina* virescens ubi Mas fulvus, et fusca ubi ille niger.
— 118. — 12. l. Anatomica.
— 155. — 7. leg. Cel. *Meyer* descripsit avem, quæ ni fallor &c.
— 177. — 26. l. At vero.
— 203. — 27. *) *deleatur;* Nota enim infra posita, ad antecedentem paginam pertinet.
— 219. — 8. "Cauda rotundata", *deleatur.*
— 247. — 30 lege: gramina.
— 256. — 8. l. Sänglärka.
— 282. — 30. lege: frigus.
— 300. — 25. l. Buff.
— 312 — 25. l. quarum 1-7. rufæ.

Cetera errata leviora ipse corrigat B. Lector.

Typis *H. F.* Popp.

ORNITHOLOGIA

SVECICA.

AUCTORE

SV. NILSSON,

PHILOSOPHIÆ DOCTORE,

IN ACAD. LUNDENSI ADJUNCTO ET MUSEI RER. NATURAL.
PRÆFECTO; SOCIET. PHYSIOGR. LUND MEMBRO;
SOCIETATUM NAT. SCRUTATORUM WETTERAV.
ET MARPURG. CORRESPOND.

PARS POSTERIOR.

CUM II TABULIS ÆNEIS PICTIS.

HAVNIÆ, MDCCCXXI.

APUD *J. H. SCHUBOTHIUM*, AULÆ REGIÆ BIBLIOPOLAM.

VIRO EXCELLENTISSIMO, GENEROSISSIMO,

JOH. GABR. COMITI DE

TROLLE WACHTMEISTER,

E REGNI PROCERIBUS UNI, A. H. REGIS REGNI-

QUE SVECIÆ JUSTITIÆ CANCELLARIO,

REGII ORDINIS DE STELLA POLARI

COMMENDATORI.

Cum in secunda quoque hujus operis parte elaboranda neque Tuis cohortationibus nec consiliis nobis defuisti, Vir Excellentissime! blanda illa spe ducimur, fore, ut æquo animo mentem interpreteris, quod hanc etiam partem, omni, qua par est, devotione, in tesseram grati animi Tibi dedicemus.

Permansurus, dum vixero,
Excellentissimi Tui nominis

cultor devotissimus

Sv. Nilsson.

PRÆFATIO.

Tandem, benevole Lector! ultimum Tibi *Ornithologiæ Svecicæ* Fasciculum, quique totius operis complexum claudit, tradimus, non quale voluimus, sed quantum pro virili in hac nostra rerum ratione præstare potuimus. Neque id fausti nobis atque multis Naturæ scrutatoribus contigit, ut quidquid ex ipsa Natura hausimus, id novissimis optimisque libris et elegantissimis iconibus comparare possemus.

Qui enim degit literasque iis in terris sequitur, ubi omne literarum genus resque libraria floret, haud facile animo concipiet, quibus quantisque impedimentis ille literarum cultor

in iis locis prematur, ubi penuria bibliothecarum et commercii literarii æquo passu illi obstent.

Diutius mihi omnino ignoti fuerunt et novissimi et probatissimæ notæ Scriptores Ornithologici; neque enim longiori tempore alii mihi suppeditarunt Auctores, cum quibus ipsam Naturam conferrem, præter Linnæum, Pennantium et denique Bechsteinium, et quædam pauca aliorum scripta. Hinc plura pro novis habui, quæ meliora edoctus, jam aliis cognita accepi; hinc Naturæ arcana ea diligentia detegere non potui, qua, ducibus optimæ notæ Auctoribus, fieri potuisset.

Qui igitur melius de hoc nostro instituto sentire voluerit, ille haud fastigium disciplinæ suspiciet, quo proximis abhinc annis in Germania, Hollandia, Gallia &c. Ornithologia pervenit; (quod, quamvis magnificum, in usum vertere non potui, quippe incognitum) sed omnia ad scientiæ statum, qualis mihi scribenti in Svecia obvenit, referre debet.

Hæc etiam comparatio facta fuit; neque est quod diffitear, me plurima honesto illi Critico (et nomine mihi incognito) debere, qui non minus humaniter quam modeste priorem Operis partem in *Annalibus Heidelbergensium* (anno 1818. Mens. Junio. pag. 620 et sequ.) recensuit. — Persuasum mihi est, et istum, et alios integros judices facile esse reperturos, partem quoque alteram (si difficultatem rei memineris), non minori cura, sed majori sane experientia, esse elaboratam. Nam per quinquennium illud, quod, absoluta jam priori operis parte, effluxit, nihil neque operæ neque sumtus omisi, ut eam cognitionem perciperem, quæ ad opus augendum quodammodo faceret. Copiam plurium Auctorum nobis paravimus, qui in priori parte conscribenda nos effugerunt; Musea plurima Patriæ ornithologica, et majora et minora, revisimus; insuper plurimis australis Sveciæ provinciis peragratis, anno 1816, regiones peninsulæ Scandinavicæ arcticas, præsertim maritimas, visi-

tavimus, ut aves boreales, suo quamque in domicilio cognosceremus.

Quod de avibus terrestribus in hoc itinere notavimus, priori parti inserere ideo non licuit, quia, nobis redeuntibus, sub prelo jam desudaverat. Nam non nisi plagulam, quæ *Lagopos* pertractat iterum imprimendam curavi, quia peropportune mihi accidit, ut per omnem æstatem has avium species, hucusque parum aut confuse cognitas, in jugis Septentrionalium sylvisque pernoscerem. Nonnullas alias, quas in aves terrestres redintegravimus observationes, in supplementum partis posterioris retulimus; in qua etiam parte, in usum nostrum ea convertimus, quæ in hoc itinere de avibus aquaticis animadvertimus.

Quam operis rationem a principio nobis proposuimus, eam assidue persecuti fuimus. Ipsum enim instituti consilium hoc fuit, ut descriptionibus absolutis et Naturæ convenienter factis, eas avium *species*, quæ in Svecia degunt, definiremus, atque ut certis synony-

mis eas determinaremus aves, quas Linné ceterique Patriæ Ornithologi descripserunt. Quod nos etiam adsecutos fuisse speramus.

Quod ad species Linneanas determinandas adtinet, eosdem quoque fontes perscrutati fuimus, ex quibus Linné cognitionem hausit plurimarum avium, quarum in Fauna Svecica meminit. Nam si breves istas Linnæi descriptiones tantummodo consulueris, haud facile unaquæque avium species dignoscetur, quod longe aliter est in fontibus, quos laudavimus; hi vero sunt *Rudbeckii aves pictæ* et *Lechei opus manuscriptum.* Illæ constant figuris avium, vivo colore depictis et plerumque naturali magnitudine et præstanti arte, ut facile dignosci possint. His igitur ducibus figuris, quæ a Linnæo sæpius citantur, haud raro facilius est videre, quamnam avem ille intellectam voluerit, quam ex ipsis illius descriptionibus. In hoc ipsum Rudbeckii opus Indicem cum commentariis criticis contexuimus,

Actis Acad. Scient. Holmiens. 1816. p. 21 & 1817. p. 128. insertis.

Mauuscripta vero Lechiana multum lucis Faunæ Linneanæ sæpius adcommodant. Leche enim, qui eodem cum Linnæo tempore vixit, Ornithologiæ studium, auspice natura, sectabatur. Plura quoque Linnæo subsidia in Faunam ejus adtulit, quæ tamen hic iste, amicus brevitatis studiosissimus, nonnunquam ita amputabat, ut ægrius dignoscantur.

Exemplaria etiam descriptionum et iconum ex plurimis avibus, quas ceteri nostrates reliquerunt, videre mihi licuit in Museis nostris adhuc servata.

Lucubrationes antecessorum ita adhibuimus, ut suum cuique tribueremus; quos vero errores offendimus, eos ingenue et uti literatum decet, sine ira et studio adnotavimus.

Sed nisi plures mihi Fautores adfuissent, hic liber ne illa quidem rerum copia et perfectione, qua nunc gaudet, prodiret; in quibus primum sibi locum vindicat Vir ille Excel-

lentissimus, idemque Naturæ scrutator sagacissimus, cui opus nostrum devotissime dedicavimus.

Quod vero maximis in Patria Museis uti mihi contigit, præter alios acceptum debeo Illustrissimo G. à PAYKULL, Libero Baroni, Aulæ Mareschallo et Equiti aurato; C. P. THUNBERG, Professori Upsaliensi et Commendatori fulgentissimo, et beatæ memoriæ O. SWARZ, Professori Holmiensi et Equiti aurato, qui singuli, pro liberalitate illa, qua hujus seculi vere literatos literarumque patronos dignosces, aditum ad suas in hac disciplina collectiones mihi libenter fecerunt, quo uno loco congesta ea exemplaria comparare potuimus, quæ in Natura non nisi separata deprehenderis.

Initio equidem historiam succinctam de fatis studii ornithologici in Svecia scribere constitui; re vero accuratius pensitata, mihi persuasum est, hoc modo magnitudinem libri, in nullum ipsius disciplinæ commodum, auc-

tum iri. Pauci omnino in Svecia fuerunt, qui studio ornithologico ex Natura hauriendo *unice* incumberent; sed plurimi non nisi horas Botanicæ vel Entomologiæ surreptas huic nostræ scientiæ consecrarunt. Hinc plus justo aucta nominum congeries et synonymorum confusio necesse oriretur. Quare speravimus fore, ut nostræ cujuslibet avium speciei descriptiones, quantum fieri potuit exactæ et absolutæ, non modo non superfluæ, sed potius in id conferre videantur, ut nova avium Svecicarum nomina fingendi libido quodammodo retineatur; quod si factum fuerit, neque nos frustra operam consumsisse putabimus.

Scribebam in Museo Academico Lundensi, die 6to *Decembris* 1820.

ORNITHOLOGIA

SVECICA.

PARTIS POSTERIORIS

FASCICULUS PRIOR.

Typis HARTV. FRIDR. POPP.

AVES SVECIÆ

DIV. II. AQUATICÆ.

ORDO. GRALLIPEDES

SUBORDO I. CURSORES. (TRIDACTYLI).

SECTIO I.

DIGITIS MEMBRANA AD BASIN JUNCTIS.

GENUS. OTIS.

Rostrum breve, rectum, subconicum, compressum, maxilla superiore fornicata, apice subinflexo.

Nares ovatæ, prope se invicem sitæ.

Pedes tridactyli, longi, femoribus inferne nudis; *digitis* juxta basin membrana junctis.

CXLIII. OTIS TARDA, *Lin.*

DIAGN: Corpus supra ferrugineum fasciis et undulis nigris. Collum antice cinereum. *Mas:* mandibula inferiori utrinque mystacibus pennatis ornata.

SYNONYMA.

Otis tarda, Retz. Fn. Sv. p. 203. n. 178. Lin. Syst. I. p. 264. n. I. Gmel. Syst. I. p. 722. Lath. Ind. II. p. 658. n. I. Briss. orn. V. p. 18. n. I.

Outarde, Buff. Ois. II. p. I t. I. vers. Germ. Martini IV. p. 5. cum fig. Pl. enl. 245 (mas).

Great Bustard, Pen. Brit. Zool. I. n. 98. t. 44. Arct. Zool. II. p. 321. id. Sup. p. 63. Lath. Syn. IV. p. 796. vers. Germ. IV. p. 751. n. I.

Der grosse Trappe, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 3. B. p. 1432. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 168.

Svecis: Trapp, Stortrapp.

DESCRIPTIO.

Inter maximas Sveciæ aves; major Gallopavone. *Mas* circa $3\frac{1}{2}$ pedes long. et alæ ejus extensæ 6. ped.

Rostrum griseo-fuscum. Iris aurantia. Sub lingua *foramen* in saccum gularem pro aqua ducens *). Pedes sordide grisei. *Mas* ad latera maxillæ inferioris utrinque *mystaces* pennaceas, longas (circa 5 pollicares), cinereo-albas gerit, quibus *Femina* caret.

Caput, collum et pectus pallide cinerea. Dorsum ferrugineum fasciis confertis nigris. Scapulares et tectrices alarum minores ferrugineo-luteæ, undulis nigris. Abdomen, crissum et tectrices alarum majores albæ. Remiges primores nigræ, mediæ albæ, intimæ colore dorsi. Rectrices XX. ferrugineæ, fasciis maculisque nigris, et apicibus luteo-albis. Plumæ omnes et apices Scaporum pulcherrime rosei.

*) Hunc Saccum descriptum et delineatum invenies in Schrift. der Berl. Gesellsch. Naturforsch. Fr. III. p. 376. t. 8. f. 7. a

Femina minor, mystacibus destituta. Gula et latera capitis brunnea, collum antice cinereum. Vertex et Cervix dorso concolores; coloribus minus quam in Mare vividis.

HISTORIA.

Avis rarior, migratoria, ad nos redit mense Aprili. In campis Scaniæ arenosis et tesquis depressis æstatem degit, et per paria obvenit. Ova 2-3. pallide olivacea maculis fuscis ornata, in cavitate humi fovet. Finita æstate per familias abit. Valde timida est. Canibus Grajis interdum deprehenditur, cum propter molem corporis et brevitatem alarum non nisi prævio cursu in aërem se levare possit. Vescitur granis, oleribus, Insectis et Lumbricis. Caro, præsertim juniorum, sapida.

CXLIV. OTIS TETRAX, *Linn.*

DIAGN: Corpus supra e ferrugineo et nigro variegatum; Capite colloque lævi. *Mas:* collum nigrum torque duplici, albo; *Femina:* collum colore dorsi, torque destitutum.

SYNONYMA.

Otis Tetrax, Lin. Fn. Sv. p. 70. n. 196. Retz. Fn. p. 204. n. 179. Lin. Syst. Nat. I. p. 264. n. 3. Gmel. Syst. nat. I. p. 723. Lath. Ind. II. p. 659. n. 3.

Otis minor, Briss. Orn. V. p. 24. 2. t. 2. f. 1. 2.

Petite Outarde, Buff. Ois. II. p. 40. Pl. enl. t. 25. (mas.) 10. (fem.) Vers. Germ. Martini IV. p. 48. f. 80. 81.

Little Bustard, Pen. Br. Zool. I. n. 99. Arct. Zool. II. p. 321. A. Lath. Syn. IV. p. 759. id. Sup. I. p. 226. vers. Germ. IV. p. 703.

Der Kleine Trappe, Bechst. N. D. 2te Aufl. 3. B. p. 1446. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 169.

Svecis: Småtrapp.

DESCRIPTIO.

Magnitudo fere Tetraonis Tetricis; *mas* 18. poll. long. Rostr. 1. poll. A flexura alæ ad apicem 12 poll. Tibia $2\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{1}{2}$ poll. Cauda 4. poll.

Rostrum griseo-fuscum, gallinaceum, maxilla superiore subfornicata, marginibus inflexis. Nares ovatæ in dorso rostri sitæ. Pedes lutescenti-grisei. Caput et collum lævia.

Caput supra nigrum striis ferrugineis. Tempora, genæ et gula rufescenti-alba maculis minutis nigris. Collum nigrum torque albo, duplici, antice decurrente. Dorsum, Scapulares et tectrices alarum ex nigro et ferrugineo transversim variegata et undulata. Corpus subtus marginesque alarum alba. Remiges primores apice nigræ, basi albæ; secundariæ albæ; intimæ dorso concolores. Rectrices XVIII, quarum mediæ quattuor ferrugineæ, ceteræ albæ, omnes irregulariter nigro fasciatæ.

Mas junior: Seniori similis, præter collum, quod in hoc ferruginescens striis nigricantibus.

Femina: minor: 15 poll. longa; Collum colore dorsi, torque albo destitutum. Pectus superius et latera ejusdem ferrugineo-albida maculis transversis nigris. Gula et jugulum albida immaculata. Dorsum tenuius quam inMare variegatum. Præterea mari fere concolor.

HISTORIA.

Inter rarissimas patriæ aves. Habitat in arvis campisque sterilibus et lapidosis. Prope Ystad Scaniæ quotannis obvenit, seque ibidem propagat. Inter aves Fennicas quoque numeratur (Faun. Fenn. p. 27.) Polygamiam amat. In cavitate agri ponit Ova 3-5 nitidiviridia. Vescitur granis, seminibus, insectis, vermibus.

GENUS.

CHARADRIUS.

Rostrum capite brevius, subulatum, tenue, rectum, subteres, pone apicem compresso-incrassatum.

Nares lineares.

Pedes tridactyli, digito exteriori intermedio membrana juxta basin connexo.

Caput crassum fronte elevata.

CXLV. CHARADRIUS APRICARIUS, *Lin.*

Diagn: Supra nigricans maculis fulvis et albidis. Cauda fusca lineis transversis lutescentibus.

SYNONYMA.

Charadrius campestris, Nilss. Anal. Orn. Lund 1814. p. 31. n. 18.

— *auratus*, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4. B. I Abth. p. 395. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 173.

Avis habitu æstivali:

Charadrius apricarius, Lin. Fn. Sv. p. 67. n. 189. Lin. Syst. Nat. I. p. 254. n. 6. Retz. Fn. p. 194. n. 167. Lath. Ind. Orn. II. p. 742. n. 5. Gmel. Syst. I. p. 687. Fabr. Fn. Groenl. n. 79.

Pluvialis aurea freti Hudsonis, Briss. Orn. V. p. 51. 4.

Le Pluvier doré à gorge noire, Buff. Ois. VIII. p. 85. vers. Germ. Otto XXVIII. p. 90-94.

Spatted Plower, Edw. III. t. 140.

Alwargrim Plover, Pen. Arct. Zool. II. n. 398. id. Sup. p. 69. Lath. Syn. V. p. 198. 5. vers. Germ. V. p. 172.

Avis habitu autumnali:

Charadrius pluvialis, Lin. Fn. Sv. p. 68. n. 190. Syst. nat. I. p. 254. n. 7. Retzii Fn. Sv. p. 195. n. 168. Gmel. Syst. I. p. 688. Briss. Orn. V. p. 43. I. t. 4. f. I. Lath. Ind. II. p. 740.

Pluvialis aurea minor, Briss. Orn. V. p. 47. n. 2.

Pluvier doré, Buff. Ois. VIII. p. 81. Pl. enl. 904. vers. Germ. Otto XXVIII. p. 75.

Golden or green Plover, Pen. Br. Zool. II. p. 474. n. 208. t. 72. — Arct. Zool. II. n. 399. Lath. Syn. V. p. 193. I. vers. Germ. V. p. 167.

Scanis: Ljungwipa, Brockfogel; *Hallandis:* Lyngspole; *Smolandis:* Ljungspole, Myrpytta; *Oelandis:* Alwargrim. *Dalekarlis:* Åkerhöns. *Lappis:* Hutti.

DESCRIPTIO.

Longit. 11-11½ poll. Alæ extensæ 2 ped. A flexura alæ ad apicem 7½ poll. Tibiæ 1⅝ poll. Digit. med. 1⅝ poll.

Rostrum postice subteres, nigro-fuscum, antice nigrum, compressum marginibus inflexis; pone apicem superne et subtus aliquantum crassius. Nares lineares. Oculi magni, prominentes, nigri Iridibus

fuscis. Pedes fusco-cinerei, digito postico semper destituti *).

Avis habitu æstivali:

Vertex, cervix, dorsum et Scapulares nigro-fusca vel nigra, maculis fulvis vel aurantiis et albidis pulcherrime adspersa. Tectrices alarum fuscæ maculis dilutioribus (luteo-albidis). Frons alba dimittit fasciam albam utrinque supra oculos ad latera cervicis, juguli et pectoris. In pectore superiore fere concurrit, iterumque in hypochondriis discurrit. Quas includit partes, basis rostri, genæ, jugulum, pectus, abdomen et crissum, nigra sunt, pennis pluribus vel paucioribus albis (in abdomine et crisso) insertis. Gula interdum albo, et genæ luteo immixtæ. Remiges nigro-fuscæ basi albæ; primores acuminatæ latere interiore ad medium albæ, rachibus a medio versus apicem albis; secundariæ obtusiores, apice albidæ; intimæ 3-4. longæ, colore dorsi. Tectrices proximæ Remigum primorum nigricantes apice albæ. Tectrices inferiores albæ, ad basin alæ fusco nebulosæ. Rectrices nigro-fuscæ, lineis transversis octo ad raches interruptis, fulvis, in lateralibus, albidis.

Femina: Mari similis, coloribus tamen minus vividis. Scil. Fascia alba, quæ a fronte ad latera colli et pectoris decurrit sordidior, nec tam splendide alba. Collum antice, et corpus subtus plures habet pennas albas immixtas.

Avis habitu autumnali:

Supra nigro-fusca maculis luteis vel aurantiis pulcherrime adspersa. Facies sordide alba, maculis mi-

*) Qui Ornithologi docuerunt hanc speciem ungue postico brevi interdum esse instructam; avem, ni fallor, cum *Vanello melanogastro*, cui simillima est, confuderunt.

minutissimis fuscis. Latera capitis et colli lutea, fusco nebulosa. Gula alba. Jugulum et superior pars pectoris dilute griseo-fusca, luteo immixto. Reliquum pectus, abdomen et crissum alba. In ceteris prius descriptæ similis.

OBSERVATIO.

Charadrium Apricarium et *pluvialem* Lin. unam eandemque constituere speciem, inter omnes jam constat. Ut argumentum ulterius, si necessarium judicaretur, adferre possum, me examinasse *iconem Rudbeckianam*, quam in Fauna Sv. citavit Linné; hanc vero iconem, æque ac figuram Edwardii allatam, avem nostram pennis æstivalibus indutam perfecte referre. Oelandorum *Alvargrim* eadem est avis. Mutatio autem colorum his fere stadiis peragitur: Mensibus Junii et Julii cum per paria juxta nidos vel pullos obveniunt aves, nigredo inferiorum corporis partium maxime explicata est. Ab hoc tempore deplumantur aves et sensim hiemalem induunt colorem, ita ut singulæ seniores junioresque, quæ ad mens. Septemb. et initium m. Octobris remanentes occurrunt, sibi similes sint et *Char. pluvialem* Auctor. referant. Hyeme oras nostras relinquunt. Primo vere redeuntes, nigredine juguli, pectoris et abdominis minus explicata ornatæ sunt; imo vero occurrunt (præsertim feminæ) quæ hoc anni tempore, omni nigrédine in partibus allatis carere videantur. At qui pennas pectoris et abdominis sejungit, videbit novas pennas vel niveas vel nigras e vaginis erumpentes, re vera adesse, quamvis in adspectum nondum pervenissent. Hæ autem pennæ, hiemali veste sensim posita, magis magisque explicantur, avemque incubationis tempore, ut supra dixi, præsertim ornant.

HISTORIA.

Migratoria avis jam in medio Mens. Aprilis redux regiones nostras visitat. Passim frequens. Æstate totam incolit Scandinaviam, non minus ericeta et tesqua Scaniæ, quam alpes Lapponiæ, in quibus usque supra terminum vegetationis arboreæ frequens per paria obve-

nit et voce sibilante et sonora *Hyyt!* vel e longinquo se prodit. vescitur insectis et vermiculis. Nidulatur supra terram. Ova 3-5. olivacea, nigro maculata. Pullos volatui aptos jam medio Julio inveni. Ab hoc usque tempore dimigrationes versus terras australiores instituuntur. Post medium m. Augustum, et toto Septembri innumeris fere gregibus sociatæ in campis et agris Scaniæ occurrunt. Sensim abeunt. Manent nonnullæ ad frigus usque rigidum. Terra vero nive obruta, hæ quoque oris nostris valedicunt.

CXLVI. CHARADRIUS MORINELLUS, *Lin.*

DIAGN: Supra griseo-fuscus marginibus pennarum ferrugineis; pileus nigricans fascia alba cinctus; pectus ferrugineum fascia transversa alba.

SYNONYMA.

Charadrius Morinellus, Lin. Fn. Sv. p. 67. n. 188. id. edit. prim. 160. (junior). Retz. Fn. 194. n. 166. Gmel. Syst. I. p. 686. n. 5. Lath. Ind. II. p. 746. n. 17. Briss. Orn. V. p. 54. 5. t. 4. f. 2.
— *tataricus*, Pall. Reis. II. p. 715. n. 32.
— *Sibiricus*, Lepechin Reis. II. p. 185. t. 6.
Petit Pluvier ou Guignard, Buff. Ois. VIII. p. 87. Pl. enl. 832. vers. Germ. Otto XXVIII. p. 101. &c. cum fig.
Dottrel, Pen. Br. Zool. II. p. 477. n. 210. Lath. Syn. V. p. 208. vers. Germ. V. p. 182. n. 14.
Der dumme Regenpfeifer, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4. B. 1. Abth. p. 406.
Svecis: Pomeransfogel.

DESCRIPTIO.

Femina senior habitu vernali: Long. 10 poll. Alæ extensæ 19½ poll. Rostr. ⅝ poll. A flexura alæ ad apicem 6 poll. Cauda 2½ poll. Tibia 1½; Digit. med. 1 poll.

Rostrum teretiusculum, nigrum, apice acuto. Nares lineares. Oculi magni iridibus fuscis. Pedes olivacei. Digitus medius exteriori ad primam articulationem membrana junctus.

Caput supra nigricans maculis minutis et striis griseis in anteriore ejus parte adspersis. Fascia pure alba supra oculos utrinque ad nucham ducta. Lora nigricantia. Latera capitis infra oculos et gula alba. Corpus et alæ supra griseo-fusca, pennis scapularibus et alarum tectricibus ferrugineo marginatis. Collum antice saturate cinereum terminatur fascia pectorali transversa alba, nigricante superne marginata. Pectus et Hypochondria saturate ferruginea. Abdomen nigrum, postice et crissum femoraque alba. Remiges griseo-fuscæ, margine interiore a basi pallide cinereæ; prima rachis alba, qui color extra rachin longitudinaliter parum extenditur. Intimæ tres longitudine fere primæ, colore dorsi. Rectrices fusco-cinereæ, versus apicem nigricantes, albo terminatæ; exteriores quoque margine exteriore albæ. Tectrices alarum inferiores albæ.

Mas habitu vernali: Long. 9½ poll. Caput supra nigricans marginibus pennarum ferrugineis. Fascia alba supra oculos ad nucham ducta, postice latior. Latera capitis infra oculos et gula albida striis fuscis minutis adspersa. Corpus et alæ supra griseo-fusca marginibus pennarum ferrugineis. Collum antice sordide fusco-cinereum, undulis obsoletis rufis. Fascia su-

pra pectus obsoleta albida, nigro superne marginata. Pectus et hypochondria ferruginea albo immixto. Abdomen medium nigrum, maculis albis. Cet. ut in anteced.

Junior avis: Caput et dorsum supra nigricantia marginibus pallide rufis. Frons sordide albida maculis minutis fuscis: Fascia supra oculos et latera colli sordide rufescentia. Gula albida. Jugulum sordide cinereum rufescente tinctum. Fascia transversa dilutior in pectore vix conspicua. Pectus dilute ferrugineum. Abdomen album. Crissum albo-rufescens.

Senior avis habitu autumnali: Caput supra nigricans marginibus pennarum rufescentibus. Dorsum tegitur pennis partim fuscis marginibus subferrugineis, partim griseis marginibus pallidioribus. Facies albicans maculis minutis fuscis. Supra oculos versus nucham fascia sordide alba; infra hanc et pone oculum macula fusca. Gula alba. Jugulum cinereum fusco et rufescenti immixto. Ad basin sterni fascia transversa albida, nigro abrupte marginata. Pone hanc fasciam pectus est magis ferrugineum. Abdomen medium nigrum, pennis albis insertis. Crissum et tectrices caudæ inferiores albo-rufescentia.

OBSERVATIO.

Hæc Species cum aliis quibusdam ex ordine Grallipedum id commune habet, quod sexus femininus major sit et magis coloratus quam masculinus. Hoc non observarunt ornithologi, quare Feminam pro Mare, et vice versa, descripserunt.

HISTORIA.

Septemtrionales alpes æstate incolens, Gothiam verno et autumnali tempore transmigrat. Mensibus Aprili et Majo in arvis et campis Scaniæ per familias,

rarius tamen, occurrit; inter initia mens. Junii in tesquis alpinis Dovrefjeld, supra terminum vegetationis arboreæ avem per paria observavi. Propagandi modus et oeconomia æstivalis nondum satis nota sunt. — Redux m. Augusto et Septembri, Scaniam iterum visitat aut sola aut cum *Char. apricario* associata.

CXLVII. CHARADRIUS HIATICULA, *Lin.*

DIAGN: Supra fusco-griseus, linea alarum obliqua, Frons, collare et corpus subtus alba. Fascia nigra, antice latior collum inferius cingens. Remiges plurimæ in medio longitudinaliter albæ. Rostrum aurantium, apice nigro. Pedes lutei.

SYNONYMA.

Charadrius s. Hiaticula flavipes, Rudb. av. pictæ fol. 188.

Charadrius Hiaticula, Lin. Fn. Sv. p. 66. n. 187. Retz. Fn. Sv. p. 193. n. 165. Lin. Syst. I. p. 743. n. 8. Gmel. Syst. I. p. 683. Lath. Ind. II. 743. n. 8.

Le Pluvier à collier, Buff. Ois. VIII. p. 60. t. 6. Pl. enl. 920. vers. Germ. Otto. XVIII. p. 117. et 129. cum fig.

The ringed Plower, Pen. Br. Zool. II. p. 479. n. 211. Arct. Zool. II. p. 485. n. 401. Lath. Syn. V. p. 201. n. 8. vers. Germ. V. p. 176.

Der buntschnäblige Regenpfeifer, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 4 B. I. Abth. p. 414.

Halsband - Regenpfeifer, Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 175.

Svecis: Strandpipare; *Scanis:* Sandrulling; ad *Skanör:* Gryll.

DESCRIPTIO.

Long. $7\frac{1}{2}$ poll. Alæ extensæ $16\frac{2}{8}$; A flexura alæ ad apicem $5\frac{2}{8}$; Rostr. $\frac{5}{8}$; Caudæ $2\frac{1}{2}$ poll. Tibia $1\frac{1}{8}$; Digit. med. $\frac{7}{8}$ poll.

Rostrum basi latius, ultra medium aurantium apice nigrum. Margo palpebrarum aurantius. Iris fusca. Cauda subrotundata cum alis æqualiter extenditur. Pedes lutei. Digitus med. basi adnexus extimo membranâ ad primam articulationem.

Supra basin rostri fascia inter oculos nivea; supra hanc fascia latior nigra. A basi rostri infra oculos ad tempora fascia nigra postice latior. Pone oculos macula alba. Gula et superior juguli pars nivea fasciam concolorem, postice angustiorem circa collum dimittit. Infra hanc fascia nigra, antice pollicaris, postice multo angustior, collum cingit. Præterea tota avis subtus nivea. Vertex, occiput, dorsum et superiores tectrices fusco-grisea. Remiges nigro fuscæ, latere interiore a basi albidæ; primores 1-4. rachi media alba; sequentes in medio juxta rachis latus exterius maculâ longitudinali alba, quæ albedo ita in sequentibus augetur, ut 19. 20. 21. plane sint albæ. Intimæ tres longitudine tertiæ, colore dorsi. Tectrices proximæ remigum primorum nigricantes; remigum secund. fuscæ, apicibus albis, unde linea obliqua alba in ala complicata oritur. Rectrices extimæ, albæ, interiore latere (interdum) macula fusca notatæ; 2. 2-3 3. griseæ, versus apicem nigricantes, apice et margine exteriore albæ; 4. 4-5. 5. basi griseæ, versus apicem nigricantes apice albæ; 6. 6. immaculatæ extus nigricantes. In *Femina* color niger non tam ater est, sed griseo intermixtus, nec fascia colli nigra tam lata.

HISTORIA.

Migratoria avis post medium mens. Martis litora marina Scaniæ visitat. Per æstatem in litoribus tum Scaniæ tum regionum arcticarum obvenit; frequentius vero in illis. Etiam Lacus frequentat. Celeriter currens sono sibilante *thyk*, *thyk!* se prodit et ab insequenti specie, vel eminus dignoscitur. Mense Aprili se propagat. Ova 4-5. altera extremitate acuminata, pallide lutescentia, punctis et maculis minutis nigris in arena ponit. Mense Octobri litora nostra relinquit, regiones australiores petitura. Caro sapida.

CXLVIII. CHARADRIUS MINOR, *Meyeri.*

DIAGN: Supra fusco-griseus; frons, collare et corpus subtus alba. Fascia nigra antice latior collum inferius cingens. Remiges immaculatæ. Rostrum gracile nigrum; pedes flavescenti-incarnati.

SYNONYMA.

Charadrius fulvipes, Rudbeckii aves pictæ fol. 189 *).

Charadrius minor, Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 176.

— *curonicus*, Beseke Nat. G. der Vögel Curlands p. 66. n. 134. Gmel. Syst. I. p. 692. n. 29. Lath. Ind. II. p. 750.

Charadrius fluviatilis, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4. B. I. Abth. p. 422.

---

*) Erat igitur hæc avis jam Rudbechio nostro ut distincta species cognita.

Le petit pluvier à collier, Buff. Ois. VIII. p. 60. Pl. enl. 921.

Der Alexandrinische Strandpfeifer, Otto in Buff. Vögel XXVIII. p. 134. cum fig.

DESCRIPTIO.

Praecedente, cui valde similis, minor; 6$\frac{1}{2}$ poll. long. Alae extensae 14; a flexura alae ad apicem 4$\frac{1}{4}$; Rostr. $\frac{1}{2}$ poll. Cauda 2$\frac{2}{8}$ poll. Tibiae I. poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum gracile totum nigrum; Iris fusca; margo palpebrarum aurantius. Cauda subrotundata, extra alas parum extenditur. Pedes fuscescenti- vel flavescenti-incarnati. Digit. med. basi adnexus extimo membrana quoad primam articulationem.

Supra basin rostri fascia inter oculos alba; supra hanc fascia nigra. A sinu oris infra oculos ad tempora fascia nigra ducitur. Gula et superior juguli pars nivea fasciam albam postice angustiorem circa collum dimittit. Infra hanc fascia nigra, antice $\frac{6}{8}$ poll. lata, postice angustissima, collum cingit. Praeterea tota avis subtus nivea. Vertex, occiput, dorsum et superiores tectrices cinereo-fusca, vel potius rufescenti-grisea. Remiges primores fuscae, secundariae cinereo-fuscae, margine interiore a basi griseae. Prima tantum rachis alba, ceterae raches pennis concolores. Remiges 18-21. apice solum albidae. Intimae tres, longitudine fere primae, dorso concolores. Tectrices proximae Rem. prim. nigro-fuscae; secundar. fusco-cinereae, vix apice pallidae. Rectrices extimae albae latere interiore macula fusca notatae; 2. 2-3. 3. griseae, versus apicem nigricantes, apice et margine exteriore albae; 4. 4-5. 5. griseae versus apicem nigricantes, apice albae; 6. 6. macula apicis alba destitutae.

Color *Feminæ* niger non tam ater est et nitens, sed griseus intermixtus, et fascia colli nigra angustior. In ceteris mari similis.

HISOTRIA.

Migratoria. Habitat æstate passim in ripis fluviorum et lacuum arenosis, non minus in inferiore quam superiore Svecia. Sono triste subsibilante: *Kirw! Kirw!* eminus quoque a præcedente dignoscitur. Ova 3-5 luteo-alba maculis nigris et fuscis ornata.

CXLIX. CHARADRIUS ALBIFRONS, *Meyeri.*

DIAGN: Supra fusco-griseus. Frons, collare, collum antice et corpus subtus nivea. Rectrices binæ utrinque laterales albæ. Rostrum et pedes nigri.

SYNONYMA.

Charadrius littoralis, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 4. B. I. Abth. p. 430.

— *alexandrinus*, Brün. orn. bor. app. p. 77.

DESCRIPTIO.

Longit. circiter 7 poll. A flexura alæ ad apicem $4\frac{3}{8}$ poll. Cauda fere 2 poll. Rostr. $\frac{5}{8}$ poll. Tibia $1\frac{1}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum nigrum. Iris fusca. Palpebrarum margo luteus. Pedes coerulescenti-nigri.

Caput, Collum, dorsum et alarum tectrices fusco-grisea marginibus pennarum obsolete rufescentibus.

Frons alba demittit fasciam albam utrinque supra oculos. Lora cinerea. Gula, jugulum et tota avis subtus nivea; collum superne cingitur torque albo, sub quo latera colli saturate cinerea sunt. Remiges primores latere exteriore et apice nigricantes, rachi primæ tota nivea, ceterarum raches medio niveæ. Remiges secundariæ cinereo-fuscæ marginibus et rachibus albis. Tectrices alarum proximæ dorso concolores apice albis, unde fascia angustior alba in ala composita. Cauda æqualis Rectricibus tamen binis intermediis aliquantum longioribus. I. I-2. 2. totæ albæ. 3. 3. alba, macula fusca juxta interiorem apicis marginem; 4. 4. pallide grisea, versus apicem fusco, apice albo marginata; 5. 5. eodem colore sed saturatius. 6. 6. saturate fusca immaculata.

OBSERVATIO. I.

Forte *Femina* est quam descripsi; avem enim vivam nondum vidi.

OBSERVATIO. 2.

Suspicor hanc avem inter Scanenses posse numerari, quamvis nondum, certa fide, in Scandinavia sit occisa. Quæ enim in *Actis Nidros. V. p.* 153. *tab. V. Charadrius Alexandrinus* appellatur, potius, me judice, ad *Calidrin griseam* pertinet.

GENUS.

HÆMATOPUS.

Rostrum capite longius, robustiusculum, rectum, compressum, apice cuneato.
Nares lineares in sulco prope basin sitæ.
Pedes tridactyli, robusti, digitis fissis, exteriore intermedio membranâ basi connexo.

CL. HÆMATOPUS OSTRALEGUS.

DIAGN: Niger, corpore subtus, fascia alarum, dorso postico et caudæ medietate interiore albis.

SYNONYMA.

Hæmatopus Ostralegus, Lin. Faun. Sv. p. 69. n. 192. Syst. Nat. I. p. 257. Retz. Fn. Sv. p. 197. n. 170. Lath. Ind. II. p. 752. Gmel. Syst. I. p. 694.
Ostralega s. Pica marina, Briss. Orn. V. p. 38. t. 3. f. 2.
Huitrier, Buff. Ois. VIII. p. 119. t. 9. Pl. enl. 929. Vers. Germ. Otto XXVIII. p 214. cum fig.
Pied Oister-catcher, Pen. Br. Zool. II. p. 482. n. 213. t. 74. Arct. Zool. II. p. 406. Lath. Syn. V. p. 219. vers. Germ. Bechst. V. p. 193. t. 87.
Der geschächte Austernfischer, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 4. B. 1 Abth. p. 439. t. 12. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 172.

Scanis: Strandskate. *Gottlandis:* Marspitt. *Oelandis:* Strandskjura.

DESCRIPTIO.

Long. 16 poll. Rostr. $2\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $10\frac{1}{2}$ poll. Cauda $4\frac{3}{8}$ poll.; Tibia 2 poll.; Digit. med. $1\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum comperssum, robustiusculum, rectum, medio tamen superne aliquantulum depressum, apice in cuneum verticalem compresso, totum aurantium. Palpebræ aurantiæ. Iris coccinea. Pedes robusti et crassi, pallide rubri; digitis callo marginatis, exteriore cum medio membrana juncto.

Caput, Collum usque ad sternum, Dorsum ad medium et alarum minores tectrices nigra. Macula interdum parva sub oculis et alia gularis semilunari-transversa, dorsum posticum, pectus, abdomen, femora et crissum alba. Remiges primores nigræ, latere interiore a basi albæ; secundariæ albæ; Tectrices superiores mediæ nigræ apice albæ, majores albæ, unde fascia obliqua alba in ala clausa oritur Tectrices inferiores albæ. Rectrices medietate interiore albæ, exteriore nigræ.

Junior: Rostrum aurantium apice nigrum. Iris brunnea. Pedes pallide grisei. Macula gulæ alba vix conspicua. Color alarum niger sordidus in fuscum tendens.

HISTORIA.

Habitat in littoribus marinis, præsertim lapidosis usque intra circulum polarem. Lacus quoque sed rarius frequentat. Autumno abit, mense Martio ad oras nostras revertitur. Voce acutissime sonora et clamosa hostem indicat vigil avis; unde odiosa venatoribus, qui

insidias aliis parant avibus, quibus de periculo monet. Perbene natat, unde, alâ ictu venatoris læsa, fugam natando quærit. Victitat testaceis aliisque vermibus marinis, quibus recesso mari in littore potitur. Ova 2-3. lutescenti-grisea maculis fuscis irregulariter adspersis in arena littorali fovet. Caro, præsertim retracta pelle, edulis et sapida.

SECTIO II.

Digitis plane fissis.

GENUS.

CALIDRIS.

Rostrum longitudine capitis, tenue, rectum, subteres, basi compressum, apice depresso-subincrassatum.

Nares parvæ oblongo-ovales.

Pedes tridactyli, plane fissi.

CLI. CALIDRIS GRISEA, *Meyeri.*

DIAGN: Rostrum et pedes nigri. Corpus supra griseum, rachibus nigris, subtus, cum facie, album.

SYNONYMA.

Charadrius Calidris, Lin. Syst. Nat. I. p. 255. n. 9. Gmel. Syst. I. p. 689. Lath. Ind. II. p. 741. n. 4.

Tringa arenaria, Lin. Syst. I. p. 251. n. 16. Gmel. Syst. I. p. 680.

Calidris grisea minor, Briss. Orn. V. p. 236. n. 17. t. 20. f. 2.

Sanderling, Buff. Ois. VII. p. 532. vers. Germ. Otto XXVII. p. 60. (fig. falsa.)

The Sanderling, Pen. Br. Zool. II. p. 480. n. 212. t. 73. Arct. Zool. II. n. 403. Lath. Syn. V. p. 197. id. Sup. p. 253. vers. Germ. V. p. 171. n. 4.

Der graue Sandläufer, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 4. B. 1 Abth. p. 368. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 177. Mus. Payk. Mus. Ups.

DESCRIPTIO.

Magnitudo *Tringæ alpinæ*, 7-7½ poll. long. Rostr. ⅝ poll. Rostrum compressum et pedes nigricantia. Iris brunnea.

Frons, genæ et gula alba, stria a rostro ad oculos grisea. Vertex albide cinerascens striis minutis et punctis fuscis. Dorsum pallide griseum rachibus nigris. Uropygium et tectrices caudæ superiores lateribus albis, medio griseo. Corpus subtus album. Remiges primores fuscæ rachibus albis, secundariæ a basi ad medium albæ, exinde fuscæ, apice albo marginatæ. Tectrices alarum superiores fuscæ; mediæ et majores apicibus albæ, unde stria alarum obliqua alba. Rectrices 12. quarum mediæ binæ longiores fuscæ, ceteræ griseæ, laterales pallidiores marginibus singularum albidis.

OBSERVATIO.

Similis *Tringæ Cinclo* quoad colores; Differt tamen rostro breviore, magisque compresso, pectore immaculato et præsertim pedibus digito postico plane destitutis.

HISTORIA.

Autumno et vere in littoribus marinis arenosis gregaria obvenit. Æstatem sine dubio degit et se propa-

gat in terris arcticis*). Ovatio nondum cognita est. Vescitur vermibus et Insectis aquaticis.

---

*) Ni fallor, hæc est avis quæ *charadrius alexandrinus* in *Actis Nidros. V. p.* 153. *t. V. f. I.* appellatur, et quæ maximis gregibus littora marina Norvegiæ ad *Jedderen* et *Lister* autumno frequentare refertur. Quodsi ita, non dubitandum est, quin domicilium avis æstivum in plagis Scandinaviæ maxime borealibus sit quærendum.

SUBORDO II.

VADATORES (*Tetradactyli*).

SECTIO I.

Tibiis et femorum parte nuda longioribus;
Digitis anticis vel omnibus vel extimis duobus, saltem ad primam articulationem, membranâ junctis.

GENUS.

RECURVIROSTRA.

ostrum longissimum, gracile, depressum apice flexili, recurvato.
Nares lineares, perviæ.
Pedes longi, graciles, tetradactyli; digito postico brevi, anterioribus semipalmatis.

CLII. RECURVIROSTRA AVOCETTA.

Diagn: Alba, pileo, cervice et alis supra nigris maculam albam includentibus. Pedes cærulei. Rostrum nigrum.

SYNONYMA.

Recurvirostra Avocetta, Lin. Fn. Sv. 191. Retz. Fn. Sv. 196. n. 169. Syst. Nat. I. p. 256. Lath. Ind. II. p. 786. Gmel. Syst. I. 2. p. 693.

L'Avocette, Buff. Ois. VIII. p. 466. t. 38. Pl. Enl. 353. Vers. Germ. Otto XXXII. p. 81. cum fig.

Scooping Avoset, Penn. Br. Zool. 2. p. 504. t. 8. Arct. Zool. 2. p. 503. Lath. Syn. V. p. 293. Suppl. 263. Vers. Germ. V. p. 263.

Der Blaufüssige Wassersäbler, Bechst. Nat. Deutschl. 4. B. I Abth. p. 450. t. 25. f. 2.

Oelandis: Skärfläcka. *Gottlandis:* Alfit.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 17-18 poll. Rostrum 3 poll. A flexura alæ ad apicem 7½ poll. Nuda pars femoris 1½ poll. Tibiæ 3 poll.

Rostrum nigrum; Iris rufo-fusca; Pedes cinereo-coerulei.

Corpus album capite supra et cervice nigris; alæ et scapulares nigræ maculam magnam longitudinalem albam includentes. Cauda alba.

HISTORIA.

In littoribus Sueciæ australioris ex. gr. Gottlandiæ, Oelandiæ et Scaniæ rarius occurrit. Ova 2-3 cinereo-viridia maculis nigris in arena fovet.



GENUS VI.

PLATALEA.

Rostrum longissimum, robustum, depresso-planum, apice orbicutate dilatato.

Nares parvæ, oblongæ, juxta basin et se invicem sitæ.

Facies ad partem nuda.

Pedes tetradactyli, semipalmati.

CLIII. PLATALEA LEUCORODIA, *Lin.*

Diagn: Corpus album, Gula nuda fulva; occiput cristatum.

SYNONYMA.

Platalea Leucorodia, Lin. Faun. Sv. p. 56. n. 160. Retz. Faun. p. 166. n. 128. Lin. Syst. Nat. XII. I. p. 231. Gmel. Syst. I. p. 613. Lath. Ind. Orn. II. p. 667.

Platea, Briss. V. p. 352. I.

La Spatule, Buff. Ois. VII. p. 448. t. 24. Vers. Germ. Otto XXVI. p. 104. cum fig. Pl. enl. 405.

White Spoonbill, Br. Zool. II. p. 634. App. t. 9. Arct. Zool. II. p. 441. A. Id. Supp. p. 66. Lath. Syn. V. p. 13. I. Vers. Germ. Bechst. V. p. I.

Weisser Löffler, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 4. Meyer Vögel Liv. und Esthl. p. 179.

Mus. Payk. Mus. Upsal.

Svecis: Pelikan.

DESCRIPTIO.

Ardeâ Cinereâ minor; 2 ped. 6 poll. longa. Rostrum 8 poll. long. pone apicem fere 2 poll. latum. Tib. $5\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum nigrum, supra apicem macula fulva, depressum et planum, basi supra rugosum, apice orbiculate-dilatatum maxilla superiore sulco marginali circumdata. Iris rubra. Pedes nigri, semipalmati, membrana inter digitum extimum et medium majore. Lora, orbita et gula dilatabilis nuda, extensilis, fulva Occiput pennis elongatis (5 fere pollicaribus) acuminatis, dependentibus cristatum. Alæ clausæ apicem caudæ attingunt.

Mas: Totum corpus album, excepto pectore, quod macula ornatur luteo-rufescenti.

Femina: Alba macula pectoris fere destituta. Capite fere lævi.

Junior Avis: Remiges primores apicibus nigris.

HISTORIA.

Migratoria avis æstate, rarius tamen, obvenit in plagis patriæ borealibus, Lapponia et Westrobothnia, unde receptam in Museis citatis examinavi. Migrationes per Finnlandiam et Rossiam instituere videtur, quare nunquam in meridionaliori Patria observata est. Nidificat in arboribus excelsis juxta fluvios. Ova 3-4 alba rubescenti-maculata ponere refertur. Vescitur pisciculis, ranis, aliisque amphibiis et Insectis aquaticis.

OBSERVATIO.

Platalea pygmea Lin. cujus existentia a quibusdam Ornithologis recentioribus negatur, re vera existit. Specimen ipse vidi, et forte idem illud, quod in Museo Adolphi et in Systemate Naturæ descripsit Linné, adhuc in Museo Illustr. Thunbergii Upsaliæ asservatum. Thunberg avem iterum descripsit et delineandam curavit in Actis Acad. Scient. Holm. anno 1816. p. 194. Tab. VI. Hæc vero Linneana avicula ad Genus *Plataleæ*, accuratius determinatum, non pertinet. Neque enim gula extensili, neque loris nec orbitis nudis gaudet; nec pedes ejus longi et semipalmati sunt ut in genere *Plataleæ*. In omnibus, rostri forma exceptâ, cum *Tringis* probe convenit; quare, me judice, proprium genus in sequenti sectione juxta Tringas collocandum, constituere debet, quod quidem genus mihi dicitur

EURYNORHYNCHUS.

Rostrum mediocre, subteres apice dilatatissimo, subangulato.
Nares parvæ lineares, juxta basin rostri, distantes.
Pedes breves digitis usque ad basin fissis.

EURYNORHYNCHUS GRISEUS, *mihi*.

DIAGN: Supra fusco-griseus, subtus albus.

SYNONYMA.

Platalea Pygmea, Lin. Syst. Nat. I. p. 231. n. 3. Lath. Ind. Orn. II. p. 669. 3. Thunberg Stockh. Wetensk. Acad. Handl. 1816. p. 194. t. VI.

DESCRIPTIO.

Magnitudo *Tringæ Temminckii*. Rostrum pollicare, capite parum longius. Pedes tetradactyli, digito po-

stico brevi, plane fissi. Caput supra fuscescens marginibus pennarum albidis. Dorsum et alarum tectrices fusco-grisea striis ad raches saturatioribus. Avis subtus alba. Remiges fuscæ, secundariis pallidioribus albo late marginatis. Cauda alis compositis brevior, subfusca rectricibus lateralibus albidis.

HISTORIA.

Plane incognita, nec locus quidem natalis certa fide definiri potest.

GENUS.

CICONIA.

Rostrum capite multo longius, rectum, robustum, subcylindricum, compressum, acuminatum, maxilla superiore utrinque linea excavata et pone apicem emarginata, inferiore aliquantulum sursum curvata.

Nares lineares longæ, prope basin rostri in dorso sitæ.

Orbita nuda.

Gula nuda, extensilis.

Pedes longi, tetradactyli, digitis brevioribus, a basi ad primam articulationem membrana connexis.

CLIV. CICONIA ALBA, *Briss.*

Diagn: Alba orbitis nudis, remigibus et scapularibus nigris; rostro et pedibus rubris.

SYNONYMA.

Ciconia Alba, Briss. Orn. V. p. 305. t. 32. Bechst. Nat. Deutschl. 4 B. I Abth. p. 82.

Ardea Ciconia, Lin. Fn. Sv. 162. Retz. Faun. p. 167. Lath. Ind. II. p. 676. Gmel. Syst. I. 2. p. 622.

La Cicogne blanche, Buff. Ois. VII. p. 253. t. 12. Vers. Germ. Otto XXV. p. 31. cum fig. Pl. enl. 866.
White Stork, Pen. Arct. Zool. 2. p. 455. Lath. Syn. V. p. 47. Vers. Germ. V. p. 25.
Weisser Storch, Meyer Vögel Liv. p. 185.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 3 ped. 6 poll.

Rostrum et pedes rubra; orbita nuda nigra; Iris brunnea.

Caput, collum totumque corpus album, remigibus et pennis scapularibus nigris.

HISTORIA.

Habitat in meridionaliori Sveciæ plaga, in Scania vulgaris, in ceteris provinciis ex. gr. Hallandia rarior. Uplandiam tamen et superiorem Hallandiam interdum quoque visitat. Migratoria advenit ante medium Aprilem. Nidulatur super arbores demortuas et decollatas sylvarum, super tecta et spiramenta caminorum in vicis et prædiis. Ova 3-5 ochraceo-alba. Magis adhuc pie quam vel *Corvus Frugilegus* vel *Hirundo Rustica* facetur; neque tamen plane innocens hospes; nam præter Ranas, Lacertas et innocuos Natrices et angues, etiam pullos Perdicum et Anatum ova devorat.

CLV. CICONIA NIGRA, *Bechst.*

Diagn: Nigricans pectore et abdomine albis. Rostrum, gula et orbita nuda coccinea. Pedes rubri.

SYNONYMA.

Ciconia Nigra, Bechst. N. D. 2te Aufl. B. 4. Abth. I. p. 96. n. 2. Meyer Vögel Liv. p. 186.

Ciconia fusca, Briss. Orn. V. p. 362. t. 31.
Ardea nigra, Lin. Fn. Sv. 163. Retz. Fn. 168 n. 131. Lin. Syst. Nat. p. 235. Gmel. Syst. I. 2. p. 623. Lath. Ind. II. p. 677.
Cicogne noire, Buff. Ois. VII. p. 271. Vers. Germ. Otto XXV. p. 60. Pl. enl. 399.
Black Stork, Penn. Arct. Zool. II. p. 456. Lath. Syn. V. p. 50.
Svecis: Swart Stork, Odens Swala.

DESCRIPTIO.

Longit. 3 pedes. Rostr. 7 poll. A flexura alæ ad apicem 18 poll. Pars nuda femoris $2\frac{1}{2}$ poll. Tibia 8 poll. Digit. med. 4 p. postic. $1\frac{5}{8}$ poll. Rostrum, Orbita et Gula nuda, coccinea. Iris brunnea. Pedes saturate rubri.

Caput, collum, scapulares, dorsum, alæ et cauda i. e. totum corpus superne nigricans purpureo et viridi nitente. Pectus, abdomen et caudæ inferiores tectrices, alba.

Junior: Rostrum, orbita et pedes olivacea. Caput et collum rufo-brunnea marginibus pennarum albidis. Corpus, alæ et cauda supra fusco-nigricantia.

HISTORIA.

Rarior apud nos et migratoria avis. In paludibus sylvaticis Scaniæ, Hallandiæ et Ostrogothiæ a nobis visa. Vescitur pisciculis, ranis et Insectis. Nidulatur in excelsis arboribus. Ova 2-3 sordide alba, virescenti tincta.

GENUS.

GRUS.

Rostrum capite parum longius, robustum, compressum, rectum, versus apicem subteres, apice subfornicatum; maxilla superiore basi utrinque linea excavata.

Nares fere in medio rostri sitæ, oblongo-ovales.

Orbita et *Lora* pennis tecta.

Pedes longi, digito extimo membranâ medio basi adnexa; digito postico brevi, elevato.

CLVI. GRUS CINEREA, *Bechst.*

Diagn: Vertex nudus, papillosus, ruber. Corpus cinereum fronte, nucha, collo antice et remigibus nigris; Pennis laxis laceris supra alas dependentibus.

SYNONYMA.

Grus Cinerea Bechst. N. D. 4 B. Abth. I. p. 103. Meyer Vögel Liv. p. 187.

Ardea Grus, Lin. Syst. Nat. I. p. 234. Fn. Svec. 161. Retz. Fn. p. 167. n. 129. Lath. Ind. II. p. 674. Gmel. Syst. I. 2. p. 620.

La Grue, Buff. Ois. VI. p. 287. t. 14. Vers. Germ. Otto XXV. p. 89. cum. fig.

Common Crane, Penn. Br. Zool. II. p. 629. tab. app. 6. Arct. Zool. II. p. 453. Lath. Syn. V. p. 50. Vers. Germ. V. p. 18.

Svecis: Trana.

DESCRIPTIO.

Longit. 3 ped. 8 - 10 poll. Rostr. a fronte 4½ poll. A flexura alæ ad apicem 23 poll. Cauda 8 poll. Nuda pars femoris 4⅓ poll. Tibia 9½ poll. Digit. med. 4 poll. postic. 1 poll.

Rostrum nigro - virescens apice pallidius corneum. Iris brunnea. Pedes nigri digitis membrana submarginatis, extimoque juxta basin intermedio adnexo.

Frons pilis nigris vestita. Vertex subcalvus, papillosus, ruber pilis raris adspersus. Lora nigra pilis dense vestita. Nucha, genæ, gula et collum antice infra medium nigricantia. Pone oculos stria lata alba utrinque per tempora in cervicem decurrit. Præterea corpus totum cinereum rachibus pennarum dorsi et tectricum nigricantibus. Remiges nigræ. Tectrices ultimæ (Lin.) cinereo - nigræ, longiores, laxæ, supra apicem alarum utrinque dependentes, radiis fibrosis. Cauda rotundata cinerea apice nigricans.

HISTORIA.

Migratoria, vere et autumno Scaniam transmigrat. In superioris Sveciæ paludosis se propagat; Ova 2 virescenti - grisea maculis fuscis. Vescitur herbis palustribus et segetibus consitis.

GENUS.

A R D E A.

Rostrum longum, rectum, robustum, compressum, maxilla superiore utrinque linea excavata et pone apicem emarginata.

Nares prope basin rostri, laterales, oblongæ, membrana superne semitectæ.

Lora calva.

Pedes tetradactyli digito extimo membrana intermedio basi connexo.

FAMILIA I.

(Tenuicolles).

Rostrum capite multo longius, juxta basin haud compressum.

CLVII. ARDEA CINEREA, *Lath.*

Diagn: Crista occipitis pendula nigra. Dorsum cinereo-coerulescens. Corpus subtus album maculis in collo antico et pectore nigris.

SYNONYMA.

Ardea Cinerea, Lath. Ind. II. p. 691. Retz. Fn. Sv. p. 169. n. 133. Bechst. N. D. P. 4. Abth. I. p. 10. Meyer Vögel Liv. 180.

Ardea Cinerea, Lin. Fn. Sv. p. 59. n. 165 (Junior). Syst. Nat. I. p. 236. (Junior).
Ardea Major, Lin. Syst. I. p. 236. Gmel. Syst. I. 2. p. 627. (Senior).
Heron huppé, Buff. Ois. VII. p. 342. Vers. Germ. Otto XXV. p. 172. cum figg. 2. Pl. enl. 755.
Heron, Buff. Ois. VII. p. 342. t. 19. Pl. enl. 787 (Jun.)
Common Heron, (male) Penn. Brit. Zool. II. p. 421. Lath. Syn. V. p. 83. Vers. Germ. V. p. 54. (sen.)
Common Heron, (female) Penn. Br. Zool. II. p. 421. t. 61. (jun.).
Svecis: Häger.

DESCRIPTIO.

Longit. 3. ped. 2 poll. Rostr. a fronte $4\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad ejusdem apicem 18 poll. Nuda pars femoris $2\frac{1}{2}$ poll. Tibia 6 poll. Digit. med $3\frac{2}{8}$; postic. 2 poll.

Rostrum, lora et iris fulva; Pedes fusco-rufescentes. Pars femorum nuda testacea.

Frons et anterior pars verticis alba. Supra oculos utrinque stria nigra, quæ in cristam occipitis dependentem nigram se conjungit. Collum album postice cinerascens, antice a jugulo ad medium pectus pennis longioribus acuminatis maculisque longitudinalibus nigris notatis. Dorsum et alarum tectrices cyaneo-cinerea. De medio dorso et de scapularibus pennæ longæ acuminatæ argentei coloris utrinque supra alas falcatim deflexæ sunt. Cauda saturate cinerea. Remiges nigræ, intimæ saturate cinereæ. Margo alarum et flexura alba, juxta quam in latere colli macula magna nigra. Corpus subtus album.

Junior: Crista brevis s. nulla. Pennis elongatis in collo et alis destituta. Frons et vertex cinerea. Maxilla supe-

rior nigricans, inferior lutea. Pedes cinereo-nigricantes parte femorum nuda, lutea.

HISTORIA.

Habitat in sylvis, quæ paludibus, fluviis et lacubus vicinæ sunt. In australiori Sveciæ parte vulgaris; in septentrionaliores quoque longius adscendit (sic supra Nidrosiam Norvegiæ vidi) sed rarius. Migratoria, in Scaniam advenit jam fine M. Martis. Nidulatur in excelsis arboribus. Ova 3-4. colore thalassino. Vescitur piscibus, ranis &c.

OBSERV.

Ardea Alba, quæ in Fn. Sv. in Scania olim visa dicitur, nunquam postea ibidem inventa est. Neque scio, an Linñé ipse avem in Scania viderit, an ex relatis aliorum inter aves Suecicas retulerit. Neque enim inter *aves pictas Rudbeckii* occurrit, neque ejus mentio fit in *Adversariis Leckei*. Illam igitur, ad plagas Europæ australiores, ad Asiam et Africam pertinentem, e Fauna Suecica excludendam puto.

CLVIII. ARDEA MINUTA.

Diagn: Caput læve, et corpus supra, Remigesque primores et Cauda nigra. Collum antice et tectrices alarum testacea.

SYNONYMA.

Ardea minuta, Lin. Syst. Nat. I. p. 240. n. 26. Gmel. Syst. I. 2. p. 646. Lath. Ind. II. p. 683.
Blongio de Suisse, Buff. Ois. VII. p. 395. Vers. Germ. Otto XXV. p. 301. cum fig.
Butor brun rayé — roux, Buff. l. c. p. 424 et 425.
Little Bittern, Lath. Syn. V. p. 65.

Roufous Bittern, id. ibid. p. 60. Suppl. I. p. 235.
Der Kleine Reiher, Bechst. N. D. 2te Aufl. B. 4. Abth. I. p. 71. Meyer Vögel Liv. p. 183.

DESCRIPTIO.

Longit. avis $13\frac{1}{2}$ poll.

Lora nuda et rostrum luteum apice fusco. Iris lutea. Pedes lutescenti-virides.

Caput læve et Corpus supra, Remiges secundariæ et cauda nigra viridi-nitentia. Latera capitis, collum et tectrices alarum rufo-testacea. Corpus subtus album, testaceo tinctum.

Junior: Rostrum apice et dorso fuscis. Pedes virides. Pileus niger. Dorsum nigricans marginibus pennarum rufescentibus. Latera capitis, colli, pectoris et tectrices alarum rufescentia maculis longitudinalibus fuscis. Gula et crissum albida.

HISTORIA.

Nova hæc faunæ nostræ incola in Westmannia occisa est. In palustribus locis habitat et nidulatur. Ova 5-6 alba. Vescitur pisciculis, ranis, insectis.

FAMILIA II.

(Crassicolles).

Rostrum capite parum longius, valde compressum, subdecurvatum.

CLIX. ARDEA STELLARIS, *Lin.*

DIAGN: Caput læve. Corpus supra ferrugineum undulis et maculis transversis nigris; subtus pal-

lidius maculis longitudinalibus nigris. Pennæ colli tumidæ.

SYNONYMA.

Ardea Stellaris, Lin. Fn. Sv. p. 58. n. 164. Syst. Nat. I. p. 239. Lath. Ind. Orn. II. p. 680. Retz. Fn. p. 168. n. 132. Gmel. Syst. I. 2. p. 635. Act. Soc. Physiogr. Lund. I. p. 305.

Butor, Buff. Ois. VII. p. 411. t. 21. Vers. Germ. Otto XXV. p. 344. cum fig. Pl. enl. 789.

Bittern, Penn. Br. Zool. II. p. 424. Arct. Zool. II. p. 451. Lath. Syn. V. p. 56. n. 17. Suppl. I. p. 234. Vers. Germ. V. p. 33.

Dickhälsiger Reiher, Bechst. N. D. 2te Aufl. B. 4. Abth. I. p. 63. Meyer Vögel Liv. p. 182.

Svecis: Rördrom.

DESCRIPTIO.

Longit. 2 ped. 3 - 4 poll.

Rostri maxilla superior fusca, margine, maxilla inferiore et loris nudis, luteo - viridibus. Iris lutea. Pedes luteo - virides.

Caput supra et pennæ ejus laterales longæ, nigra. Collum et corpus rufo - lutea, collo undulis fuscis, in dorso et scapularibus maculis majoribus nigris margine rufo variegatis ornata; Pectus et abdomen maculis magnis longitudinalibus nigris. Tectrices alarum maculis undulatis nigris. Remiges nigricantes fasciis transversis testaceis. Cauda testaceo et fusco pulcherrime variegata.

HISTORIA.

Rarior apud nos avis habitat in paludosis, arundinetis et juncetis. Victitat piscibus, ranis, vermibus; et insectis aquaticis. Nidulatur inter arundines. Ova 3-5 sordide viridia.



GENUS.

TANTALUS.

Rostrum longissimum, arcuatum, basi subtrigonum, dehinc compressum, apice depresso - obtusum.
Facies a fronte per oculos nuda.
Sacculus gularis nudus l. *Gula* nuda extensilis.
Nares oblongo - ovales, membrana ad partem tectæ.
Pedes tetradactyli digitis a basi ad primam articulationem membrana junctis.

CLX. TANTALUS FALCINELLUS.

Diagn: Facies atro - viridis. Corpus castaneum, alis dorso et cauda chalybeo et violaceo nitentibus.

SYNONYMA.

Tantalus Falcinellus, Retz. Faun. p. 171. n. 135. Lin. Syst. Nat. XII. I. p. 241. n. 2. Gmel. Syst. I. p. 648. Lath. Ind. II. p. 707. n. 14.
Numenius viridis, Briss. Orn. V. p. 326. 4.
Courlis Verd, Buff. Ois. VIII. p. 29. Vers. Germ. Otto XXVII. p. 170. cum fig.
Courlis d'Italie, Pl. enl. 819.
Bay Ibis, Lath. Syn. V. p. 113. n. 12. Suppl. 67. Vers. Germ. Bechst. V. p. 67. t. 81. (junior). Pen. Art. Zool. II. p. 460. A.

Nimmersatt, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 116.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circa 2 ped. Rostr. 4 poll. A flexura alæ ad apicem $11\frac{1}{2}$ poll. Cauda $4\frac{2}{8}$ poll. pars nuda femorum fere 3 poll. Tibiæ $4\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. $3\frac{3}{8}$ poll., postic. $1\frac{5}{8}$ poll.

Facies nuda nigra viridi nitens. Rostrum olivaceo-fuscum. Iris brunnea. Pedes virescenti-fusci, ungvibus nigris. Digiti basi membranis, quarum exterior major, connexi. Cauda alis complicatis æqualiter extenditur.

Caput, collum corpusque subtus castanea, pectore et abdomine dilutioribus fulgore viridi et chalybeo nitentes. Alæ supra nigricantes, viridi et violaceo splendentes. Remiges et Rectrices fulgore atro-viridi.

HISTORIA.

Rarissima apud nos avis. In Gottlandia interdum obvenit juxta paludes interiorum insulæ partium. In Scania quoque, ubi descriptum specimen occisum est. Vescitur insectis et vermibus.

GENUS.

NUMENIUS.

Rostrum longissimum, arcuatum, basi subtrigonum, dehinc tereti-compressum, apice obtuso.

Facies pennis tecta;

Nares lineares, laterales perviæ, juxta basin rostri sitæ.

Pedes tetradactyli, digitis anticis basi ad primam articulationem membrana connexis *).

CLXI. NUMENIUS ARQUATA, *Lath.*

Diagn: Rostrum medietate exteriore incurvum. Corpus supra saturate fuscum marginibus pennarum rufescenti-albidis. *Collum* et Pectus rufescenti-albida maculis fuscis acutis. Cauda fasciis fuscis et albidis.

SYNONYMA.

Scolopax arqvata, Lin. Faun. Sv. p. 59. n. 168. Retz. Faun. 171. n. 136. Lin. Syst. Nat. XII. I. p. 248. n. 3. Gmel. Syst. I. p. 655.

Numenius arqvata, Lath. Ind. II. p. 110. I.

*) Hac præcipue nota dignoscitur *Numenius* a *Tringis* quibusdam, quæ rostrum quoque habent curvatum.

Numenius, Briss. Orn. V. p. 311. 1.
Courlis, Buff. Ois. VIII. p. 19. Pl. enl. 818. Vers. Germ. Otto XXVII. p. 145. cum. fig.
Common Curlew, Pen. Br. Zool. II. p. 429. n. 176. t. 63. Arct. Zool. II. p. 462. A. Lath. Syn. V. p. 119. Vers. Germ. V. p. 94. Id. Sup. p. 242.
Grosser Brachvogel, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. 1 Abth. p. 121. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 188.
Svecis: Spof. Storspof. *Scanis:* Tullare, Längnäbba, Kourpa. *Sudermannis:* Windspole.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circa 2 ped. Rostr. 4½-5 poll. A flexura alæ ad apicem 1 ped. Cauda 4½ poll. Nuda pars femorum 1½ poll. Tibiæ 3⅜ poll. Digit. med. 1⅝ poll., postic. ⅝ poll.

Rostrum tereti-compressum, basi obtuse trigonum, subrectum, a medio ad apicem modice incurvum, fuscum, apice nigrum, basi subtus incarnatum. Iris brunnea. Pedes saturate cinerei, digitis ad primam articulationem membranis (quarum exterior major) connexis.

Caput supra dorsum et alarum tectrices nigro-fusca, marginibus pennarum dilute rufo-griseis. Avis subtus alba pallide griseo rufescenti, tincta maculis ad raches pennarum fuscis, in collo frequentissimis, in abdomine rarioribus. Dorsum posticum album, maculis sagittatis nigris. Gula et crissum alba immaculata. Remiges primores nigro-fuscæ, latere interiore albo transversim fasciatæ 1-5, latere exteriore immaculatæ; 6-7 &c. latere exteriore maculis albis. Tectrices alarum inferiores albæ fusco maculatæ. Cauda et Tectrices ejus superiores fusco et albido transversim fasciatæ. Tectrices inferiores albæ maculis fuscis. *Femina* Mare

major rostro gaudet longiore. Margines pennarum non tam rufescentes sunt.

HISTORIA.

Habitat in pratis depressis et paludosis æstate vulgaris. Migratoria in Scaniam redit juxta finem mens. Martis. Autumno dimigrans et verno tempore adveniens littora marina gregatim visitat. Late versus Septentrionem discedit. In insulis enim Norvegiæ hanc avem usque ad Circulum arcticum inveni. Neque tamen in Alpium latera tam alte adscendit, quam Species proxime insequens. Victus ejus sunt Insecta, Larvæ, Lumbrici, testacea minora. Nidulatur in pratis humidis, in tumulo et alia eminentia. Ova 4 olivacea maculis fuscis et nigris, præsertim circa partem crassiorem adspersa. Avis timida. Caro sapida.

CLXII. NUMENIUS PHOEOPUS.

Diagn: *Rostrum* in medio valde incurvum. Corpus supra saturate fuscum, marginibus pennarum dilutioribus, stria verticis longitudinali, albidâ. Alæ supra albo maculatæ. Cauda fasciis fusco-griseis et nigricantibus.

SYNONYMA.

Scolopax phoeopus, Lin. Faun. Sv. p. 60. n. 169. Syst. Nat. XII. I. p. 243. n. 4. Gmel. Syst. I. p. 657. Retz. Faun. p. 172. n. 137 *).

---

*) Miræ illius notæ diagnosticæ, quæ in Fauna Suec. huic avi additur, et exinde in plurima scripta migravit, caussam si

Numenius Phocopus, Lath. Ind. II. p. 711. n. 6.
Numenius minor, Briss. Orn. V. p. 317. t. 27. f. I.
Corlieu ou petit Courlis, Buff. Ois. VIII. p. 27. Pl. enl. 842. Vers. Germ. Otto XXVII. p 161. cum fig.
Whimbrel, Pen. Br. Zool. II. p. 430. n. 177. t. 64. Arct. Zool. II. p. 462. B. Lath. Syn. V. p. 123. Vers. Germ. Bechst. V. p. 98. n. 6.
Mittlerer Brachvogel, Bechst. N. D. 4. B. I Abth. p. 129.
Regen-Brackvogel, Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 189.
Svecis: Smäspof, Qvidbonde.

DESCRIPTIO.

Long. 16. poll. Alæ extensæ 2 ped. 7 poll. Rostr. circa 3 poll. A flexura alæ $9\frac{1}{3}$ poll. Cauda 4 poll. Nuda pars femoris 1; Tibia $2\frac{1}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{1}{2}$; post. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum teres, coeruleo-nigricans, in medio præsertim arcuatum, apice obtuso. Iris brunnea. Pedes plumbei unguibus nigris.

Pileus saturate fuscus, versus frontem rufescens, stria longituginali lutescenti-albida interrupta. Latera capitis, collum et pectus griseo-albida maculis fuscis longitudinalibus fere sagittiformibus, quæ in hypochondria fascias transversales formant. Lora fusca. Gula alba. Dorsum anticum, scapulares et tectrices alarum saturate fusca, griseo-albo maculatim marginata. Dorsum posticum et crissum alba. Remiges

---

quis quærit, hæc est: In fol. 202. inter *Aves pictas Rudbeckii*, figura hujus Speciei obvenit manu sane rudiori confecta. In hac maculæ dorsales exacte rhomboidales sunt, ita ut dorsum avis tabulam aleatoriam tessellis obliquis exacte repræsentet.

fusco-nigræ latere interiore maculis albis transversim ovalibus, primæ 6 extus immaculatæ, ceteræ maculis albis margine quoque exteriore. Tectrices proximæ remigum primorum nigræ apicibus albis. Tectrices alarum inferiores albæ griseo-fusco fasciatæ. Cauda fusco-grisea fasciis transversis saturate fuscis apice albo. Tectrices caudae superiores albidæ fasciis fuscis; inferiores lutescenti-albæ maculis griseo-fuscis.

HISTORIA.

In australioribus patriæ plagis, quas tantum transmigrat, rara avis; in borealibus autem vulgaris. Habitat in pratis depressis et humidis. Incolit quoque latera alpium uliginosa usque ad terminum quo desinit Pinus sylvestris. Longius itaque versus boream procedit quam antecedens. Arboribus haud raro insidet. Ova in tumulo, tamquam antecedens ponit.

GENUS.

LIMOSA.

Rostrum longissimum, flexibile, aliquantum recurvatum et depressum, apice obtusum subdilatatum; maxilla utraque fere ad apicem marginata.

Nares juxta basin laterales, cuneiformes.

Pedes longi femoribus altius nudis; *Tibiis* digito medio duplo fere longioribus.

Digitus medius extimo membrana junctus usque ad primam articulationem.

CLXIII. LIMOSA MELANURA, *Leist.*

DIAGN: Supra griseo-fusca, nigro et ferrugineo immixto. Collum luteo-ferrugineum. Pectus undulis fuscis. Alæ nigricantes macula alba. Cauda nigra, basi alba.

SYNONYMA.

Scolopax limosa, Lin. Faun. Sv. p. 61. n. 172. Retz. Faun. p. 178. n. 145. Lin. Syst. I. p. 244. n. 13. Gmel. Syst. I. p. 666. Lath. Ind. II. p. 719. n. 18.

Limosa, Briss. Orn. T. V. p. 262. n. I.

Limosa melanura, Meyer Vögel Liv. u. Esthl p. 126.

La Barge, Buff. Ois. VII. p. 500. t. 27. Pl. enl. n. 874. Vers. Germ. Otto XXVI. p. 214 et 217. cum fig.

Lesser Godwit, Pen. Br. Zool. II. p. 444. n. 182.
Jodrella Snipe, Lath. Syn. V. p. 146. 17. Vers. Germ. V. p. 118. — Arct. Zool. II. p. 467. n. 375. Olafs. Isl. II. p. 201. t. 48.
Dunkelfüssiger Wasserläufer, Bechst. Nat. D. 2te Aufl. 4 B. I. Abth. p. 244.

Mus. Payk. Lund. Upsal.

DESCRIPTIO.

Longit. 15 poll. Rostr. 4 poll. A flexura alæ ad apicem 8 poll. Cauda $3\frac{2}{8}$ poll. Pars nuda femoris $1\frac{6}{8}$; Tibia fere 3 poll. Digit. med. $1\frac{6}{8}$; postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum rectum, aurantium, versus apicem adscendens, nigrum, maxillis fere æqualibus apice incrassatis. Iris brunnea. Pedes fusci l. nigricantes. Digitus extimus intermedio membranâ connexus ad primam articulationem.

Senior. Caput supra cinereum maculis minutis fuscis et ferrugineis. Orbita albida; Lora fusca. Corpus supra cinereo-fuscum marginibus pallidioribus rachibus fuscis. Collum cinereo-ferrugineum punctis fuscis. Pectus undulis fuscis, ferrugineis et albidis. Abdomen, crissum et femora alba immaculata. Remiges nigricantes, primores qvatuor latere interiore a basi albæ; sequentes latere exteriore quoque a basi ad medium albæ; secundariæ albæ, apice tantum fuscæ; intimæ longitudine tertiæ, griseo-fuscæ. Tectrices majores apice albæ. Unde macula magna alarum alba. Rectrices nigræ, basi et apice albæ, quæ albedo in pennis lateralibus ita procedit, ut sint fere totæ albæ. Tectrices caudæ superiores a basi ad medium albæ, dehinc nigræ.

Junior. Caput supra griseo-fuscum striis ferrugineis. Facies griseo-rufescens. Dorsum et Scapulares griseo-fusca maculis majoribus nigris et minoribus ferrugineis. Dorsum posticum saturate fuscum. Collum dilute ferrugineum. Pectus dilute ferrugineum striis transversis fuscis. Abdomen et crissum alba. Remiges et Rectrices ut in antecedenti.

HISTORIA.

Habitat in pratis paludosis, rarius in Scania, ubi vix nidulatur. Inter gramina refertur ova 4 ponere olivacea maculis fuscis. Victitat Insectis et vermibus.

CLXIV. LIMOSA RUFA, *Briss.*

Diagn: Supra saturate fusca maculis ferrugineis; subtus ferruginescens striis colli antici fuscis. Cauda fasciis transversis albis et fuscis.

SYNONYMA.

Scolopax Lapponica, Lin. Faun. Sv. p. 62. n. 174. Retz. Faun. p. 179. Syst. Nat. I. p. 246. n. 15. Gmel. I. p. 667. Lath. Ind. II. p. 718. n. 15.

Limosa rufa, Briss. V. p. 281. n. 5. t. 25. f. 1. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 196.

La Barge rousse, Buff. Ois. VII. p. 504. Pl. enl. 900. Vers. Germ. XXVI. p. 237, 240.

Totanus rufus, Bechst. l. c. p. 253.

Senior æstate:

Scolopax ægocephala, Lin. Syst. I. p. 246. n. 16. Lath. Ind. II. p. 719. n. 16. Gmel. Syst. I. p. 667.

Limosa rufa major, Briss. Orn. V. p. 284. n. 6.
La grande Barge rousse, Buff. VII. p. 505. Pl. enl. 916.
Common Godwit, Lath. Syn. V. p. 145. n. 14. A. Vers. Germ. V. p. 117. b (var. A).
Geiskopf Wasserläufer, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I. Abth. p. 234.

Avis Autumnali habitu:
Limosa grisea major, Briss. V. p. 272. tab. XXIV. f. 2.
Totanus leucophæus, Bechst. l. c. p. 237.

Junior:
Totanus gregarius, Bechst. l. c. p. 258. (junior, autumno).
Tringa gregaria, Otto in Buff. XXVI. p. 242.

Venatoribus Scanensibus: Augusti Snäppa.

DESCRIPTIO.

Long. 14-15 poll. Rostr. 3½-4 poll. A flexura alæ ad apicem 9 poll. Cauda 3 poll. Nuda pars femoris 1 poll. Tibia 2⅜ poll. Digit. med. 1½ poll. post. ⅓ poll.

Rostrum modice recurvatum, a basi ad medium flavescens l. pallide incarnatum, apice nigrum, maxilla superiore longiore apice depresso, subdilatato. Iris fusca. Pedes saturate cinerei. Digitus extimus intermedio membrana adnexus ad primam articulationem. Ungues nigri, breves, obliqvi, subtus concavi. Cauda alis brevior.

Caput supra, Dorsum et Scapulares saturate fusca maculis pallide griseis et ferrugineis. Alarum tectrices fusco-griseæ marginibus albidis. Dorsum posticum album maculis rarioribus cordatis fuscis. Fascia

albo-ferruginescens a rostro supra oculos; sub qua alia fusca. Collum antice et pectus luteo-ferruginea striis longitudinalibus fuscis. Abdomen album. Crissum album ferrugineo tinctum. Remiges primores nigro-fuscæ, latere interiore griseo et albo tenuiter variegatæ; secundariæ cinereo-fuscæ albo marginatæ; intimæ longæ, fuscæ marginibus pallidis. Tectrices inferiores albæ, maculis griseis. Cauda cinereo-fusca fasciis transversis et apice albis.

OBSERVATIO.

Coloribus admodum variat pro ætate et anni tempestate. Variat quoque rostri longitudine, in junioribus breviore.

Var. α. Supra saturate fusca maculis ferrugineis. Tota subtus saturate ferruginea, maculis in abdomine et crisso albis (*Avis annosa, æstate capta*).

Var. β. Supra fusca marginibus pennarum pallide griseis l. albidis. Subtus alba collo antice lutescenti et pectore cinerascenti tinctis, striis minutissimis fuscis (*avis senior autumnalis*).

Var. γ. Supra nigro-fusca marginibus pennarum pallide ferrugineis. In tectricibus alarum hi margines latiores, ita ut pallide sint ferrugineæ striis longitudinalibus fuscis. Collum antice et pectus pallide cinerascentia ferruginescenti tincta striis minutis fuscis. Gula, abdomen, crissum et uropygium alba. Hypochondria alba maculis fuscis. Rectrices albæ tæniis transversis fuscis, apice lutescentes (*autumnalis junior*).

OBSERVATIO.

Tringa squatarola Lin. Fn. Sv., cel. Lecheo et venatoribus Scanensibus *Augusti Snäppa*, huc pertinet. Vide infra Artic. *Vanellus melanogaster*.

HISTORIA.

In plagis borealibus æstatem degit; australiores patriæ regiones vere et autumno transmigrans juxta paludes rarius occurrit. Autumno quæ obveniunt, a venatoribus Scanensibus Augusti Snäppa appellantur. Victitat Testaceis, vermiculis et Insectis.



GENUS.

GLOTTIS.

Rostrum longum, durum, robustiusculum, basi compressum, sursum in medio curvatum maxillis*) dehinc teretibus, apice acutis et porrectis.

Nares juxta basin sitæ, lineares.

Pedes longi. Digiti membrana basi connexi.

CLXV. GLOTTIS SEMIPALMATA, *mihi.*

Diagn: Supra pallide grisea maculis nigro-fuscis; subtus lutescenti alba. Remiges primores nigræ basi albæ; secundariæ albæ. Cauda fasciis fuscis et cinereis. Pedes semipalmati.

SYNONYMA.

Scolopax semipalmata, Lath. Ind. II. p. 722. Gmel. Syst. I. p. 659.

Semipalmated Snipe, Arct. Zool. II. p. 469. n. 380. tab. XX. — Lath. Syn. V. p. 152. n. 22. Vers. Germ. V. p. 123. n. 22.

*) Præsertim maxilla inferior.

Anne huc pertinet *The cinereous Godwit*, Pen. Br. Zool. II. p. 442. n. 180. t. 66?

DESCRIPTIO.

Longit. circa 14 poll. Rostr. $2\frac{2}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $7\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{5}{8}$ poll. Nuda pars femoris $1\frac{2}{8}$ poll. Tibia $2\frac{2}{8}$; Digit. med. $1\frac{5}{8}$; postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum fuscum, robustum, compressum, in medio aliquantum recurvatum, maxillis dehinc teretibus, acutis, fere subulatis. (Rostro seqventi simili, sed robustius). *Pedes* fusci. *Digiti* semipalmati, membrana exteriore tamen majore) et secundum totam longitudinem marginati.

Var. A. Caput, cervix et jugulum fusco-cinerea, striis parvis albidis. Dorsum et alarum tectrices fusca marginibus pennarum pallide griseo l. albido maculatis. Pectus, abdomen et crissum alba, lutescenti leviter tincta. Remiges primores nigricantes, a basi ad medium albae. 5-10 albo quoque marginatæ; secundariæ albæ; intimæ longæ, colore dorsi. Cauda æqualis. Rectrices laterales albæ, versus apicem cinereo-fusco variegatæ; intermediæ basi albæ, versus apicem cinereo-fuscæ fasciis transversis luteo-albis. Tectrices caudæ superiores albæ, lituris cinereis cum margine parallelis.

Var. B. Caput et collum striis albis fuscisque. Dorsum et alarum tectrices cinerea maculis majoribus nigris, transversis l. sagittatis; subtus tota alba lutescenti tincta maculis in jugulo et pectore parvis rotundatis fuscis, in lateribus pectoris fasciis transversis fuscis. Gula alba immaculata. Cauda cinerea nigro transversim fasciata — Cetera ut in priore descripta.

OBSERVATIO.

Specimina descripta, quorum alterum ex America remissum est, alterum in Uplandia Sveciæ provincia occisum, in Museo ditissimo Ill. Baronis PAYKULL servantur. Quoad formas et proportiones partium constantiorum excellenter congruunt; quoad colores aliquantum differunt, et ni fallor var. B. junior est avis, vel saltem habitu autumnali vestita.

CLXVI. GLOTTIS CHLOROPUS, *mihi.*

DIAGN: Snpra saturate fusca marginibus pennarum luteo-albidis. Subtus alba. Remiges primores nigro-fuscæ; secundariæ fusco-cinereæ, latere interiore albo variegatæ. Cauda alba, fusco transversim striata.

SYNONYMA.

Scolopax Glottis, Lin. Faun. Sv. p. 61. n. 171. Syst. Nat. I. p. 245. n. 10. Gmel. Syst. I. p. 664. Lath. Ind. II. p. 720. Retz. Faun. p. 177.

Limosa grisea, Briss. V. p. 267. n. 2. t. 23. f. 1.

La Barge grise, Buff. Pl. enl. 876.

Totanus Glottis, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. 1 Abth. p. 249.

Totanus Chloropus, Mey. Vögel Liv. u. Esthl. p. 198.

Totanus fistulans, Bechst. l. c. p. 241.

Green Shank, Pen. Br. Zool. II. p. 445. n. 183.

DESCRIPTIO.

Longit. 13-13½ poll. Rostr. 2½ poll. A flexura alæ ad apicem 7 poll. Cauda 2½ poll. Tibia 2½;

nuda pars femoris 1½ poll. Digit. med. 1⅜; postic. ⅝ poll.

Rostrum cinereum robustiusculum, compressum, in medio sursum curvatum, maxillis medietate exteriore teretibus (marginibus inflexis) apice acutis nigro-fuscis. *Pedes* cinereo-olivacei. *Digitus* exterior intermedio membrana basi connexus.

Caput collumque supra et Dorsum fusca marginibus pennarum albis l. luteo-albidis. Frons, latera capitis et colli alba striis longitudin. fuscis. A rostro supra oculos fascia alba et alia fusca ad oculos. Dorsum posticum, Gula, Pectus, Abdomen et crissum alba. Remiges primores nigro-fuscæ, primæ rachis nivea, 1-5 immaculatæ; 6, 7 &c. apice albo marginatæ; secundariæ fusco-cinereæ margine interiore albo variæ; intimæ longæ, colore dorsi. Tectrices alarum inferiores, Cauda alba lineis transversis fuscis; in lateralibus rarioribus.

HISTORIA.

Habitat æstate in plagis patriæ borealibus ad lacus, paludes et fluvios. Autumno et vere australiores transmigrans, in Scania interdum obvenit. Timida admodum, evolans vocem sibilantem *Tudut!* fere sonantem edit. Vescitur pisciculis et Testaceis.



GENUS.

TOTANUS, *mihi.*

Rostrum longum (capite aliquantum longius), gracile, debile, rectum, maxillis apice duris, (plerisque) acuminatis et inflexis.

Pedes longi; Digitus (saltem) extimus membrana intermedio connexus ad primam articulationem.

CLXVII. TOTANUS FUSCUS, *Bechst.*

Diagn: Supra saturate fusca undulis vel maculis albis, subtus cinereo-fusca albo-undulata. Cauda fusca lineis transversis albis.

SYNONYMA.

Avis habitu æstivali:

Scolopax fusca, Lin. Syst. I. p. 243. n. 5. Gmel. Syst. I. p. 657. Lath. Ind. II. p. 724. n. 35.

Limosa fusca, Briss. V. p. 276. t. 23. f. 2. (optime descripta).

La Barge brune, Buff. Ois. VII. p. 508. Pl. enl. 875. (figura optima). — Vers. Germ. Otto XXVI. p. 253-255.

Dusky Snipe, Pen. Arct. Zool. II. p. 471. C. — id. Sup. p. 68. — Lath. Syn. V. p. 155. n. 30. Vers. Germ. V. p. 126.

Totanus fuscus, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 212.

Tringa atra, Gmel. Syst. I. p. 673. n. 26. Lath. Ind. II. p. 738.

Avis habitu autumnali:

Scolopax fusca, Tengmalm Wet. Acad. Handl. 1783. p. 48. Retz. Faun. p. 173.

Totanus maculatus, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 203.

Scolopax Totanus, Gmel. Syst. I. p. 665. n. 12.

Totanus natans, Bechst. l. c. p. 227.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 12-13 poll. Rostr. $2\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $6\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{1}{8}$ poll. Pars nuda femoris $1\frac{1}{2}$ poll. Tibia $2\frac{3}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{1}{2}$; postic. $\frac{3}{8}$ poll.

A. AVIS SENIOR HABITU ÆSTIVALI:

Rostrum gracillimum, rectum, acutum, nigrum, maxilla inferiore basi incarnata, superiore parum longiore apice inflexo. Iris nigro-fusca. Pedes rubri. Digitus extimus intermedio membrana junctus ad primam articulationem.

Caput et collum tota saturate fusca. Dorsum et alæ supra saturate fusca vel nigricantia marginibus pennarum albis. Pectus, Abdomen et crissum fusca cinereo tincta undulis angustis albis rarioribus. Dorsum posticum album. Remiges primores fuscæ latere interiore albo-variegatæ, rachi prima nivea; secundariæ fusco-cinereæ fasciis albis. Tectrices alarum inferiores albæ. Cauda ejusdemque tectrices lineis transversis albis et fuscis fasciatæ.

B. AVIS HABITU AUTUMNALI:

Magnitudo, forma et proportio partium exacte præcedentis. Rostrum fuscum subtus basi incarnatum. Iris nigro-fusca. Pedes virescenti-lutei.

Caput supra et cervix cinereo-fusca striis minutis albis. Dorsum, Scapulares et alarum tectrices saturate fusca maculis albis, in dorso minoribus, in alis aliquantum majoribus et frequentioribus. Dorsum posticum album. Fascia alba a naribus supra oculos. Lora fusca. Orbita alba. Genæ et jugulum alba striis minutis fuscis. Gula alba immaculata. Pectus et abdomen albida undulis numerosissimis cinereo-fuscis. Remiges primores nigro-fuscæ latere interiore albido variegatæ, prima rachi nivea; secundariæ cinereo-fuscæ, latere exteriore maculis, interiore fasciis albis numerosis. Tectrices inferiores albæ maculis juxta marginem fuscis. Cauda ejusque tectrices superiores cinereo-fusca lineis transversis numerosis albis fasciata. Tectrices inferiores albæ fasciis transversis fuscis.

HISTORIA.

Habitat æstate in terris borealibus Norvegiæ et Lapponiæ, ibique ad ripas fluviorum et lacuum inque paludibus degit. Demigrans autumno in Scania quoque obvenit. Vescitur vermiculis et testaceis minoribus. Jam initio mensis Augusti pullos simul cum parentibus per familias hinc inde errantes intra circulum polarem vidi — ibique nidulari quotannis referebatur avis. Neque ovorum numerum nec colorem quisquam mihi certa fide determinare poterat.

CLXVIII. TOTANUS CALIDRIS, *Bechst.*

DIAGN: Supra fusco-cinerea maculis striisque nigris, subtus alba maculis longitudinalibus nigris. Remiges secundariæ albæ. Rectrices albo nigroque transversim fasciatæ. Pedes rubri.

SYNONYMA.

Totanus Calidris, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. p. 216.

Scolopax Totanus, Lin. Fn. p. 59. n. 167.

Scolopax Calidris, Lin. Syst. I. p. 245. n. II. Retz. Faun. p. 177. n. 144. Gmel. Syst. I. p. 664. Lath. Ind. II. p. 722. n. 25.

Totanus ruber, Briss. Orn. tom. V. p. 192. n. 4.

Le Chevalier à pieds rouges, Buff. Ois. VII. p. 513. t. 28. Vers. Germ. Otto XXVII. p. 12. cum fig. Pl. enl. 845.

Red Shank, Pen. Br. Zool. II. p. 446. n. 184. t. 65. Lath. Syn. V. p. 150. Vers. Germ. 121. n. 20.

Totanus striatus, Briss. Orn. V. p. 196. t. 18. f. I.

Le Chevalier rayé, Buff. Ois. VII. p. 516. Vers. Germ. Otto XXVII. p. 21. cum fig. Pl. enl. 827.

Junior: Tringa striata, Lin. Syst. I. p. 248. n. 5. Lath. Ind. II. p. 733. n. 24.

Tringa Gambetta, Lin. Fn. Sv. p. 63. n. 177. Lin. Syst. Nat. p. 248. n. 3. Gmel. Syst. I. p. 671.

Observatio. Sed *The Gambet*, Pen. Br. Zool. II. p. 465. I. 70. non ad hanc Speciem pertinet; est enim junior *Totanus Pugnax.*

Venatoribus: Rödbena.

DESCRIPTIO.

Avis habitu æstivali:

Longit. 11 poll. Alæ extensæ 20 poll. Rostr. $1\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 6 poll. Tibiæ 2 poll. Digit. med. $1\frac{3}{8}$; postic. $\frac{5}{16}$ poll. Nuda pars femoris fere 1 poll.

Rostrum gracile, rectum, acutum, nigrum, basi subtus rubrum; mandibula superiore parum longiore, apice inflexa. *Nares* lineares, perviæ. *Pedes* pallide rubri unguibus nigris. *Digitus* extimus majori, intimus minori membrana intermedio adnexus.

Caput supra nigricans striis fusco-cinereis. Collum striis longitudinalibus nigris, marginibus pennarum postice griseis, antice albis. Dorsum anticum, Scapulares et tectrices dorso contiguæ fusco-cinerea maculis et lineis ad raches, striisque transversis nigris. Dorsum medium album. Gula, jugulum, pectus et abdomen alba maculis parvis longitudinalibus nigris, in jugulo frequentioribus, in abdomine raris. Remiges 5-6 primores nigræ, latere interiore a basi albidæ, rachi primæ alba; sequentes fuscæ latere interiore albæ apicem versus albæ fusco undulatæ; secundariæ albæ basi fuscæ. Rectrices et Tectrices earum superiores et inferiores albæ (mediæ Rectrices pallide griseæ) nigro transversim fasciatæ.

Avis junior: Pedes et basis rostri sordide lutea. Caput supra et Dorsum fusca marginibus pennarum pallide luteo-griseis; subtus alba jugulo et superiore parte pectoris cinerascentibus, maculis parvis longitudinalibus fuscis.

HISTORIA.

Migratoria avis redit jam fine mensis Aprilis. Habitat æstate in paludibus, in littoribus marinis, juxta

flumina, lacus, fossas turfosas et stagna vulgaris, non solum in Svecia meridionaliori, sed etiam in Norvegia et Lapponia. Latera alpium incolit usque in regione betulina. Nidulatur inter gramina locis uliginosis. Ova 4 olivacea maculis fuscis extremitate crassiore confluentibus. Hostem ad nidum vel ad pullos adpropinquantem, clamore acuto et sonoro supervolitat. Vescitur Insectis, vermiculis, testaceis. Caro sapida.

CLXIX. TOTANUS OCHROPUS, *mihi.*

Diagn: Supra saturate fusca viridi nitens, punctis pallidis adspersa; subtus et supercilia alba. Rectrices laterales albæ immaculatæ; ceteræ albæ fasciis versus apicem nigris. Rachis primæ Remigis pennæ concolor. Pedes cinerei.

SYNONYMA.

Tringa Ochropus, Lin. Fn. Sv. p. 64. n. 180. (caudæ color erronee descriptus). Syst. Nat. I. p. 250. n. 13. Retz. Fn. p. 186. n. 154. (Descriptio erronea). Lath. Ind. II. p. 729. n. 12. Briss. Orn. V. p. 177. t. 16. f. 1. Gmel. Syst. I. p. 676.

Tringa Glareola, Otto l. c. p. 73.

Le Becasseau ou Culblanc, Buff. Ois. VII. p. 534. Vers. Germ. Otto XXVII. p. 62-73. cum fig. Pl. enl. 843.

Tringa littorea, varietas, Brunn. Bor. p. 53. n. 178.

Green Sandpiper, Pen. Br. Zool. II. p. 168 n. 201. Arct. Zool. II. n. 389. Lath. Syn. V. p. 170. n. 12. Vers. Germ. V. p. 141.

Punktirter Strandläufer, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 283. Meyer Liv. u. Esthl. p. 202.
Venatoribus perperam: Enkel Beckasin.

DESCRIPTIO.

Longit. $8\frac{1}{2}$-9 poll. Alæ extensæ 18 poll. Rostr. $1\frac{3}{8}$; A flexura alæ ad apicem $5\frac{1}{2}$; Cauda 2 poll. Nuda pars femoris $\frac{5}{8}$; Tibiæ $1\frac{3}{8}$; Digit. med. $1\frac{1}{8}$; postic. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum gracile, rectum, acutum, viridi-fuscum, apice nigro; maxilla superiore aliquantum longiore apice parum inflexa. Iris fusca. Pedes pallide plumbei. Digitus extimus intermedio membrana junctus ad primam articulationem.

Caput supra, Dorsum, Scapulares et alarum tectrices saturate fusca, dorso, scapulis et alarum tectricibus viridi nitentibus, punctis pallide testaceis adspersis. Uropygium medium nigro-cinereum. Tectrices caudæ superiores albæ, basi nigricantes. Fascia alba supra oculos. Lora fusca. Genæ, latera colli collumque antice alba maculis minutis fuscis, superne acuminatis. Gula, pectus et abdomen alba immaculata. Remiges primores cum tectricibus proximis nigræ unicolores rachibus splendide nigricantibus; secundariæ nigro-fuscæ unicolores; intimæ longæ, molles, colore dorsi maculis parvis triqvetris pallide testaceis marginatæ. Alarum tectrices inferiores nigricantes undulis albis pulchre ornatæ. Cauda cum alis complicatis æqualiter extenditur. Rectrices laterales 1-1 plane albæ, 2. 2 albæ macula nigra in latere exteriore versus apicem; hæ maculæ nigræ in mediis quoad numerum augentur ita ut 6. 6. sint albæ fasciis 5-6 nigris. Tectrices inferiores albæ, immaculatæ. *Avis habitu æstivali.*

OBSERVATIO.

Moschum olet, etiam diu post mortem farcta et exsiccata.

HISTORIA.

Migratoria avis ad nos redit post medium Aprilem. Ad margines fossarum, stagnorum, lacuum in arena vel luto siccato passim. Timida evolat sono acute sibilante. Ova 3-5 albescenti-viridia maculis fuscis.

CLXX. TOTANUS GLAREOLA, *mihi.*

DIAGN: Supra fusca maculis parvis albis; Pectus, abdomen et supercilia alba. Rectrices laterales extus maculis fuscis; mediæ albo et fusco fasciatæ. Rachis primæ Remigis nivea; Pedes flavescenti-virides.

SYNONYMA.

Tringa Glareola, Lin. Fn. Sv. p. 65. n. 184. Gmel. Syst. I. p. 677. Lath. Ind. II. p. 730. n. 13.

Wood Sandpiper, Lath. Syn. V. p. 172. n. 13. Vers. Germ. V. p. 143.

Wald-Strandläufer, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 291. Meyer Liv. u. Esthl. p. 203.

Junior:

Tringa Littorea, Lin. Faun. Sv. p. 66. n. 185. Gmel. Syst. I. p. 677 β. Lath. Ind. II. p. 731. n. 15.

OBSERVATIO. I.

Synonyma hujus et antecedentis speciei sæpissime confusa sunt, etiam ab Ornithologis recentissimis. Bechst. l. c. p. 286 et Meyer l. c. p. 203 *Tringam littoream* Fn. Sv. cum *Tringa*

Ochropo conjungunt. Sed *Tringam littoream* Faunæ Svecicæ n. 185 non ad *Ochropum* sed ad *Glareolam* pertinere, cuique descriptionem in Fauna perlegenti, ut videtur, perspicuum erit "*Tectrices inferiores alæ exalbidæ lineis transversis cinereis; Remiges secundariæ apice albescunt; Remex primus rachi nivea gaudet*" &c. excellenter in hanc, minime vero in *Ochropum* quadrant. *Tringa littorea* Otto l. c. p. 24. cum fig. est junior *Totanus Pugnax*.

OBSERVATIO. 2.

Tringam Glareolam Retz. Fn. p. 186. n. 155. quæ a plerisque ad hanc jam descriptam speciem ducitur, citare equidem non potui; Plurima enim hujus descriptionis ex Lechei *Halfenkel Beckasin* (in Adversariis) deprömta sunt, et ut perspicuum est, ad *Scolopacem Gallinulam* pertinent.

DESCRIPTIO.

Long. $7\frac{6}{8}$ - 7 poll. Alæ extensæ $15\frac{6}{8}$; Rostr. $1\frac{1}{8}$; A flexura alæ ad apicem 5; cauda 2 poll. Nuda pars femoris $\frac{6}{8}$; Tibiæ $1\frac{1}{2}$; Digit. med. $1\frac{2}{8}$; postic. $3\frac{1}{8}$ poll.

Rostrum gracile, rectum, subteres, nigrum, basi subtus virescente. Maxilla superiore aliquantum longiore, apice parum inflexo. Iris fusca. Pedes flavescenti-virides. Digitus extimus intermedio membrana basi junctus.

Caput supra, Dorsum, Scapulares et alarum tectrices fusca maculis albis plerumque triquetris ad margines pennarum. Collum supra fuscum striis longitudinalibus albis. Fascia alba supra oculos. Lora fusca. Genæ, latera colli, collum antice et superior pars pectoris alba maculis fuscis numerosissimis. Latera pectoris alba striis transversis fuscis. Ceterum pectus, abdomen, crissum et uropygium alba, immaculata. Tectrices caudæ superiores albæ, longiores maculis apice fuscis. Remiges saturate fuscæ, primæ rachis

E 2

nivea; secundariæ albo marginatæ latere interiore maculis albis obsolete fasciato; intimæ longæ, molles, colore dorsi maculis margine triquetris, albis. Tectrices alarum inferiores albæ maculis transversis fuscis. Cauda cum alis complicatis æqualiter extenditur. Rectrices mediæ binæ longiores, acutæ; laterales (I - I. 2-2.) albæ maculis quinque fuscis in latere exteriore; ceteræ fasciis albis et fuscis alternis. Tectrices inferiores longitudine Rectricum, albæ lineis et maculis fuscis.

Avis junior: Maculæ superiorum partium rufescentes; collum antice et pectus superius cinerascenti - fusco nebulosa.

OBSERVATIO.

Dignoscitur hæc Species ab antecedenti, quacum sæpius confusa fuit: *Colore Tectricum alarum inferiorum; rachi primæ Remigis nivea; Remigibus secundariis albo cinctis; Rectricibus duabus mediis longioribus acutis; Tectricibus caudæ inferioribus maculatis &c.*

HISTORIA.

Habitat in paludibus sylvaticis, pratisque depressis passim. Nidulatur non minus in Scania quam in superiore Svecia et in Norvegia. Ova vero nondum inveni.

CLXXI. TOTANUS HYPOLEUCOS, *mihi.*

Diagn: Supra fusca olivaceo nitens rachibus striisque transversis nigris; subtus alba collo cinerascente lineis fuscis. Remiges plurimæ macula magna alba in medio lateris interioris.

SYNONYMA.

Tringa Hypoleucos, Lin. Fn. Sv. p. 65. n. 182. Retz. Fn. Sv. p. 188. n. 157. Lin. Syst. I. p. 250. Lath. II. p. 734. n. 28. Gmel. Syst. I. 2. p. 678.

Tringa Canutus, Lin. Fn. Sv. p. 65. n. 183. Retz. Fn. p. 189. n. 158. (Descriptio bona).

La Guignette, Buff. Ois. VII. p. 540. Vers. Germ. Otto XXVII. p. 77. cum fig.

Petite Alouette de mer, Pl. enl. 850.

Common Sandpiper, Pen. Br. Zool. II. p. 470. n. 204. t. 71. Lath. Syn. V. p. 178. Vers. Germ. V. p. 148.

Trillernder Strandläufer, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 295. Meyer l. c. p. 204.

Svecis: Strandsittare.

OBSERVATIO. I.

Tringam Canutum Lin. Fn. Sv. et Retz. Fn. ad hanc Speciem pertinere ex Descriptione liquet. *Tringa Canutus* vero Lin. Syst. Nat. et ceterorum auctorum longe alia est avis. Vide Art. *Tringa ferruginea jun.*

OBSERVATIO. 2.

Bechstein l. c. p. 302, et Meyer l. c. p. 204. nomine *Tringæ Cincli* hanc Speciem describunt et Linnæum citant, sed temere. *Cinclus* enim Linnæi, ut infra monstrabo, longe alia est, numquam cum hac Specie confundenda, Avis. Vide Art. *Tringa Cinclus.*

DESCRIPTIO.

Longit. 7½ poll. Rostrum 1⅛; alæ extensæ 1 ped. 1⅗ poll. A flexura alæ ad apicem 4½ poll. Cauda 2⅝, Tibiæ 1 poll. Digit. med. 1 poll. postic. ⅝ poll.

Rostrum tenue, rectum, tereti-compressum, griseum apice nigro, maxillis fere æqualibus apice aliquantulum inflexis. Pedes virescenti-cinerei. Digitus extimus intermedio membranâ junctus ad primam articulationem.

Caput, Dorsum, Scapulares et tectrices alarum caudæque superiores griseo-fusca viridi nitentia; in capite et dorso antico striis longitudinalibus fuscis ad raches; in dorso postico, alarum caudæque tectricibus et in uropygio striis quoque transversis nigro-fuscis. Stria parva alba a rostro super oculos, aliaque fusca inter rostrum et oculum. Gula, pectus et abdomen alba immaculata. Collum inferius antice album, lineis longitudinalibus, brevibus, fuscis. Remiges nigro-fuscæ, primæ immaculata rachi pone apieem albicante; 2-10 maculâ alba in medio vexilli interioris; 11-18 in medio et apice albæ; intimæ longæ, molles, colore dorsi. Cauda cuneato-rotundata. Rectrices mediæ qvatuor colore dorsi striis transversis fuscis; ceteræ albæ nigro fasciatæ apice albo. Tectrices alarum inferiores albæ, ad flexuram alæ fusco maculatæ.

Junior: Fasciæ nigræ pone apices pennarum dorsi angustiores sunt et fimbriis lutescentibus marginatæ. Collum antice cinerascens lineis fuscis vix conspicuis. Rectrices mediæ fasciis nigricantibus destitutæ.

HISTORIA.

Habitat ad lacus, fluvios, stagna aliasque aquas dulces ubique frequens. In littoribus marinis raro obvenit. Ad nos venit fine mensis Aprilis. Caudam Motacillæ instar motitat. Ova 4-5 pallida, luteo-virescentia, punctis et maculis fuscis adspersa, præsertim in extremitate crassiore.

CLXXII. TOTANUS PUGNAX *).

Diagn: Rostrum pone apicem depresso-incrassatum. Ungues longi, acuti. Remiges fuscæ vel nigræ rachibus albis, tectricibus minoribus fusco-cinereis. Rectrices cinereæ, laterales tres immaculatæ. Abdomen et crissum alba.

Mas vere: Papillis faciei granulatis, carneis, et collari e pennis longis ornatur.

Femina vere: Grisea maculis nigris.

Avis Autumno: Supra nigra marginibus pennarum ferrugineis. Collum et pectus cinerascentia, rufescenti tincta. Fascia alarum obliqua alba.

SYNONYMA.

Tringa pugnax, Lin. Faun. Sv. p. 62. n. 175. Retz. Faun. p. 179. n. 147. Syst. Nat. I. p. 247. n. I. Gmel. Syst. I. p. 669. Briss. V. p. 240. 18. t. 22. f. I. 2. Lath. Ind. II. p. 725.

Combattant ou Paon de mer, Buff. VII. p. 521. t. 29. Pl. enl. 305. 306. Vers. Germ. Otto XXVII. p. 34 cum fig.

Ruff and Reeve, Pen. Br. Zool. II. p. 457. n. 192. t. 69. Arct. Zool. II. p. 479. A. Lath. Syn. V. p. 159. I. Vers. Germ. V. p. 131.

---

*) Hæc avis quasi in medio est inter *Totanos* et *Tringas*. Habitus enim *Totani* est; forma rostri *Tringæ*. Magis vivax est *Tringis*, minus fortasse *Totanis*, si marem verno tempore exceperis. Cum *Tringis* non bene jungitur; probius cum *Totanis*. Forte vero rectius proprium constituat genus.

Kämpfender Sandläufer, Beshst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 266. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 201.

Avis habitu autumnali et junior:

Tringa grenovicensis, Lath. Ind. II. p. 731. n. 16.

Tringa rufescens, Bechst. l. c. p. 332.

Totanus cinereus, Briss. Orn. V. p. 203. t. 17. f. 2.

Chevalier varié, Buff. Ois. VII. p. 517. Pl. enl. 300. (junior).

Tringa variegata, Brünn. Bor. p. 54. n. 181.

Femina senior:

Chevalier Commun, Buff. Ois. VII. p. 511. Pl. enl. 844. Vers. Germ. Otto XXVII. p. 7. fig.

Svecis: Brushane.

DESCRIPTIO.

Mas major feminâ. Longit. 12-13 poll. Alæ extensæ 2 ped. Rostr. $1\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem $7\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{1}{2}$ poll. Nuda pars femoris $1\frac{1}{2}$ poll. Tibia $2\frac{1}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{1}{8}$ poll. postic. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum rectum basi compressum, pone apicem depresso-incrassatum. Colore variat jam fusco, jam carneo, jam luteo, apice nigro, basi subtus colore pedum. Iris fusca. Pedes longi, jam aurantii, jam crocei, jam viridi-lutei et juniorum autumno viridi-cinerei. Digiti margine serrati; extimus intermedio membrana connexus ad primam articulationem. Ungues nigri, compressi, longiores et acutiores quam in congeneribus.

Mas *vernali et æstivali habitu:*

Facies papillis granulosis carneis, et collum ornatur collari e pennis longis utrinque divergentibus.

Variat coloribus ita ut inter magnum numerum vix duo sibi perfecte similes inveniantur. His tamen notis omnes fere conveniunt: Remiges sunt fuscæ vel nigricantes rachibus albis. Tectrices alarum fusco-cinereæ. Rectrices cinereæ intermediis pone apicem maculis vel fasciis nigris, lateralibus immaculatis. Abdomen et crissum alba. Præterea innumeræ obveniunt varietates; sunt tamen præcipuæ:

a) Corpore nigro, nitore violaceo vel purpureo. Collo antice undulis ferrugineis. Dorsi pennis griseo-marginatis.

b) Collari ferrugineo undulis nigricantibus, corpore supra nigro maculis ferrugineis et albis.

c) Collari albo undulis nigricantibus; Dorso fusco ferrugineo et albo immixtis.

d) Collari albo, Dorso et pectore nigris æneo nitentibus.

FEMINA minor, 10 poll. longa. Alæ extensæ 19½ poll.

Habitu æstivali. Rostrum nigricans. Pedes olivaceo-lutei.

Corpus supra pallide griseum maculis nigris, (singula penna nigra margine pallide vel rufescenti-griseo). Collum antice et latera pectoris rufo-cinerascentia pennis nigris immixtis. Abdomen et crissum alba. Remiges saturate fuscæ rachibus albis, latere interiore versus basin albo-cinereæ, secundariæ cinereo-fuscæ apicis margine exteriore albo. Rectrices fusco-cinereæ, laterales pallidiores apice albido marginatæ.

Avis habitu autumnali:

Rostrum nigricans basi subtus et pedibus jam virescenti-luteis jam viridi-cinereis.

Caput supra rufum striis nigris. Collum postice, Dorsum et Scapulares nigra marginibus pennarum ferrugineis. Facies grisco-alba punctis fuscis. Gula

sordide alba immaculata. Jugulum et pectus superius pallide cinerea rufescenti tincta. Pectus, abdomen, crissum, tectrices inferiores caudæ et laterales superiores alba. Remiges nigricantes rachibus albis, secundariæ albo marginatæ, intimæ colore dorsi; tectrices alarum saturate cinereæ, mediæ pallide-ferrugineo marginatæ, majores apice albæ. Rectrices fusco-cinereæ, laterales tres apice albo marginatæ, ceteræ apice testaceo maculis vel fasciis nigris.

HISTORIA.

Habitat in pratis depressis paludosis et uliginosis per totam Scandinaviam tam in Scania quam in Lapponia passim frequens. E migratione jam initio mensis Aprilis redeuntes, de feminis inter se vehementer pugnant mares. Femina 3-4 fovet ova griseo-alba rufo maculata. Pullis educatis plures familiæ associatæ itinera versus australes terras instituunt. Hoc tempore maximis gregibus haud raro obveniunt in littoribus nostris marinis*).

*) Intra circulum arcticum adhuc medio mensis Augusti (1816) degens, prima hæc erat avis, quam e Septentrione versus meridiem gregatim tendentem observabam.

GENUS.

VANELLUS *).

Rostrum capite brevius, tenue, compresso-teres, pone apicem acutum, compresse-incrassatum.

Nares lineares, laterales.

Pedes Tibia digito medio longior. Digitus extimus medio membrana a basi ad primam articulationem connexus. Posticus brevis elevatus.

Caput crassum fronte elevata.

CLXXIII. VANELLUS CRISTATUS, *Bechst.*

DIAGN: Caput cristatum et collum antice nigrum. Dorsum obscuro-viride. Cauda nigra, medietate interiore, abdomine et pectore albis.

SYNONYMA.

Tringa vanellus, Lin. Faun. Sv. n. 176. Syst. Nat. I. p. 248. n. 2. Retz. Faun. p. 180. n. 148. Gmel. Syst. I. p. 670. 2. Lath. Ind. II. p. 726. n. 2. Briss. V. p. 94. I. t. 8. f. I.

Le Vanneau, Buff. Ois. VIII. p. 48. t. 4. Pl. enl. 242. Vers. Germ. Otto XXVIII. 5. cum fig.

---

*) In serie naturali proxime ad *Charadrios* accedit hoc Genus.

Lapwing, Br. Zool. II. n. 190. Arct. Zool II. p. 480. D. Lath. Syn. V. p. 161. n. 2. Vers. Germ. Bechst. V. 133.

Vanellus cristatus, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 346. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 211.

Svecis: Wipa, Toppwipa.

DESCRIPTIO.

Long. 12½-13 poll. Alæ extensæ 2. ped. 5 poll. A flexura alæ ad apicem 9 poll. Rostr. 1 poll. Cauda fere 4 poll. Nuda pars femoris ⅝ poll. Tibia 2 poll. Digit. med. cum ungue 1⅜ poll. postic. ⅜ poll.

Rostrum nigrum. *Oculi* magni prominentes iridibus avellanis. *Pedes* incarnati unguibus nigris. *Digiti* marginati, extimus medio ad primam articulationem membranâ connexus.

Crista occipitis 3-4 pollicaris e pennis elongatis tenuibus, dependens, apice adscendens. Vertex, crista, frons, genæ et collum antice a gula ad sternum nigra. Supra oculos stria alba nigro immixto, et sub oculis stria nigra. Latera capitis de cetero, et colli alba. Dorsum et Scapulares obscure viridia, nitentia pennis purpureis ad latera insertis. Uropygium saturatius viridi-fuscum, in purpureum inclinans. Tectrices alarum atro-virides chabybeo colore nitentes. Remiges nigræ, extimæ tres vel qvatuor pone apicem albidæ; secundariæ basi albæ; intimæ colore dorsi. Tectrices inferiores Remigum secundariarum albæ; primarum nigræ. Pectus et abdomen alba. Crissum et tectrices caudæ inferiores pallide rufescentia. Cauda æqualis exteriore medietate nigra, interiore alba apice pallido, rectricibus extimis albis jam immaculatis, jam macula nigra in latere interiori pone apicem. Tectrices caudæ superiores proximæ, rufæ.

FEMINA dignoscitur crista breviore, gulâ et jugulo albo maculatis.

JUNIOR: Rostrum nigrum. Pedes fusco-virides. Pileus nigro-viridis crista brevi vix pollicari. Gula et jugulum alba. Latera capitis sordide albida. Stria sub oculis nigra. Initium pectoris nigrum. Dorsum et Scapulares obscure viridia nitentia, marginibus pennarum sordide luteis; alarum tectrices insuper obscuriores pennis subpurpureis immixtis. Cetera antecedentis.

HISTORIA.

Habitat in pratis depressis et palustribus; in campestribus quam sylvaticis locis longe frequentius obvenit. In Scania campestri copiose. In Hallandia rarius. In provinciis superioris Sveciæ vix umquam obvenit. Mature ex migrationibus redit jam circa vigesimum diem Mensis Februarii. Victitat Insectis, vermiculis et testaceis. Nidulatur in pratorum grumulis. Ova 3 - 4 olivacea maculis majoribus minoribusque nigris, in extremitate crassiore confluentibus.

CLXXIV. VANELLUS MELANOGASTER, *Bechst.*

DIAGN: Supra nigricans maculis transversis albis. Subtus nigra (senior); vel alba pectore griseo nebuloso (junior). Cauda alba fasciis nigris. Pennæ axillares longæ, nigræ.

SYNONYMA.

Vanellus Melanogaster, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 356. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 212

Senior:

Tringa Helvetica, Lin. Syst. I. p. 250. n. 12. Gmel. Syst. I. p. 676. Lath. Ind. II. p. 728. n. 10.

Vanellus Helveticus, Briss. V. p. 106. 4. t. 10. f. 1.

Vanneau de Suisse, Buff. VIII. p. 60. Pl. enl. 853. Vers. Germ. Otto XXVIII. p. 25 et 30. cum fig.

Swiss Sandpiper, Arct. Zool. II. p. 396. Lath. Syn. V. p. 167. 10. Sup. p. 248. Vers. Germ. V. 138.

Junior:

Tringa Varia, Lin. Syst. I. p. 252. Gmel. Syst. I. p. 682.

Tringa Squatarola, Gmel. Syst. I. p. 682. Lath. Ind. II. p. 729. Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. p. 360.

Vanellus griseus, Briss. V. p. 100. 2. t. 9. f. 1.

Vanneau Pluvier, Buff. VIII. p. 68.

Vanneau Gris, Pl. enl. 854. Otto XXVIII. p. 50-58.

Vanneau Varié, Pl. enl. 923.

Grey Sandpiper, Br. Zool. II. p. 456. n. 191. Lath. Syn. V. p. 168. n. 11. Sup. p. 248. Vers. Germ. V. p. 139. n. 11. cum var. A.

OBSERVATIO.

Tringa Squatarola, Lin. Faunæ n. 186. huc non pertinet. Descriptio enim a Domino *Leche* recepta est sed nimis mutilata. Domini Lechei *Augusti Snäppa* a Linneo citata, est *Limosa Rufa* habitu autumnali, quæ in Lechei Adversariis hoc ipso nomine complete descripta invenitur. Hæc quoque nota in Fauna "*Pedes incisuris transversis*," ostendit Linnei avem non ad *Vanellos* pertinere.

DESCRIPTIO.

Longit. circa 11 poll. Rostr. $1\frac{2}{8}$; A flexura alæ ad apicem 8 poll. Cauda 3 poll. Nuda pars femoris

fere I poll. Tibia 2 poll. Digit. med. $1\frac{3}{8}$, posticus brevissimus.

Rostrum nigrum. *Iris* fusca. *Pedes* obscure grisei reticulati. *Digiti* marginati, exteriore intermedio membranâ connexo ad primam articulationem. Digitus posticus brevissimus, vix nisi rudimentum digiti ungue minutissimo armatum.

MAS *senior habitu vernali:*

Caput supra et Cervix griseo-albida fusco-maculata. Gula, latera capitis inferiora, jugulum, pectus et abdomen nigra. Frons alba dimittit fasciam concolorem supra oculos ad latera colli et pectoris. Crissum et tectrices caudæ inferiores alba. Dorsum, Scapulares et tectrices alarum nigricantia apicibus pennarum albis, unde maculæ transversæ albæ. Remiges primores nigræ rachibus albis, latere interiore à basi albo; in qvinta oritur macula in medio juxta rachin alba, quæ in octava &c. ad marginem exteriorem extenditur; secundariæ cinereo-fuscæ margine albæ. Tectrices inferiores albæ axillaribus elongatis nigris. Cauda æqualis; Rectricibus albis nigro-fusco transversim fasciatis; exterioribus albis latere exteriore tantum maculatis.

Femina senior:

Caput supra, cervix et dorsum griseo-fusca et nigricantia apicibus pennarum albis. Tectrices alarum griseæ albo maculatæ et marginatæ. Frons, supercilia, crissum et latera colli pectorisque alba. Gula, jugulum et pectus nigricantia pennis albis inspersis. Tectrices caudæ superiores albæ apicem versus fusco fasciatæ.

AVIS *habitu autumnali:*

Caput supra et Dorsum fusca maculis albis vel luteo-albidis. Frons, genæ et gula alba immaculata. Sub-

tus alba collo antice griseo-fusco striato et nebuloso. Pennæ axillares elongatæ nigræ. In Ceteris similis antecedenti.

HISTORIA.

Æstivat in Regionibus borealibus; autumno Scaniam transmigrans in littoribus marinis rarius obvenit. In omnibus fere cum *Charadrio Aurato* convenit. Differt tamen digito postico, quamvis brevissimo.

SECTIO II.

Tibiis et parte nuda femorum brevioribus; digitis ad basin plane fissis.

GENUS.

MORINELLA.

Rostrum capite brevius, durum, rectum, basi robustiusculum, compressum, apice teres acuminatum.

Nares oblongæ, patulæ, superne membrana semitectæ.

Pedes breves; tibia longitudine digiti medii; digitis plane fissis.

CLXXV. MORINELLA COLLARIS, *Mey.*

DIAGN: Facies alba. Collare nigrum. Cauda nigra, medietate interiore et apice alba. Pedes aurantii; Rostrum nigrum.

SYNONYMA.

Morinella Collaris, Meyer Vögel Liv. Esthl. p. 210.

Tringa Interpres, Lin. Fn. Sv. n. 178. Syst. Nat. I. p. 248. Itin. Gottl. p. 217. Retz. Fn. Sv. 182. n.

150. Lath. Ind. II. p. 738. n. 45. Gmel. Syst. I. p. 671.

Tournepierre, Buff. Ois. VIII. p. 130. t. 10. vers. Germ. Otto XXVIII. p. 236. cum 4 figg.

Coulon-Chaud, Pl. enl. 856.

Hebridal-Sandpiper, Pen. Br. Zool. II. p. 467. n. 200.

Turnestone, Br. Zool. l. c. n. 199. Edw. t. 141. Lath. Syn. V. p. 188. 37. Sup. p. 249. et p. 190. n. 37. var. A.

Steindrehender Sandlaüfer, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I. Abth. p. 335.

Gottlandis: Tolk.

DESCRIPTIO.

Long. 9 poll. Alæ extensæ 19 poll. Rostr. $\frac{7}{8}$; A flexura alæ ad apicem 6 poll. Cauda fere $2\frac{1}{2}$ poll. Tibia 1. Digit. med. 1 poll. postic. fere $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum nigrum basi fuscescens. Iris brunnea. Pedes aurantii unguibus nigris.

Frons, genæ et tempora alba. Vertex nigricans marginibus pennarum griseis vel albis. A basi rostri superne ad oculos stria nigra; sub oculis macula nigra demittit fasciam, quæ jungitur in jugulo. Gula alba. A jugulo nigro fascia nigra, instar collaris, collum cingit; Cervix, sub hoc, alba. Collum antice usque ad sternum, nigrum pennis albis immixtis. Dorsum anticum et scapulares superiores nigræ maculis fuscis et ferrugineis; Scapulares inferiores niveæ. Dorsum posticum et tectrices caudæ proximæ albæ; tectrices caudæ breviores nigræ. Pectus, abdomen, crissum, tectrices alarum et caudæ inferiores alba. Remiges nigricantes latere interiore a basi albæ; a sexta omnes latere exteriore usque ad medium albæ; quæ albedo ita

angetur ut 18-19. fere totæ sint albæ. Remiges tertii ordinis elongatæ, colore dorsi; tectrices minores fuscæ marginibus pallidioribus; tectrices proximæ nigricantes apice et latere interiore albæ. Cauda æqualis; rectrices nigræ, medietate interiore et apice albæ; extima alba maculâ nigrâ in latere interiore pone apicem.

Femina dignoscitur coloribus minus vividis; Caret quoque maculis ferrugineis dorsi et scapularium.

HISTORIA.

Habitat in insulis et litoribus maris Balthici, non minus quam in insulis maris Norvegici usque ad circulum arcticum, passim. Nidulatur in arena. Ova 3-4. cinereo-virescentia maculis fuscis.

GENUS.

TRINGA, *mihi.*

Rostrum mediocre (capite aliquantum longius vel brevius), subteres, tenue, debile, apice depresse-incrassato, recto vel parum incurvato.

Pedes breves, digitis usque ad basin fissis.

FAMILIA Ima.

Rostrum rectum capite fere longius, apice incrassaso. Cauda æqualis.

CLXXVI. TRINGA FERRUGINEA, *Mey.*

Senior habitu æstivali:

DIAGN: Supra nigricans maculis ferrugineis, subtus ferruginea. Cauda æqualis cinerea. Rostrum rectum.

SYNONYMA.

Tringa ferruginea, Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 207.

Tringa Islandica, Lin. Syst. Nat. XII. I. addend. Lath. Ind. II. p. 737. n. 39. (Synonyma cun Tr. subarquata confusa) Gmel. Syst. I. p. 682. n. 24.

Red Sandpiper, Pen. Brit. Zool. II. p. 469. n. 202. t. 72. Arct. Zool. II. n. 393.

Le Vanneau gris de fer, Ascanius Icon. rer. Nat. I. p. 7. t. 9. (fig. bona).

DESCRIPTIO.

Longit. avis 10 poll. Rostr. $1\frac{3}{8}$; a flexura alæ ad apicem $6\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{3}{8}$ poll. Nuda pars femoris $\frac{1}{2}$ poll. Tibia $1\frac{3}{8}$ poll. Digit. med. 1 poll. postic. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, rectum, basi compressum, apice obtusum aliquantum incrassatum. Iris fusca. Pedes breves, nigri, digitis ad basin fissis.

Caput supra et cervix fusca marginibus pennarum ferrugineis. Dorsum et Scapulares nigro-fusca marginibus pennarum griseis et ferrugineis, maculisque rotundatis ferrugineis; præsertim in pennarum scapularium marginibus pone apicem albidum per paria positis.

Uropygium et tectrices caudæ superiores alba l. ferruginea tæniis transversis fuscis. Tectrices alarum cinereo-fuscæ, proximæ juxta apicem albo marginatæ. Remiges *primores* nigro-fuscæ latere interiore cinerascentes rachibus albis; 4-6 margine exteriore a basi albæ: *secundariæ* cinereo-fuscæ albo latius marginatæ. Tectrices inferiores albæ. Cauda æqualis, cinerea, Rectricibus extimis tenuiter albo marginatis. Tota avis subtus ferruginea, striis paucis (interdum nullis) transversis fuscis in pectore. Crissum albidum, ferrugineo tinctum, striis transversis fuscis.

Var. A. forte junior: Latera capitis, gula, collum antice, pectus et abdomen pallidius ferruginea maculis albis in pectore et abdomine inspersis. Latera fusco maculata. Crissum album striis fuscis.

Avis habitu hiemali:

Diagn: Supra cinerea lineis semilunaribus nigris et albidis; subtus alba pectore cinerascente, plerumque maculato. Cauda cinerea tectricibus superioribus albis, nigro fasciatis.

SYNONYMA.

Tringa cinerea, Brün. Orn. bor. p. 53. n. 179. Retz. Faun. p. 191. n. 162. Lath. Ind. II. p. 733. n. 25. Gmel. Syst. I. p. 673.

Ashcolored Sandpiper, Pen. Brit. Zool. II. p. 462. n. 194. Arct. Zool. II. n. 386. Lath. Syn. V. p. 177. n. 22. vers. Germ. V. p. 148.

Tringa grisea, Gmel. Syst. I. p. 681. Lath. Ind. II. p. 733. n. 23. Retz. Faun. p. 191. n. 161.

Calidris grisea, Briss. V. p. 233. 16. t. 21. f. 2.

Maubeche grise, Buff. VII. p. 531. Pl. enl. 366.

Grisled Sandpiper, Lath. Syn. V. p. 175. 20.

OBSERVATIO.

Tringa Canutus, Gmel. Syst. I. 2. p. 679. (Descr.) huc pertinere videtur, sed *Tr. Canutus* Lin. Fn. Sv. ad *Totanum Hypoleucum*, ut supra ostendi, est referenda. *The Knot* Penn. Br. Zool. II. p. 461. sine dubio ad hanc speciem pertinet, sed Synonymia est cum *Tringa maritima* confusa. In Willughby orn. (angl.) p. 302, Artic. *Knot*, nostra avis melius descripta est.

DESCRIPTIO.

Pileus saturate fuscus marginibus pennarum cinereis s. albidis. Cervix cinerea striis fuscescentibus. Dorsum, scapulares et tectrices alarum minores cinerea; lineâ nigrâ singulam pennam cingente intra marginem albidum. Subtus avis alba pectore cinerascente,

immaculato vel maculis parvis fuscescentibus adsperso. Remiges primores nigricantes, latere interiore versus basin cinereo-albæ rachibus albis; secundariæ cinereo-fuscæ; omnes a quarta margine exteriore albo. Tectrices proximæ remigum primorum nigræ apice albo marginatæ; Tectrices proximæ remigum secund. cinereæ apice albæ. Cauda æqualis, cinerea,. Rectricibus intra marginem tenuem albidum linea fusca fimbriatis. Tectrices caudæ superiores albæ maculis transversis vel fasciis nigris.

A. JUNIOR: Supra sordide cinerea marginibus pennarum luteis; subtus alba pectore fusco maculato, sordide luteo leviter tincto.

HISTORIA.

Habitat æstate in regionibus arcticis Sveciæ et Norvegiæ. In paludibus et juxta lacus interiorum regionum nuptias celebrat. Autumno abiens et vere rediens littora marina frequentat. Haud timida est. Vescitur vermibus et insectis. Caro sapida.

FAMILIA. II^da^.

Rostrum capite longius, apice incurvatum, subdepressum. Rectrices intermediæ binæ longiores, acuminatæ.

CLXXVII. TRINGA MARITIMA, *Brünnichii.*

DIAGN: Supra nigricans marginibus pennarum albis vel cinereis. Caput et collum usque ad sternum saturate cinerea. Rectrices laterales tres cinc-

reæ margine albo; intermediæ cum uropygio nigræ, immaculatæ. Rostri basis et pedes viridi-lutei.

SYNONYMA.

Tringa maritima, Brünn. Orn. bor. p. 54. n. 182. Lath. Ind. II. p. 731. n. 18. Gmel. Syst. I. 2. p. 678. Transact. Lin. Soc. IV. p. 22.

Tringa striata, Retz. Fn. Sv. p. 182. n. 151. Fabric. Fn. Groenl. p. 107. Zool. Dan. t. 122. vol. IV. p. 2. (In synonymia confusa est cum *Tot. Calidri*).

Selninger Sandpiper, Lath. Syn. V. p. 173. n. 15. Arct. Zool. II. p. 480.

Fjöre Pist, Ström. Act. Nidros. III. p. 440. t. VII. Leem. Lapp. p. 254. not. 103.

Fjærekurv, Pontopp. Nor. Nat. Hist. vers. Germ. II. p. 138.

OBSERVATIO.

Cel. Retzius l. c. nostram avem descripsit; Diagnosis vero, quam dedit ad *Tringam striatam* Lin. Syst. Nat. I. p. 248, pertinet. Hæc vero Linneana avis ad Totanum striatum Brissonii, cum *Totano Calidri* nostro identicum, est referenda.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 8 poll. Alæ extensæ 15 poll. Rostr. 1$\frac{2}{8}$; A flexura alæ ad apicem 5 poll. Cauda 2$\frac{2}{8}$; Tibia $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. 1 poll. Digit. postic. $\frac{2}{8}$ poll.

Rostrum tenue subteres, basi compressum, apice obtusum aliquantulum incrassatum, fusco-nigrum, basi supra et subtus viridi-luteum. Nares juxta basin

rostri, parvae, lineares. Os intus pallidum. Pedes viridi-lutei unguibus fuscis.

Caput et collum supra saturate cinerea maculis in vertice nigris. Latera capitis et collum antice saturate cinerea marginibus pennarum versus sternum albis. Palpebræ albæ, a rostro ad oculum stria saturatior fusca supra quam *(interdum)* stria alba. Gula albida. Dorsum, scapulares et alarum tectrices nigra vel nigro-fusca marginibus pennarum cinereis vel albis, unde, præsertim alæ, supra undulatæ. Uropygium et tectrices caudæ superiores nigræ, vix apice albidæ. Pectus et abdomen alba maculis cinereo-fuscis majoribus præsertim ad latera pectoris. Crissum et tectrices caudæ inferiores alba striis longitudinalibus fuscis. Remiges nigræ latere interiore in cinereum vergente rachibus albis. Primores usque a quarta margine tenui albo cinguntur; sequentes ad basin albescunt, quæ albedo ita in secundariis augetur ut 16-18 fere sint totæ albæ; intimæ tres longæ colore dorsi. Tectrices proximæ apice latius albæ; unde linea obliqua alba in ala composita oritur. Tectrices inferiores albæ maculis juxta marginem alæ cinereo-fuscis. Rectrices 1. 2. 3. æquales cinereæ margine albo; 4. 5. aliquantum longiores fuscæ margine albido; 6. 6. nigro-fuscæ immaculatæ.

OBSERVATIO.

Variat pro anni tempore. Æstate minus striata, nam corpus supra pallidius est, marginibus pennarum obsoletioribus; pectus et abdomen albiora minusve maculata. Junior avis maculas habet minutas testaceas in vertice et interscapulio hinc inde sparsas.

HISTORIA.

Incolit boreales Scandinaviæ plagas. Per æstatem degit in littoribus lacuum et interiorum maris sinuum

ex. gr. Finmarkiæ et Lapponiæ ubi nidulatur sub fine M. Maji et initio Junii. "Ova 4-6 pallida maculis obscuris altera extremitate attenuata" (Fabr.). Autumno et hieme littora maris exteriora et insulas plerumque gregaria frequentat. Littora scopulosa et ardua tunc temporis amat, ubi in saxis innumeræ Lepades, aliaque animalcula marina inter fucos degunt. Regionem illam præcipue incolit quæ adfluente mari inundatur, refluente denudatur *(fjære Norvegis)* unde in Norvegia *fjære muus* appellatur. Parum timida. Evolans sonum *plyt! plyt!* repetit, unde nomen *fjære plyt*. Caro sapida.

CLXXVIII. TRINGA ALPINA, *Lin.*

DIAGN: Supra nigra marginibus pennarum ferrugineis. Subtus albida maculis nigris in pectore (plerumque) confluentibus. Cauda cinerea. Rectricibus binis mediis longioribus, acuminatis, fuscis. Rostrum et pedes nigri.

SYNONYMA.

Tringa Alpina, Lin. Faun. Sv. p. 64. n. 181. Retz. Faun. p. 185. n. 153. Olafs. Itin. Isl. p. 581. t. 41. Lin. Syst. Nat. I. p. 249. n. II. Gmel. Syst. I. p. 676. Lath. Ind. II. p. 736. n. 37. Bechst. Nat. D. 2 Aufl. 4 B. I. Abth. p. 323. t. 28. f. I.

Cinclus Torquatus, Briss. orn. V. p. 216. n. 11. t. 19. f. 2.

Le Cincle, Buff. Ois. VII. p. 553. Pl. enl. 852.

L'Alouette de mer, Buff. Ois. VII. p. 548. Pl. enl. 851. vers. Germ. Otto XXVII. p. 105. cum fig.

La Brunette, Buff. Ois. VII. p. 439.

Dunlin, Pen. Brit. Zool. II.⁴ p. 471. n. 205. Arct. Zool. II. n. 391. Lath. Syn. V. p. 185. 33. Id. Sup. p. 249.

Veränderlicher Brachvogel, Bechst. l. c. p. 140. (in Descriptione cum sequente confusa).

Tringa variabilis, Mey. V. Liv. u. Esthl. p. 208.

OBSERVATIO.

Hæc species *Tringa Variabilis* a cel. Bechstein appellatur, quia mutationum hujus et sequentis speciei hanc solam accusat. Non vero magis est variabilis quam plurimæ congeneres. Nomen itaque Linnæanum cum alio non magis apto mutare, non æquum duxi.

DESCRIPTIO.

Longit. $7\frac{2}{8}$-$7\frac{6}{8}$ poll. Alæ extensæ $13\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $1\frac{2}{8}$; A flexura alæ ad apicem $4\frac{3}{8}$; Cauda $1\frac{6}{8}$; Tibiæ 1. Digit. med. $\frac{7}{8}$; postic. vix $\frac{2}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, tenue, subteres, basi compressum, versus apicem aliquantum incurvum, depressum, obtusum. Nares lineares, juxta basin rostri. Iris fusca. Pedes nigro-fusci.

Habitu vernali:

Caput supra, Dorsum et scapulares nigra, marginibus pennarum ferrugineis præcipue in Scapularibus latis et irregularibus. Facies albida striis minutis et punctis fuscis adspersa. Collum antice album (ferrugineo interdum tincto) maculis parvis numerosis nigris. Pectus album maculis magnis nigris, sæpe confluentibus. Abdomen, crissum, Hypochondria, Tectrices caudæ inferiores et laterales superiorum alba immaculata. Tectrices alarum cinereo-fuscæ marginibus pallidioribus, rachibus saturatioribus; proximæ apice albæ. Remiges nigro-fuscæ latere interiore a basi cinereo-

albæ; 5-8 margine exteriore albo; secundariæ latere interiore a basi et margine exteriore apicis albæ; intimæ tres elongatæ, acuminatæ, cinereo-fuscæ. Uropygium et tectrices Caudæ superiores mediæ, nigrofusca, immaculata. Rectrices 1-5 æquales, pallide cinereæ, vel potius albido-fuscescentes; 6. 6. longiores, acuminatæ, saturate fuscæ.

Habitu autumnali:

Vertex niger marginibus pennarum rufis. Cervix cinerea striis fuscis. Dorsum et Scapulares cinerea, pennis nigris ferrugineo marginatis, hinc inde insertis. Corpus subtus album pectore sordido, maculis parvis fuscis.

HISTORIA.

Habitat in paludibus, tum camporum Scaniæ, tum Alpium Lapponiæ passim frequens. In Scaniam advenit juxta finem mens. Martii. Nidulatur inter gramina. Ova 4. pallide virescentia maculis brunneis et nigris extremitate crassiore majoribus adspersa. Avis haud timida. Autumno dimigrans in litoribus marinis gregaria obvenit.

CLXXIX. TRINGA SUBARQUATA*).

DIAGN: Supra nigra maculis ferrugineis; subtus rufa. Tectrices caudæ albæ nigro maculatæ.

---

*) Sunt qui hanc avem ad *Numenios* numerent. Hi vero Ornithologi, si sibi consentanei esse velint, non solum hanc Speciem sed totam familiam inter *Numenios* collocent. Conveniunt enim inter se hæ quatuor Species, non solum rostri pedumque formâ, sed in toto quoque habitu et in moribus, quibus vero omnibus a *Numeniis* valde differunt.

Cauda cinereo-fusca basi et rachibus albis. Rostrum longum subarcuatum.

SYNONYMA.

Scolopax Subarquata, Güldenst. nov. com. Petrop. XIX. p. 471. t. 19. Gmel. Syst. I. 2. p. 658.
Tringa Islandica, Retz. Fn. p. 192. n. 163.
Tringa ferruginea, Brün. bor. p. 53. n. 180.
Numenius ferrugineus, Mey. Vögel Liv. p. 190. — *Subarquata*, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 135.

DESCRIPTIO.

Long. 8 poll. Rostr. $1\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem 5 poll. Cauda $1\frac{7}{8}$ poll. Tibia $1\frac{1}{8}$; Digit. med. fere 1 poll. postic. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, tenue, subteres, basi compressum, apice incurvum, depressum, obtusum. Iris fusca. Pedes nigricantes.

Vertex, dorsum et scapulares nigra maculis ferrugineis et albidis. Collum, pectus et abdomen rufa pennis albis insertis; cervice maculis fuscis. Remiges fuscæ; primores nigricantes; 6-9. margine exteriore albæ; secundariæ basi et margine albæ; intimæ longæ, acuminatæ, fuscæ marginibus pallidis. Tectrices proximæ apice albæ, minores cinereo-fuscæ marginibus pallidis rachibus fuscis. Tectrices caudæ superiores et inferiores albæ maculis transversis nigris. Rectrices 1-5 cinereæ, margine interiore et basi albæ; intermediæ binæ longiores, acuminatæ, cinereo-fuscæ, margine tenui et rachi albis.

Var. habitum mutans: Vertex, cervix, Dorsum nigricantia ferruginescenti maculata, pennis fusco-cinereis

immixtis. Tectrices alarum fusco-cinereæ. Avis subtus alba maculis in pectore fuscis pennisque ferrugineis hinc inde insertis. Mus. Lund.

HISTORIA.

Incolit æstate boreales patriæ plagas; australiores verno et autumnali temporibus, migrans et rediens, visitat. Mens. Septembri et Octobri in littoribus marinis Scaniæ obvenit. Ova nondum vidi.

CLXXX. TRINGA CINCLUS, *Retzio.*

Diagn: Supra cinereo-fusca rachibus saturatioribus; capite pallidiore; subtus alba collo antice cinerascente striis minutis.

(Tab. X.)

SYNONYMA.

Tringa Cinclus, Retz. Fn. 190. n. 159. Lin. Syst. I. p. 251. n. 18.

Cinclus, Briss. Orn. V. p. 211. t. 19. f. 1. (Synonymum optimum; Descriptio et figura egregiæ).

Purre, Lath. Syn. V. p. 182. n. 30. Pen. Br. Zool. II. p. 472. n. 206. (fig. t. 71. nec tam bona quam icon citata Brissonii).

Mus. Payk.

DESCRIPTIO.

Long. circa 7 poll. Rostr. $1\frac{2}{8}$; A flexura alæ ad apicem $4\frac{1}{2}$; Cauda $2\frac{1}{8}$; nuda pars femoris $\frac{1}{2}$; Tibia I

poll. Digit. med. I poll. Digit. postic. brevis, ungue instructus *).

Caput supra, cervix, dorsum et scapulares cinereo-fusca. Cervice pallidiore striis ad raches saturatioribus fuscis. Frons, latera capitis et colli albida striis minutis in collo fusescentibus. Inter rostrum et oculos macula fuscescens, supra quam stria albida. Tota avis subtus alba collo antice cinerascenti colore tincto, striisque minutis fuscescentibus leviter maculato. Remiges nigro-fuscæ, rachibus albis; extimæ qvatuor vel quinque latere interiore medio cinereæ, apice saturatiores; sequentes margine exteriore in medio albæ, qui color albus ita sensim augetur ut intimæ inter secundarias plane sint albæ, maculâ interdum pone apicem fusca. Tectrices alarum cinereo-fuscæ marginibus dilutioribus et ad raches striis saturatioribus. Tectrices proximæ apice albæ, unde stria alba in ala oritur. Cauda æqualis præter Rectrices binas intermedias, quæ longiores sunt et acuminatæ, latereque interiore saturate fuscæ, exteriore cinereæ; ceteræ albo-fuscescentes rachibus albis. Tectrices caudæ superiores saturate fuscæ; inferiores albæ, longitudine caudæ.

OBSERVATIO.

Hæc avis proxime accedit ad *Tringam alpinam*, cujus pro ætate varietatem forte habebit is qui avem ipsam non viderit. Sed præter alias differentias cum coloris, tum præcipue formæ, ex Descriptionibus utriusque eruendas, differt quoque capite insigniter majori. Alii Ornithologi (Bechst. Meyer.) nomine *Tringæ Cincli* describunt *Totanum Hypoleucum*, ad quem *Tringa*

*) Hac præcipue nota differt a *Calidri grisea*. Vide observ. in pag. 23.

Cinclus Linnei minime pertinet. *Tr.* enim *Cinclus* Lin. a Brissonii *Cinclo* desumta est, qui nostram avem optime refert.

HISTORIA.

Æstatem, sine dubio, in terris borealibus degit, autumno et hyeme littora nostra invisit. In littoribus Roslagiæ et in Insulis maris Balthici inventa est. Propagatio et consuetudines nondum bene notæ sunt.

FAMILIA. IIItia.

Rostrum rectum, capite brevius; Rectrices intermediæ binæ longiores acuminatæ.

CLXXXI. TRINGA TEMMINCKII, *Leisl.*

DIAGN: Supra nigro-fusca maculis rufis; subtus alba collo antice grisescente, fusco maculato. Rachis primæ tantum remigis nivea. Rectrix extima pure alba; intermediæ longiores fuscæ.

SYNONYMA.

Tringa Temminckii, Meyer Liv. p. 205.
Tringa pusilla, *(senior)*. Mey. Orn. Taschenb. II. p. 391. n. 7.
Tringa pusilla, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 308.

DESCRIPTIO.

Longit. $5\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{5}{8}$; A flexura alæ ad apicem fere 4 poll. Cauda fere 2 poll. Tibia $\frac{5}{8}$; nuda pars femoris $\frac{2}{8}$; Digit. med. $\frac{5}{8}$; postic. $\frac{3}{16}$.

Rostrum rectum apice vix incurvo, subteres, incrassate-acuminatum, fuscum apice nigro. Pedes virescenti-cinerei.

Caput supra, Dorsum et scapulares nigro-fusca marginibus pennarum rufis. Cervix fusco-cinerea maculis fuscis. Uropygium cinereo-fuscum immaculatum. Frons, genæ et gula albida. Latera colli et capitis, collumque antice usque ad pectus cinerascentia maculis minutis fuscis. Pectus, Abdomen, crissum et tectrices caudæ inferiores alba, immaculata. Tectrices alarum cinereo-fuscæ apicibus pallidis. Remiges nigro-fuscæ rachi primæ tantum nivea, ceterarum magis fuscescentibus; primores a tertia, margine exteriore albæ; secundariæ apice albo marginatæ; intimæ tres longæ, fuscæ, marginibus rufis. Tectrices proximæ apicibus albis. Rectrices extimæ (I. I.) albæ; 2-2. albæ margine exteriore cinerascente, qui color cinerascens magis magisque augetur in sequentibus; par medium fuscum ceteris longius.

Variet. Supra fusco-cinerea maculis nigris, marginibus ferrugineis. Facies, collum antice et pectus sordide alba maculis minutis fuscis. Gula, pectus inferius et crissum pure alba. cet. ut in anteced.

HISTORIA.

In borealibus Europæ plagis æstatem degit et se propagat. Mens. Junii hanc avem per familias versus septemtrionem migrantem, juxta paludes et lacus Norvegiæ interiores, observavi. In medio M. Julii avem juxta Nidrosiam Norvegiæ occisam vidi, unde in his regionibus se propagare mihi videtur. Autumno australiores terras petens littora Sveciæ australioris gregaria visitat. Vescitur insectis et vermiculis.

CLXXXII. TRINGA MINUTA, *Leisl.*

DIAGN: Supra nigro-fusca marginibus pennarum ferrugineis et albis; subtus alba. Raches remigum omnium albæ. Rectrices tres laterales pallide griseæ; intermediæ fuscæ, longiores.

SYNONYMA.

Tringa minuta, Mey. Liv. p. 206. in obs.
Tringa pusilla (junior.), Mey. Orn. Taschenb. II. p. 391.
Tringa pusilla, Retz. Fn. (Descr.) p. 193.

OBSERVATIO.

Tringa pusilla Lin. quæ corpore subtus rufescente dignoscitur, a *Cinclo Dominicensi* desumta est, nec inter aves Europæas numeranda.

DESCRIPTIO.

Longit. $5\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{6}{8}$; A flexura alæ ad apicem $3\frac{6}{8}$; Cauda $1\frac{1}{2}$; nuda pars femoris $\frac{5}{8}$; Tibia $\frac{7}{8}$; Digit. med. $\frac{5}{8}$; postic. $\frac{3}{16}$ poll.

Rostrum rectum subteres, basi compressum, apice incrassatum, nigrum; Pedes nigri.

Caput supra, Dorsum et tectrices alarum nigro-fusca marginibus pennarum ferrugineis et hinc inde albis. Cervix cinerascens. Frons, genæ et tota avis subtus alba, tinctura in pectore sordide lutescenti, levissima. Stria inter nares et oculum fuscescens. Remiges nigrofuscæ rachibus omnium albis; secundariæ latere interiore basi albæ et apice albo marginatæ; intimæ longæ, ferrugineo marginatæ. Tectrices proximæ apici albæ.

Uropygium et tectrices caudæ superiores nigra. Rectrices tres vel quinque laterales pallide griseæ, albo marginatæ; intermediæ longiores fuscæ, marginibus apicis ferrugineis.

Var. Supra cinereo-fusca rachibus fuscis apicibus pennarum albidis. Frons, latera capitis et tota avis subtus alba striâ fusca inter rostrum et oculos. cet. sim. anteced.

HISTORIA.

Æstivat in plagis borealibus. Autumno et vere in littoribus marinis et juxta aquas tum Scaniæ tum Norvegiæ gregaria obvenit. De oeconomia nihil constat.



GENUS.

SCOLOPAX.

Rostrum longum, rectum, basi compressum, extus teres, sulcatum, molle, pone apicem punctis excavatis rugosum (in ave mortua); apice duro, lævi, superne et inferne linea longitudinali excavata; maxilla superiore longiore, apice subtus gibbo.

Nares juxta basin rostri, laterales, lineares.

Oculi magni, sub vertice siti.

Pedes: nuda pars femoris brevis; Tibia brevior (plerisque) quam digitus medius. Digiti ad basin fissi.

CLXXXIII. SCOLOPAX RUSTICOLA, *Lin.*

Diagn: Occiput nigrum fasciis transversis ferrugineis. Corpus transversim variegatum e nigro, rufo, ferrugineo et griseo. Cauda nigra apice supra cinereo, subtus albo.

SYNONYMA.

Scolopax Rusticola, Lin. Fn. Sv. p. 60. n. 170. Retz. Fn. 174. n. 139. Lin. Syst. I. p. 243. 6. Gmel.

Syst. I. p. 660. Lath. Ind. II. p. 713. n. 1. Briss. orn. V. p. 292. 1.

La Becasse, Buff. Ois. VII. p. 462. t. 25. Pl. enl. 885. Otto XXVI. p. 129. cum. fig.

Woodcock, Pen. Br. Zool. II. p. 433. n. 178. t. 65. Arct. Zool. II. p. 470. Sup. p. 68. Lath. Syn. V. p. 129. 1. vers. Germ. V. p. 103.

Waldschnepfe, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. 1 Abth. p. 158; Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 192.

Svecis: Morkulla.

DESCRIPTIO.

Long. $13\frac{1}{2}$ poll. Rostr. 3 poll. A flexura alæ ad apicem fere 8 poll. Cauda 3 poll. Tibia $1\frac{5}{8}$; Digit. med. $1\frac{1}{2}$; postic. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum pallide incarnatum apice nigrum. Nares oblongæ parvæ, membrana tectæ. Oculi magni, prominentes, retrorsum sub vertice siti, nigri iridibus fuscis. Pedes griseo-incarnati femoribus fere ad genua pennis tectis; unguibus fuscis, postico brevissimo.

Caput supra *antice* cinereum fusco et rufo immixtis, *postice* nigrum fasciis tribus transversis, angustis, pallide ferrugineis. Ab angulo oris ad oculos fascia nigra, aliaque sub auribus. Dorsum et alæ supra rufa maculis majoribus undulisque transversis nigris et maculis cinerascentibus albisque. Uropygium rufum undulis nigris. Gula alba. Collum pallide rufum undulis numerosissimis nigris. Pectus, abdomen et crissum sordide albida, rufo tincta, undulis nigris. Remiges fuscæ margine utroque (primores) rufo-maculatæ, secundariæ fasciatæ. Cauda rotundata. Rectrices XII. nigræ, margine exteriore rufo maculatæ, apicibus supra cinereis subtus albis pulchre nitentibus; tectrices inferiores luteo-rufæ apicibus albis.

Var: Albida, rufescenti supra maculata, subtus undulata. Mus. Payk.

HISTORIA.

Migratoria avis redit in Scaniam M. Martis, si terra jam denudatur, vel Aprili, tumque in fruticetis uliginosis passim frequens obvenit. In Scania rarius æstatem degit; in superioris vero Sveciæ et in Norvegiæ sylvis montosis ad ipsam terram, sub frutice, ova fovet. Ova 3-4 sordide lutescentia rufo maculata. Caro sapidissima.

CLXXXIV. SCOLOPAX MAJOR, *Lath.*

DIAGN: Vertex niger tænia longitudinali pallide ferruginea. Pectus et abdomen sordide alba, undulis fuscis. Tectrices alarum maculis albis. Rectrices XVI., quarum mediæ VIII. nigræ, apice rufæ: laterales utrinque IV. albæ, basi nigro maculatæ.

SYNONYMA.

Scolopax major, Lath. Ind. II. p. 714. n. 4. Gmel. Syst. I. p. 661.

Scolopax paludosa, Gmel. Syst. p. 661. n. 35. Lath. l. c. n. 3. Retz. Fn. p. 175.

Great Snipe, Pen. Br. Zool. II. p. 450. n. 188.

Scolopax media, Frisch Vögel t. 228.

Becassine des Savannes, Buff. Ois. VII. p. 481. Pl. enl. 895. vers Germ. Otto XXVI. p. 162. cum fig.

Mittel-Schnepfe, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 180. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 193.
Svecis: Dubbel Beckasin.

DESCRIPTIO.

Long. 11-12 poll. Alæ extensæ $19\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $2\frac{1}{2}$; A flexura alæ ad apicem $5\frac{6}{8}$; Cauda 2 poll. Nuda pars femoris $\frac{1}{2}$ poll. Tibia $1\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. $1\frac{2}{8}$; postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum subincarnatum apice nigrum basi subtus pallidum. Iris fusca. Pedes cinereo-virides.

Caput supra nigrum maculis minutis rufis; tænia longitudinali pallide ferruginescente a fronte per verticem ad occiput, fasciaque ejusdem coloris supra oculos ducta. Lora nigro-fusca. Collum ferruginescenti-griseum maculis numerosis fuscis. Gula albida, immaculata. Dorsum et scapulares nigra, cupreo colore nitentia marginibus latis pallide rufescentibus (qui fere strias quatuor longitudinales pallide rufas formant), et undulis transversis maculisque rufis. Uropygium nigrum maculis frequentioribus pallide rufis. Tectrices superiores alarum nigræ, apicibus, et fasciis minorum pallide rufis; apicibus majorum late albis. Tectrices inferiores albæ fasciis transversis nigris. Pectus, Abdomen et femora sordide alba fasciis maculisque undulatis nigris. Remiges fuscæ, prima rachi alba; secundariæ apice albido marginatæ. Cauda parum rotundata. Rectrices XVI. quorum mediæ VIII. nigræ, versus apicem luteo-rufæ lineâ pone apicem album nigrâ; laterales albæ basi nigro maculatæ.

Mas aliquantulum minor *Feminâ*, genisque et jugulo magis maculatis.

HISTORIA.

Habitat in paludibus et pratis depressis Scaniæ fere ubique. In superiore Svecia quoque inventa est. Muta evolat; volatus depressior et minus celer quam sequentis. Nidulatur inter gramina. Ova 3-4. oblongo-ovata, lutescenti-grisea maculis nigris et fuscis præcipue circa extremitatem crassiorém confluentibus. Caro sapidissima.

CLXXXV. SCOLOPAX GALLINAGO, *Lin.*

DIAGN: Vertex niger tænia longitudinali pallide ferruginea. Pectus et abdomen alba immaculata. Remex prima latere exteriore alba. Rectrices XIV. basi nigræ versus apicem ferrugineæ, undulâ pone apicem nigra.

SYNONYMA.

Scolopax Gallinago, Lin. Fn. Sv. p. 61. n. 173. Syst. nat. I. p. 244. 7. Retz. Fn. p. 175. n. 141. Lath. Ind. II. p. 715. n. 6. Gmel. Syst. I. p. 662. 7. Briss. V. p. 298. 8.

Becassine, Buff. Ois. VII. p. 483. t. 26. Pl. enl. 883. Otto XXVI. p. 174. cum fig.

Common Snipe, Pen. Br. Zool. II. p. 448. n. 187. t. 68. Arct. Zool. II. n. 366. Lath. Syn. V. p. 134. n. 6. vers. Bechst. V. p. 108.

Heerschnepfe, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 185. t. 7. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 194.

Svecis: Enkel Beckasin. *Scanis:* Horsgök.

DESCRIPTIO.

Longit. 10½ poll. Rostr. 2½-2⁶⁄₈ poll. A flexura alæ ad apicem 5½, nuda pars femoris fere ½ poll. Cauda 2½; Tibia 1⅝; digit. med. 1½; postic. ⅜ poll.

Rostrum pone apicem depressum, subdilatatum, punctis excavatis rugosum; a basi ultra medium superne fusco-incarnatum subtus pallidius, læve; apice ipso quoque lævi. Iris fusca. Pedes virescenti-plumbei.

Caput supra nigrum maculis minutis rufis, tænia longitudinali pallide rufescenti a fronte per verticem ad nucham ducta, fasciaque ejusdem coloris utrinque supra oculos. Lora nigro-fusca. Macula aurium fuscescens. Collum pallide rufescenti-griseum maculis numerosis fuscis. Gula albida immaculata. Genæ albidæ fusco punctatæ. Dorsum et Scapulares nigra, striis quatuor longitudinalibus, latioribus, albo rufescentibus, et lineis transversis undulatis, rufis, variegata. Dorsum posticum nigricans maculis transversis albidis. Tectrices caudæ griseo-ferrugineæ, lineis undulatis et maculis nigris. Pectus et abdomen alba immaculata. Hypochondria alba fasciis transversis fuscis. Remiges nigræ; prima latere exteriore albo, secundariæ apice latius albæ, intimæ striis transversis rufis. Tectrices nigræ; majores apice albo marginatæ; minores (interdum) rufo variegatæ; apice rufescenti-albæ; minimæ immaculatæ. Tectrices inferiores et axillares albæ fasciis griseo-nigris. Cauda rotundata. Rectrices XIV. medietate interiore nigræ, exteriore luteo-rubræ striis transversis nigris. Laterales 1. 1. albæ ubi ceteræ luteo-rubræ.

Var. Albida, maculis rufescenti-fuscis nebulosa.

Mus. Payk.

HISTORIA.

In palustribus locis frequens. Usque intra circulum arcticum eam quoque audivi et vidi; E Groenlandia apportatam habui. Migratoria in Scaniam redit jam mens. Martio. Nidulatur inter gramina. Ova fovet 4. olivacea maculis brunneis et nigris adspersa.

CLXXXVI. SCOLOPAX PAYKULLII, *mihi.*

DIAGN: Supra fusca marginibus pennarum ferrugineis; subtus alba; pectore sordide lutescenti, fusco maculato. Cauda cum tectricibus alba, fusco fasciata.

(Tab. XI.)

OBSERVATIO.

Singularis hæc Species quoad magnitudinem et habitum multa habet cum *Scol. Gallinagine* communia; distinguitur autem non solum colore, sed etiam formis partium constantissimis, tum ab hac, tum ab omnibus congeneribus. Præsertim singularis est membrana illa quæ externum digitum cum medio jungit usque ad primam articulationem. Etiam hæc distributio colorum caudæ et dorsi postici, in hoc Genere plane insolita est. Multa itaque cum *Totano*, plurima vero cum *Scolopace* communia habet. Neque vero ex his compositam quis putet. Ipse enim mortuam avem diligenter examinavi, et Illustris Possessor adseveravit pellem, e Lapponia missam, sub Ipsius oculis fuisse farctam. Novam igitur et distinctam hanc Speciem Fautoris mei, Zoologi inclytissimi; Liberi Baronis &c. G. de *Paykull* nomine, ornatam volui.

DESCRIPTIO.

Rostrum rectum longum, basi aliquantulum compressum, pone apicem punctis excavatis rugosum,

depressum, apice supra et infra linea longitudinali excavata. Pedes lutescentes; digitus extimus medio membrana connexus a basi ad primam articulationem.

Caput supra nigro-fuscum marginibus pennarum ferrugineis. Fascia albida a rostro supra oculos, aliaque fuscescens inter rostrum et oculum. Latera capitis sordide albida punctis fuscis. Gula, pectus et abdomen alba immaculata. Jugulum et pectus superius sordide albida luteo tincta maculis et striis minutis fuscis adspersa. Dorsum, scapulares et Remiges intimæ fusca marginibus pennarum luteo-ferrugineis. Alarum tectrices minores cinereo-fuscæ, marginibus pallidis; majores apice albæ, unde stria alba per alas. Remiges nigro-fuscæ, prima rachi alba; 5-9. albo marginatæ; secundariæ fuscæ, ad raches albæ marginibusque latis albis; intimæ longæ fuscæ, rufo ad margines variegatæ. Dorsum posticum (si sejunguntur pennæ) album. Uropygium album maculis parvis nigricantibus. Tectrices caudæ superiores et inferiores albæ undulis transversis, numerosis, nigricantibus. Rectrices XII. fasciis transversis numerosis albis et fuscis, intermediæ apice lutescentes.

Mus. Payk.

LOCUS.

Habitat in Lapponiæ paludibus unde Specimen descriptum recepit Gener. Possessor. De moribus nihil constat.

CLXXXVII. SCOLOPAX GALLINULA, *Lin.*

DIAGN: Caput supra luteo-rufum fascia longitudinali, lata, nigra. Abdomen album.

Cauda nigro-fusca Rectricibus XII, margine rufo variegatis.

SYNONYMA.

Scolopax Gallinula, Retz. Fn. p. 176. n. 142. Lin. Syst. I. p. 244. n. 8. Lath. Ind. II. p. 715. n. 8. Gmel. Syst. I. p. 662.

Gallinago minor, Briss. Orn. V. p. 303. n. 3. t. 26. f. 2.

La petite Becassine, Buff. Ois. VII. p. 490. Pl. enl. 884. Otto XXVI. p. 188. et 193 cum fig.

Jack Snipe, Pen. Br. Zool. II. p. 451. n. 189. t. 68. Arct. Zool. II. n. 367. Lath. Syn. V. p. 136. 8. vers. Bechst. V. p. 110.

Moorschnepfe, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 196. Meyer Vögel Liv. p. 194.

Venatorib. Scanensibus: Hårsnäppa vel Halfenkel Beekassin.

DESCRIPTIO.

Longit. 7½-8 poll. Rostr. 1⅝; A flexura alæ ad apicem 4½; Tibia 1 poll. Digit. med. 1⅛; post. ⅜ poll.

Rostrum basi sordide lutescens, compressius et altius quam in congeneribus, apice nigrum sub-depresse dilatatum, punctis excavatis rugosum, maxilla superiore longiore, apice subtus vix gibba. Iris fusca. Pedes virescenti-incarnati.

Caput supra fascia longitudinali lata nigra a fronte per verticem ad occiput ducta; ad utrumque hujus latus supra oculos stria luteo-ferruginea, nigro maculata. Lora nigro-fusca. Cervix fusco-rufa punctis albis. Gula alba immaculata. Latera colli, jugulum et superior pars pectoris alba ferrugineo tincta maculis

fuscis fere confluentibus. Dorsum nigrum viridi et purpureo nitens, rufo transversim variegatum, fasciis quatuor luteo-ferrugineis, intermediis duabus latioribus. Pectus inferius, abdomen et femora alba immaculata. Remiges nigro-fuscæ, primores immaculatæ, secundariæ apice albæ; intimæ dorso concolores. Tectrices alarum nigricantes marginibus albis. Cauda cuneiformis. Rectrices XII. acuminatæ, nigro-fuscæ apicibus rufis, marginibus rufo variegatis.

HISTORIA.

Habitat in pratis depressis et paludibus passim. Autumno migrat, vere redit. Propter volatum celerrimum, huc et illuc ductum, non facile figitur, quamvis cominus sit. Nidulatur in graminosis. Ova 4-5. virescenti-albida fusco maculata. Vescitur vermiculis et Insectis.



GENUS.

RALLUS.

Rostrum capite longius, subulatum, aliquantum decurvatum, basi compressum, apice teres.

Nares lineares, laterales, perviæ, membrana semitectæ.

Pedes: nuda pars femoris brevis; digiti mediocres, plane fissi.

CLXXXVIII. RALLUS AQUATICUS, *Lin.*

DIAGN: Supra niger marginibus pennarum rufis; subrus cinereus; hypocondria nigra fasciis transversis albis.

SYNONYMA.

Rallus aquaticus, Lin. Fn. Sv. p. 70. n. 195. Syst. nat. I. p. 262. n. 2. Retz. Fn. Sv. p. 202. n. 176. Lath. Ind. II. p. 755. n. 1. Zool. Dan. tab. 150. Acta Nidros. II. p. 340. t. 12. Gmel. Syst. I. p. 712.

Le Rale d'eau, Buff. Ois. VIII. p. 154. t. 13. Pl. enl. 749. Vers. Germ. Otto XXIX. p. 20. cum fig.

Water Rail, Pen. Br. Zool. II. p. 484. t. 75. Lath. Syn. V. p. 227. vers. Germ. V. p. 198.

Der Wasser-Ralle, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. 1 Abth. p. 465.

DESCRIPTIO.

Longit. 9-10 poll. Rostr. 1½ poll. A flexura alæ ad apicem 5 poll.

Rostrum fuscum, maxilla inferiore rubra. Iris aurantia. Pedes sordide incarnati.

Caput supra, Cervix et dorsum nigra marginibus pennarum rufis. Latera capitis, collum antice, pectus et abdomen cinerea, undulis obsoletis rufis. Gula albida. Hypochondria et axillares nigra, striis transversis albis. Remiges nigro-fuscæ; intimæ dorso concolores. Cauda brevis cuneiformis. Rectrices nigræ olivaceo-marginatæ. Tectrices caudæ inferiores nigræ, apicibus late albis.

HISTORIA.

Migratoria et rara avis habitat inter arundines, gramina et equiseta ad margines aquarum. Vescitur Insectis, vermiculis et herbis aquaticis. Nidulatur inter arundines. Ova fovet 7-10 olivacea maculis fuscis.

GENUS.

GALLINULA, *Lath.*

Rostrum breve, conico-subulatum, compressum, supra subtusque apice æqualiter in acumen decrescens; basi superne fronte magis vel minus calva.

Nares oblongæ, perviæ, laterales, pone medium rostri sitæ.

Pedes: Digitis fissis, medio longitudine tibiæ vel longiore.

CLXXXIX. GALLINULA CREX, *Lath.*

DIAGN: Supra nigricans marginibus pennarum cinereis et rufis. Abdomen album. Alæ rufæ.

SYNONYMA.

Gallinula Crex: Lath. Ind. II. p. 766. n. I.

Rallus Crex, Lin. Faun. p. 70. n. 194. Syst. Nat. I. p. 261. n. I. Retz. Fn. p. 201. n. 175. Gmel. Syst. I. p. 711. I.

Ortygometra, Briss. Orn. V. p. 159. 3. t. 13. f. 2.

Roi des Cailles, Buff. Ois. VIII. p. 146. t. 12. Pl. enl. 750. Otto XXIX p. 8. cum fig.

Crake Gallinule, Pen. Br. Zool. II. p. 487. n. 216. t. 75. Arct. Zool. II. p. 492. n. 411. A. Lath. Syn. V. p. 250. I. vers. Bechst. V. p. 220.
Wiesen Knarrer, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 470. Meyer Vögel Liv. p. 213.
Svecis: Kornknarr, Wachtelkung; *Scanis:* Angsnärpa; *Gottlandis:* Seidreifver. *Westrogothis:* Bjuggbit.

DESCRIPTIO.

Longit. 10 poll. Alæ extensæ $18\frac{1}{2}$ poll. Rostr. a fronte $\frac{6}{8}$; A flexura alæ ad apicem $5\frac{1}{2}$ poll. Cauda $1\frac{7}{8}$; Tibia $1\frac{1}{2}$; Digit. med. $1\frac{1}{2}$; postic. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum supra fusco-incarnatum, subtus pallidius. Iris brunnea. Pedes pallide plumbei, femoribus parum supra genua nudis. Corpus valde compressum.

Caput supra, Dorsum, scapulares, remiges intimæ et tectrices caudæ superiores nigra, lateribus pennarum cinereo, apicibus olivaceo marginatis. Supra oculos stria cinerea postice latior. Per oculos stria obsoletior brunnea. Gula albida. Præterea collum antice et pectus pulchre cinerea, juxta latera rufo tincta et obsolete undulata. Abdomen medium album fasciis obsoletis rufis. Hypochondria, femora et crissum rufa, fasciis transversis albis pulchre ornata. Tectrices alarum superiores rufæ. Remiges saturatius rufæ rachibus fuscis, extimâ extus albida. Tectrices interiores secundariarum, maculis minutis transversis albis. Cauda rotundata. Rectrices nigro fuscæ, marginibus latis rufo-cinereis. Tectrices inferiores albæ, basi rufæ.

Junior: Supra griseo-rufa maculis nigris. Gula et abdomen medium alba. Collo antice, pectore, crisso et femoribus pallide rufis. Alæ et cauda ut in anteced.

HISTORIA.

Migratoria avis redit in Scaniam post medium Majum. Incolit æstate Scandinaviam a Scania maxime meridionali usque intra circulum Arcticum ex gr. Insulas juxta litora maris Norvegici sitas. Inter segetes agrorum et gramina pratorum præsertim locis depressis, et arboribus destitutis degit, ibique sono insigni gemino: *crax-crax!* frequenter repetito, se prodit. Vescitur Insectis, Lumbricis, seminibus. Nidulatur ad terram. Ova 7-10 rufescenti-lutea, maculis et punctis rufis.

CXC. GALLINULA PORZANA, *Lath.*

DIAGN: Fusco-olivacea punctis striisque albis adspersa. Frons et gula cinerea. Abdomen et tectrices caudæ inferiores albidæ.

SYNONYMA.

Gallinula Porzana, Lath. Ind. II. p. 772 n. 19.

Rallus Porzana, Lin. Syst. I. p. 262. 3. Gmel. Syst. I. 2. p. 712. Retz. Fn. p. 202. n. 177.

Le petit Rale d'eau ou le Marouette, Buff. Ois. VIII. p. 157. Pl. enl. 751. vers. Germ. Otto XXIX. p. 31. cum. fig.

Rallus aquaticus minor, Briss. Orn. V. p. 155. 2. t. 13. f. I.

Spotted Gallinule, Pen. Br. Zool. II. n. 215. Arct. Zool. Sup. p. 69. Lath. Syn. V. p. 264. n. 18. vers. Germ. V. p. 233.

Punktirtes Rohrhuhn, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 478. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 216.

DESCRIPTIO.

Long. 9. poll. Alæ extensæ 15 poll. Rostr. $\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $4\frac{6}{8}$; Cauda fere 2. Tibia $1\frac{3}{8}$; Digit. med. $1\frac{5}{8}$; Digit. postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum supra luteo-viride, basi rubro; subtus luteum apice fusco. Iris fusca. Pedes luteo-virides.

Frons, supercilia et gula cinerea, vertice et nucha nigris marginibus pennarum olivaceo-rufis. Cervix nigricans olivaceo immixto maculisque minutis albis adspersa. Dorsum nigrum marginibus pennarum latis olivaceis, lineis longitudinalibus, albis, ornatis. Tectrices alarum olivaceæ, maculis parvis vel striis transversis albis, nigro marginatis notatæ. Remiges olivaceo-fuscæ, immaculatæ; margo alæ et Remex prima extus albida. Cauda cuneiformis, Rectrices nigræ, olivaceo fimbriatæ, intermediæ binæ marginibus tenuibus, albis. Collum antice et pectus cinereo-olivacea, maculis parvis albis adspersa. Hypochondria et femora olivacea striis transversis albis, nigro marginatis. Abdomen medium album. Tectrices caudæ inferiores lutescenti-albæ.

Junior: Macula inter oculum et rostrum saturate fusca. Gula albida, maculis parvis, obsoletis.

HISTORIA.

Migratoria et rara avis habitat inter arundines et gramina ad margines lacuum et paludum per Sveciam passim. Vescitur insectis et herbis aquaticis. Nidulatur in grumulo inter gramina et arundines. Ova 9-12. pallide lutescentia maculis parvis et punctis rufis, aliisque obsoletis cinereis ornata.

CXCI. GALLINULA CHLOROPUS, *Lath.*

Diagn: Cinereo - nigra dorso et alis olivaceo - fuscis. Margo alarum et tectrices caudæ inferiores alba. Frons calva rubra. Pedes olivacei.

SYNONYMA.

Gallinula chloropus, Lath. Ind. II. p. 770. n. 13.
Gallinula major, Briss. Orn. VI. p. 3. I. t. I.
Fulica chloropus, Lin. Syst. I. p. 258. n. 4. Retz. Fn. p. 200. Gmel. Syst. I. p. 698.
Common Gallinule, Pen. Br. Zool. II. p. 489. n. 217. t. 77. Arct. Zool. II. p. 492. n. 411. Id. Sup. p. 69. Lath. Syn. V. p. 258. 12. vers. Bechst. V. 227.
Poule d'eau, Buff. Ois. VIII. p. 171. t. 15. Pl. enl. 877. Otto XXIX. p. 117. cum fig.
Grünfüssiges Meerhuhn, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 489.
Rohrhuhn, Meyer Liv. p. 215.

DESCRIPTIO.

Longit. 12½ - 13 poll. Rostr. a sinu oris 1⅛; A flexura alæ ad apicem 7 poll. Cauda 3 poll. Tibia 1⅞ poll. Digit. med. 2⅞; postic. 1 poll.

Rostrum cum fronte calva, rubrum, apice luteo. Iris rufa. Pedes luteo - virides, armillis rubris.

Color capitis et colli niger in pectore et abdomine in obscuro - cinereum transit. Abdomen medium albo nebulosum et striæ hypochondriorum hinc inde albæ. Dorsum, scapulares, tectrices alarum et caudæ superiores olivaceo - fusca, nitida. Remiges saturate fuscæ

extima extus tenuiter alba. Intimæ dorso concolores. Cauda nigra. Tectrices inferiores laterales albæ, mediæ nigræ.

HISTORIA.

In superiore et inferiore Svecia passim. Habitat inter arundines et Equiseta juxta flumina, lacus et stagna, præcipue in sylvaticis. Natat quamvis fissipes. In arundinetis nidulatur. Ova 6-8 olivacea maculis rufis. Vescitur insectis, vermibus et herbis aquaticis.

ORDO II.

PINNATIPEDES.

SECTIO I.

Membrana marginali digitorum lobata.

GENUS.

PHALAROPUS *)

Rostrum gracile, teretiusculum, rectum, acutum, apice inflexo.

Nares lineares, parvæ, juxta basin, laterales.

Pedes tetradactyli. Digiti antici ad medium palmati, dehinc membrana lobata marginati.

CXCII. PHALAROPUS RUFUS, *Bechst.*

DIAGN: Rostrum pone apicem depresso-dilatatum. Corpus supra fulvo nigroque maculatum, subtus rufum.

*) In serie naturali hoc genus ad *Totanos* proxime accedit.

SYNONYMA.

Phalaropus rufus, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. I Abth. p. 381.

Tringa fulicaria, Lin. Syst. I. p. 249. n. 10. Brünn. Orn. bor. p. 51. n. 172.

Tringa hyperborea, Gmel. Syst. I. p. 676. n. 9. var. b.

Le Phalarope rouge, Buff. Ois VIII. p. 225.

Le Phalarope roussatre, Briss. Orn. VI. p. 20. Edw. Av. t. 142.

Red Phalarope, Lath. Syn. V. p. 271.

DESCRIPTIO.

Longit. avis circiter 8½ poll. Rost. ⅞ poll. A flexura alæ ad apicem 5 poll. Tibia ⅝ poll. Digit. med. ⅞.

Rostrum fulvum apice nigro basi subteres pone apicem depresso-dilatatum apice acuto. Iris rufo-lutea. Pedes nigro-virides. Femora seminuda. Digiti a basi ad medium membrana juncti, dehinc membrana lobata marginati.

Facies et pileus cinerea, hic obscurior. Genæ et tempora alba. Dorsum maculis nigris et sordide luteis, i. e. pennis nigris marginibus latis rufo-luteis. Uropygium album maculis transversis nigris. Collum, pectus, abdomen, crissum, tectrices caudæ inferiores et superiores saturate rufa. Tectrices alarum saturate cinereæ, albo marginatæ; majores apicibus latius albæ, unde fascia alba in ala complicata. Remiges primores nigro-fuscæ rachibus albis, secundariæ intus et apice albæ: Cauda cuneato-rotundata. Rectricibus fuscis, marginibus rufo-griseis.

HISTORIA.

Habitat et se propagat in regionibus maxime borealibus; vere et autumno demigrans et rediens, rarissime obvenit in litoribus nostris marinis. Oeconomia avis adhuc plane incognita est.

CXCIII. PHALAROPUS CINEREUS, *Briss.*

DIAGN: Rostrum gracillimum. Corpus supra nigricans marginibus ferrugineis. Gula, pectus et abdomen alba. Latera colli (in mare) rufa.

SYNONYMA.

Phalaropus cinereus, Briss. Orn. VI. p. 15. 2.
Tringa hyperborea, Retz. Fn. Sv. p. 183. n. 15. 2. Lin. Syst. I. p. 249. n. 9. Gmel. Syst. I. 2. p. 675.
Phalaropus hyperboreus, Lath. Ind. Orn. II. p. 775. n. I. (mas).
Tringa lobata, Fabr. Fn. Groenl. p. 109.
Le Phalarope cendré, Buff. Ois. VIII. p. 224. Pl. enl. 766. vers. germ. Otto XXX. p. III. cum fig.
Cock loot-footed Tringa, Edw. t. 143.
Red Phalarope, Lath. Syn. V. p. 271.
Le Coq d'Odin, Ascan. Icon. rer. nat. II. p. 8. t. 20.
Rothhälsiger Wassertreter, Bechst. N. D. 4 B. I Abth. p. 372.

JUNIOR: *Phalaropus fuscus*, Briss. Orn. VI. p. 18. n. 3. Lath. Ind. II. p. 776. n. 4. Edw. Av. t. 46.
Tringa lobata, Lin. Fn. Sv. p. 64. n. 179.
Phalaropus lobatus, Lath. l. c. p. 776. n. 2.

DESCRIPTIO.

Logit. $7\frac{1}{2}$ poll. Rostr. $\frac{7}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $4\frac{2}{8}$ poll. Cauda $2\frac{1}{8}$ poll. Tibia $\frac{6}{8}$; Digit. med. $\frac{6}{8}$; postic. $\frac{3}{18}$ poll.

Rostrum nigricans, gracillimum, maxillis acutissimis, supériore paulo longiore, apice inflexa. Femora seminuda et pedes plumbei.

Caput, cervix, dorsum et tectrices alarum cinereo-nigra, dorso anteriore rufo maculato. Albedo Gulæ ad latera extenditur. Jugulum et latera colli rufa. Palpebræ albæ. Pectoris latera cinerea. Pectus, abdomen et crissum alba. Remiges nigræ primores rachi alba, secundariæ basi et margine apicis albæ. Tectrices proximæ apice albæ, unde stria alba in ala. Cauda nigricans apice rufo marginata.

A. Caput et dorsum nigro-fusca fulvo hinc immixto. Lateribus capitis color luteus immixtus. Gula alba. Jugulum et latera colli ferruginea — cet. sim. antec.

B. Pileus et latera capitis per oculos cinereo-fusca, rufo immixto. Frons, genæ, gula, jugulum et latera colli alba. Dorsum et scapulares nigro-fusca marginibus latis ferrugineis; Tectrices alarum cinereo-fuscæ, majores albo et ferrugineo marginatæ, proximæ apice albæ. Collum antice cinerascens; præterea tota subtus alba.

HISTORIA.

Habitat in regionibus Seveciæ et Norvegiæ septemtrionalibus. Æstatem degit juxta lacus et alias aquas dulces. Nidulatur quoque in insulis maris Norvegici. Vere et autumno Sveciam australiorem transmigrans, rarius obvenit.

GENUS.

F U L I C A.

Rostrum breve, crassum, rectum, compressum, apice supra subtusque æqualiter acuminatum.

Nares lineari-ovales, in medio rostro sitæ.

Frons usque ad verticem calva colorata.

Pedes: Tibia brevior digito medio. Digiti antici membrana lobata marginati unguibus longis acutissimis.

CXCIV. FULICA ATRA.

DIAGN: Supra nigricans subtus cinereo-coerulea, capite et collo nigris, fronte calva alba.

SYNONYMA.

Fulica atra, Lin. Fn. Sv. 193. Retz. Fn. Sv. p. 199. n. 171. Lin. Syst. I. p. 193. Lath. Ind. II. p. 777. Gmel. Syst. I. p. 702.

Fulica aterrima, Retz. Fn. p. 199. n. 172. Gmel. Syst. I. n. 703 (mas senior).

La foulque ou morelle, Buff. Ois. VIII. p. 211. t. 18. Pl. enl. 197. vers. germ. Otto XXIX. p. 246. cum fig.

La grande foulque, Buff. Ois. VIII. p. 220.

Common Coot, Pen. Br. Zool. II. p. 494. t. 77. Arct. Zool. II. p. 496. Lath. Syn. V. p. 275. vers. Germ. p. 243.
Great Coot, Lath. Syn. V. 277.
Schwarzes Wasserhuhn, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. p. 511.
Fulica Æthiops, Mus. Carls. fasc. I. tab. 13.
Svecis: Wattenhöns, Sjöorre.

OBSERVATIO.

Fulicam leucorycem Mus. Cars. I. t. 12. avem esse compositam ex corpore *Fulicæ atræ* et alis *Tetraonis subalpini;* jam omnibus notum existimo.

DESCRIPTIO.

Longit. 17 poll. Rostr. $1\frac{1}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 9 poll. Cauda $2\frac{2}{8}$; Tibia $2\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. $3\frac{5}{8}$; post. $1\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum et frontis callus ovatus, alba. Iris rubra. Pedes fusco-olivacei, armillis fulvis.

Caput et collum atra. Dorsum, scapulæ et tectrices alarum nigra cinereo tincta. Pectus et abdomen saturate coeruleo-cinerea griseo s. rubescenti immixto. Crissum et tectrices caudæ superiores et inferiores nigræ. Cauda rectricibus XII. nigris griseo obsolete marginatis. Remiges primores nigro-fuscæ latere exteriore cinereo tinctæ; extimâ extus tenuiter alba; secundariæ saturate cinereæ apicibus albis. Tectrices alarum inferiores nigro-cinereæ.

HISTORIA.

Migratoria avis habitat in stagnis, lacubus et fossis inter arundines et Equiseta haud rara. Ex. gr. in

Scania juxta Landscrona in fossis castrensibus; in fossis turfosis per totam fere campestrem plagam. ægre volat et ambulat, libentius natat. Terrefacta, motis celeriter alis, aquam pedibus pulsans hostem effugit. Nidulatur in arundinetis. Ova 6-10. Vescitur Insectis et herbis aquaticis. Caro haud sapida, nec nisi protracta pelle, assa comeditur.

SECTIO II.

Membrana marginali digitorum integra.

GENUS.

PODICEPS.

Rostrum mediocre (capite jam aliquantum longius jam brevius), rectum, subulatum, compressum, acutum.

Nares oblongæ, laterales, perviæ, postice membrana tectæ.

Pedes compressi, tetradactyli digitis anterioribus basi membrana connexis dehinc membrana integra, lobiformi, marginatis. *Tibiæ* postice bifariam serratæ.

Cauda nulla.

CXCV. PODICEPS CRISTATUS, *Lath.*

Diagn: Pileus, crista occipitalis et collare nigra. Facies alba lateribus capitis rufis. Collum antice, corpus subtus et remiges secundariæ alba.

SYNONYMA.

Podiceps cristatus, Lath. Ind. II. p. 780. I. Retz. Fn. Sv. p. 151. n. 110.

Colymbus cristatus, Lin. Syst. Nat. I. p. 222. Fn. Sv. 151. Gmel. Syst. I. 2. p. 589. — *cornutus*, Briss. Orn. VI. p. 45. n. 4. t. 5. f. I.

Le Grèbe cornu, Buff. Ois. VIII. p. 235. t. 19. Pl. enl, 400. vers. Germ. Otto XXX. p. 23 cum fig.

Crested Grebe, Pen. Br. Zool. II. p. 497. Arct. Zool. II. p. 498. Lath. Syn. V. p. 281. vers. Bechst. V. p. 249.

Der gehäubte Steissfuss, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. 2 Abth. p. 533. Meyer Liv. p. 220.

Junior:

Colymbus urinator, Gmel. Syst. I. p. 593.

Colymbus cristatus, Briss. Orn. VI. p. 34. n. I.

Le grèbe huppé, Buff. Ois. VIII. p. 233. Pl. enl. 944. et 941.

Tippet Grebe, Lath. Syn. V. p. 283.

DESCRIPTIO.

Long. 19½-20 poll. Rostr. a fronte 1⅞; ab angulo oris 2½ poll. A flexura alæ ad apicem 7 poll. Tibia 2; Digit. med. 3 poll.

Rostrum rectum, tereti-compressum, acutum, maxilla superiore fusca margine et maxilla inferiore incarnatis, apice albido. Iris coccinea. Pedes extus nigricantes, intus albescentes maculis in articulationibus obscuris. Lora nuda rubra.

Caput supra et crista occipitalis bipartita, nigra. Gula, genæ et supercilia alba. Latera capitis inferiora et jugulum rufa, collari dependente nigro ornata. Collum postice fusco-cinereum. Dorsum, scapulares et alæ supra nigricantia marginibus pennarum rufescentibus vel cinerascentibus. Collum antice, pectus, abdomen alba, argenteo nitentia. Latera pectoris et ab-

dominis rufa, fusco immixto. Remiges primores fuscæ, secundariæ albæ rachibus a basi fuscis; intimæ fuscæ. Margo alæ superior albus; ceterum tectrices alarum cinereo-fuscæ.

HISTORIA.

Habitat æstate in lacubus, amnibus et stagnis; in Scania haud rara. Nidum ex culmis junci, scirpi et aliorum graminum, in aqua natantem struit. Ova 4. oblonga, albida, sordide rufescenti tincta. Vere et autumno in mari obvenit. Vescitur Piscibus, insectis et vermibus aquaticis.

CXCVI. PODICEPS RUBRICOLLIS,

Diagn: Pileus et crista occipitalis brevis, truncata, nigra. Gula et latera capitis inferiora cinerea. Collum læve, rufum.

SYNONYMA.

Podiceps rubricollis, Lath. Ind. II. p. 783. Retz. Fn. Sv. p. 153. n. 113.

Podiceps subcristatus, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. 2 Abth. p. 546. Meyer Liv. p. 221.

Colymbus rubricollis, Gmel. Syst. I. 2. p. 592.

Colymbus subcristatus, Gmel. l. c. p. 590.

Le grêbe à joues grises, Buff. Ois. VIII. p. 241. Pl. enl. 931. vers. Germ. Otto XXX. p. 45. cum fig.

Red-necked grebe, Lath. Syn. V. p. 288. Sup. p. 260. t. 118.

Junior:

Colymbus parotis, Sparrm. Mus. Carls. I. t. 9. Gmel. Syst. I. p. 592. Lin. Fn. Sv. n. 152. (alia).

DESCRIPTIO.

Longit. 16-16½ poll. Rostr. a fronte 1⅝; Ab angulo oris fere 2 poll. A flexura alæ ad apicem 7 poll. Tibia 2 poll. Digit. med. 2⅝ poll.

Rostrum nigrum basi luteum, brevius et aliquantum robustius quam antecedentis; basi minus, apice vero magis compressum et altum. Pedes extus nigri, intus virescenti-lutei.

Caput supra, crista brevis occipitalis truncata et cervix nigra, nitentia. Gula, genæ et superius jugulum cinerea, albido cincta. Collum antice et ad latera, superiorque pectoris pars, rufa, nitentia. Dorsum, scapulares et alæ supra nigricantia marginibus pennarum hinc inde rufo-cinerascentibus. Pectus inferius et abdomen alba, argenteo nitentia. Latera pectoris et hypochondria fusco-nigricantia. Remiges nigro-fuscæ; secundariæ albæ rachibus fuscis, intimæ nigro-fuscæ.

Avis junior: Caput læve, dorsum, cervix, supra nigro-fusca. Latera capitis inferiora alba, fusco longitudinaliter striata. Gula alba. Jugulum rufum. Pectus et abdomen sordide argentea. cet. ut antec.

HISTORIA.

Habitat æstate in lacubus et stagnis Scaniæ, ibique nidulatur. Vescitur pisciculis, amphibiis et insectis aquaticis. Ova 3-4.

CXCVII. PODICEPS AURITUS, *Lath.*

DIAGN: Pileus, crista occipitalis brevis, collare et gula nigra; crista aurium ferruginea. Jugulum rufum. Abdomen et Remiges secundariæ albæ.

SYNONYMA.

Podiceps auritus, Lath. Ind. II. p. 781. n. 3. Retz. Fn. p. 152. n. 111.

Colymbus auritus, Lin. Syst. I. p. 222. Fn. Sv. p. 53. n. 152. Gmel. Syst. I. 2. p. 590. Briss. Orn. VI. p. 50. n. 6.

Sef Önd, Mohr Isl. Nat. hist. p. 40. t. 2. Olaf. Itin. p. 550.

Eared Grebe, Lath. Syn. V. p. 285. Pen. Br. Zool. II. p. 500. t. 79. Arct. Zool. II. p. 499. Edw. t. 96. f. 2.

Geöhrter Steissfuss, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. 2 Abth. p. 552. Meyer Liv. p. 222.

OBSERVATIO.

Inter *aves Rudbeckii pictas* optima hujus avis icon exstat, quam miror Linné in Fn. Sv. n. 152. non citasse, cum tamen eandem fere Synonymiam ac *Rudbeckius* adferat.

DESCRIPTIO.

Long. 12 poll. Rostr. $\frac{7}{8}$; A flexura alæ ad apicem $5\frac{1}{2}$ poll. Tibia $1\frac{5}{8}$; Digit. med. $1\frac{7}{8}$; postic. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum compressum, acutum, nigrum; maxilla inferior subtus subrecurvata. Iris et palpebræ cinnabarinæ. Pedes extrorsum nigricanti-cinerei, introrsum pallide grisei. Latera capitis et gula pennis longioribus tumidis, præsertim pone oculos. Caput nigrum stria pone oculos ferruginea. Cervix, dorsum nigricantia. Jugulum ferrugineum. Pectus et abdomen alba. Remiges primores sex fuscæ, reliquæ et secundariæ albæ; intimæ nigro-fuscæ.

HISTORIA.

Habitat in lacubus, stagnis et fluviis, in Scania rarius. Nidificat inter arundines in aqua crescentes. Ova 3-4. albida, lutescenti tincta. *Victus* ut præced.

CXCVIII. PODICEPS OBSCURUS, *Lath.*

DIAGN: Supra nigro-fuscus capite lævi. Gula, genæ, abdomen et Remiges secundariæ albæ.

SYNONYMA.

Podiceps obscurus, Lath. Ind. II. p. 782. n. 4. Retz. Fn. Sv. p. 153. n. 112.

Colymbus minor, Briss. Orn. II. p. 56. n. 7.

Colymbus obscurus, Gmel. Syst. I. 2. p. 592.

Le petit grêbe, Buff. Ois. VIII. p. 232. Pl. enl. 942. vers. Germ. Otto XXX. p. 16. cum fig.

Dusky Grebe, Pen. Br. Zool. II. p. 501. t. 78. f. 1. Lath. Syn. V. p. 286. n. 5. vers. Bechst. V. p. 254. Edw. 96. f. 1.

Dunkelbrauner Steissfuss, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. 2 Abth. p. 559.

DESCRIPTIO.

Long. 11 poll. Rostr. $\frac{7}{8}$; A flexura alæ ad apicem 6 poll. Tibia $1\frac{5}{8}$; Digit. med. 2. postic. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum rectum, compressum acutum, maxilla inferiore aliquantum recurvata. Nares ovato-lineares. Pedes extus fusci, intus cinerascentes.

Caput supra. cervix, Dorsum et alæ nigricantia. Gula et latera capitis inferiora alba. Pectus et abdomen nitide alba (argentea) jugulo cinerascente. Remiges primores et intimæ fuscæ, mediæ albæ, unde

macula alarum vel stria alba oritur. Tectrices alarum inferiores albæ. Hypochondria alba, fusco maculata.

HISTORIA.

Rara apud nos avis habitat in aqua dulci et juxta litora marina. Nidificat in arundinetis. Ova 3-4. victus ut congenerum.

CXCIX. PODICEPS MINOR, *Lath.*

DIAGN: Supra einereo-fuscus, rufescenti tinctus, capite lævi; subtus rufescenti-albidus. Remiges fuscæ, secundariæ latere interiore et apice albæ.

SYNONYMA.

Podiceps minor, Lath. Ind. II. p. 784. n. 9. Retz. Fn. Sv. p. 154. n. 114.

Colymbus minor, Gmel. Syst. I. 2. p. 591. — *fluviatilis*, Briss. Orn. VI. p. 59.

Le Grêbe de rivière ou Castagneux, Buff. Ois. VIII. p. 244. t. 20. Pl. enl. 905. vers. Germ. Otto XXX. 51. cum fig.

Little Grebe, Pen. Br. Zool. II. p. 501. Syn. V. p. 289.

Kleiner Steissfuss, Bechst. N. D. 2te Aufl. 4 B. p. 565.

DESCRIPTIO.

Long. 9-9½ poll. Rostr. 1. A flexura alæ ad apicem 4 poll. Tibia 1⅝; Digit. med. 1½ poll.

Rostrum robustum, subulatum, parum compressum, nigricans, basi subtus et lora nuda albida. Pedes extus fusci intus incarnati.

Caput supra, dorsum et alæ cinereo-fusca rufescenti tincta. Gula et abdomen alba. Latera capitis, collum antice, pectus et latera albida, rufo tincta. Remiges fuscæ, primores immaculatæ; secundariæ apice et latere interiore albidæ.

HISTORIA.

Rarior avis habitat in lacubus, fluviis et stagnis. Inter arundines nidum natantem struit. Ova 4. albida, rufescenti tincta.

ORNITHOLOGIA

SVECICA.

PARTIS POSTERIORIS

FASCICULUS POSTERIOR.

ORDO. PALMIPEDES.

TRIBUS PRIOR: Pedibus tridactylis.

GENUS:

A L C A.

Rostrum breve, compressissimum, transversim sulcatum, margine supra et subtus acuto.

Nares lineares, marginales, laterales, nudæ, vel plumis tectæ et juxta basin rostri sitæ.

Pedes breves, retracti, (postice siti) unde incessus fere erectus.

Alæ breves; Remex prima longitudine secundæ.

CC. ALCA TORDA, *Linn.*

DIAGN: Rostrum sulcis quatuor nigrum, fascia alba. Pedes nigri. Cauda cuneiformis. Linea alba a rostro ad oculos aliaque alarum transversa.

SYNONYMA.

Alca Torda, Lin. Faun. Svec. p. 49. n. 139. Syst. nat. I. p. 210. Retz. Faun. p. 139. n. 96. Gmel. Syst. I. p. 551. Lath. Ind. II. p. 793. n. 5. Brün. Orn. bor. p. 25. n. 100. Ödmann N. Acta Acad. Scient. Holm. 1788. p. 214. Fabric. Fn. Groenl. p. 78.

Alca Balthica, Brünn. bor. 101. (fem.)

Razorbill, Pen. Brit. Zool. II. p. 509 t. 82. Arct. Zool. II. p. 509. n. 425. Lath. Syn. V. p. 319. Edw. Av. VII. t. 358. f. 2.

Pingouin macroptère, Temminck Manuel d'Ornithologie p. 616. — Buff. Pl. enl. 1003 (mas). 1004. (fem.)

Tord Alke, Bechst. Nat. Deutschl. IV. p. 711.

Tordmulen, Svensk Zoologi II. B. 2. H. t. 44.

Avis junior:

Alca Pica, Lin. Syst. I. p. 210. n. 2. Retz. Faun. p. 140. n. 97. Gmel. Syst. I. p. 551. Fabric. Groenl. p. 79. n. 51. — *Alca minor* Briss. Orn. VI. p. 92. t. 8. f. 2. (mas junior) — *Alca unisulcata* Brünn. bor. p. 25. n. 102. — *Blackbilled Auk*, Pen. Arct. Zool. II. p. 510. n. 426. Lath. Syn. VI. p. 320.

Svecis: Tordmule; *Blekingis:* Turemule; *Gottlandis:* Tord; *Angermannis:* Mule.

DESCRIPTIO.

Longit. 16-16$\frac{1}{2}$ poll. Rostrum a fronte 1$\frac{3}{8}$; a sinu oris 2 poll. Cauda 3$\frac{1}{2}$-4 poll. Tibia 1$\frac{2}{8}$ poll. Digit. med. 2 poll.

Obs. Differt magnitudine; Specimen cepi, cujus erat Longit. 18 poll. Alæ extensæ 28 poll. Rostr. a fronte 1$\frac{1}{2}$ poll. a sinu oris 2$\frac{2}{8}$ poll. Tibiæ 1$\frac{1}{2}$; Digit. med. 2$\frac{2}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, valde compressum, dorso maxillæ superioris semicirculari apice adunco (maxilla inferiori in medio gibba), lateribus sulcatum, sulcis 3-4 fasciaque transversa alba. Iris brunnea. Pedes nigri. Ala plicata basin caudæ attinens. Cauda cuneiformis, Rectricibus mediis acuminatis.

1mo *Mas senior:* Caput et collum totum, dorsum, alæ et cauda nigra; Linea a dorso rostri ad oculos; Pectus, abdomen, crissum, tectrices alarum et caudæ, remigesque secundariæ apice alba. (unde linea transversalis alba in ala complicata oritur).

2do *Femina senior:* Caput et collum supra nigra, lineâ albâ a rostro ad oculos destituta. Gula, tempora et jugulum alba cet. color ut in Mare.

3tio *Avis junior:* Similis fere, quoad colores, seniori feminæ, a qua tamen differt: rostro minori minusque alto, unco et sulcis fere destituto. Præsentia lineæ albæ inter rostrum et oculos sexum masculinum et absentia femininum mature indicat.

HISTORIA.

Habitat passim in utroque Scandinaviæ mari. Nidulatur in insulis passim gregaria, ex. gr. in *Carlsön* Gottlandiæ, in *Bonden* Angermanniæ (Lin.), in *Nämdön* Sudermanniæ (Ödm.); in insulis quoque maris norvegici, frequentius tamen in regionibus arcticis. Hieme meridiem versus migrans oras quoque Scaniæ et Blekingiæ frequentat: neque raro hoc anni tempore a piscatoribus Oeresundicis in retibus, quæ piscibus tensa sunt, capitur et ad urbes venalis deducitur. Victitat piscibus minoribus, præsertim Clupeis, et Crustaceis. Mense Majo proli augendæ inserviens, in patrias rupes revertitur. *Ovum* unum, pro magnitudine avis magnum, albidum, extremitate crassiori nigra, ceterum nigro maculatum, in rupis cujusdam fissura, vel foramine, vel in ipsa rupe, sine ullo strato, ponit.

CCI. ALCA IMPENNIS, *Linn.*

Diagn: Rostrum et pedes nigri; macula ovata alba utrinque ante oculos; Alæ minutæ.

SYNONYMA.

Alca impennis, Lin. Syst. I. p. 210. 3. Faun. Sv. p. 49. n. 140. Retz. Fn. p. 140. n. 98. Fabr. Fn. Groenl. p. 82. n. 52. Gmel. Syst. Nat. I. 2. p. 550. Brünn. Bor. 105.

Great Auk, Pen. Brit. Zool. II. p. 507. tab. 81. Arct. Zool. II. p. 509. n. 424. Edw. Av. III. t. 147.

Grand Pingoin, Buff. Ois. IX. p. 313. t. 29.

DESCRIPTIO.

Magnitudo Anseris domestici, collo breviore.

Rostrum nigrum ancipiti-compressum, sulcis quatuor vel pluribus obliqvis. Pedes nigri. Alæ minutæ, volatui ineptæ.

Caput, gula, jugulum, dorsum et alæ nigra, macula majori, ovata, utrinque inter rostrum et oculum.

Apices remigum secundariarum totaque pars inferior corporis alba.

OBSERV.

Pro ætate colores fere eodem modo ac antecedens mutat, ita tamen ut linea illius alba maculam huic formet, et moles corporis semper sit duplo major.

HISTORIA.

Habitat in pelago boreali. Raro ad litora insularum Bahusiæ *) appropinquat, neque, quantum scio, ibi nidulatur. Ovum unicum eodem fere colore ac *alcæ Tor-*

*) Ante aliquot annos Specimen hujus Speciei juxta *Marstrand* occisum fuit.

dæ, sed magnitudine multo majori, in rupibus a littore remotis ponere refertur. Ceterum historia hujus Speciei nondum bene explicata est.

CCII. ALCA ARCTICA, *Lin.*

DIAGN: Rostrum rubrum basi plumbeum. Pedes aurantii. Gula et latera capitis cinereo-alba. Remiges secundariæ immaculatæ. Cauda æqualis brevis.

SYNONYMA.

Alca Arctica, Lin. Syst. I. p. 211. n. 4. Fn. Suec. p. 49. n. 141. Retz. Fn. 141. n. 99. Fabr. Groenl. p. 83. n. 53. Gmel. Syst. I. p. 549. Lath. Ind. II. p. 792. n. 3. Brünn. Bor. p. 23. n. 103.

Fratercula, Briss. Orn. II. p. 380.

Puffin Auk, Penn. Brit. Zool. II. p. 512. Arct. Zool. II. p. 511. n. 427 et forte n. 428. Edw. Av. VII. t. 358. f. 1.

Macareux moine, (Mormon fratercula) Temm. Man. d'Ornith. p. 614. — *Le Macareux* Buff. Ois. IX. p. 358. t. 26. Pl. enl. 275.

Der Arktische Alk, Bechst. N. D. IV. p. 723.

Svecis: Grönländsk Papegoja; *Norw.* Lunda, Lunne, Lundfogel.

DESCRIPTIO.

Longit. 13½-14 poll. Alæ extensæ 23 poll. Rostrum a fronte 1⅝. A flexura alæ ad apicem 6½; Tibia 1 poll. Digitus med. 1⅝ poll.

Rostrum compressissimum robustum, eadem altitudine ac longitudine, supra subtusque in acumen fere

æqualiter decrescens; medietate exteriore rubra (sanguinea) interiore plumbea; subtus, basi et linea transversali media albis. Maxilla superior sulcis tribus, inferior duobus. Sinus oris macula nuda lutea. Macula triangularis nuda plumbea oculos cingit. Iris pallide grisea. Pedes luteo-rubri unguibus acutis et arcuatis nigris. Cauda longitudine alarum, æqualis.

Pileus, collare latum, dorsum, alæ et cauda nigra nitentia, Remigibus in fuscum vergentibus. Gula et latera capitis usque supra oculos et pone aures pallide cinerea. Pectus, abdomen et crissum tectricesque caudæ et alarum pure alba.

Avis Junior: Rostrum multo minus, lateribus fere lævibus, fusco-luteum. Pedes sordide rubri. Caput supra et torques colli nigro-fusca. Gula et latera capitis sordide cinerea. Corpus subtus cinerascenti-album.

HISTORIA.

Hieme interdum oras Bahusiæ visitat; æstate oceanum arcticum insulasque ibi sitas incolit. In his insulis ex gr. in Lovunnen et Fugelöen (juxta oras Nordlandiæ Norvegicæ sitis) in insulis Lofodensibus et in quibusdam aliis ad Finnmarkiam pertinentibus, hæc avis innumerandis gregibus collecta æstatem degit et se propagat. Oeconomiam ejus, qualem ipse in insula Lovunnen observavi et ab incolis audivi, talem describam: Advenit avis juxta insulam allatam post initia Mensis Maji, neque statim terram visitat, sed in mari degit, usque dum omnis nix in terra evanuerit. Jam vero domicilia priora requirit. Est vero in his plagis semper fere regio ad radices altissimorum montium et in infimis eorum lateribus sita, quæ saxis et lapidibus de summo culmine rupium fractis et dejectis, horrida

est et fere impervia. Hæc regio ab incolis *Ore* appellatur (Islandis *Urd* audit). Heic in foraminibus et fissuris inter lapides Alca e gramine siccato et ex plumis nidum sibi præparat, in quo ovum unicum album magnitudine ovi *Anatis domesticæ* ponit. Quamvis gregaria nidulatur, et quamvis plures sæpe in eodem foramine ova fovent; tamen monogamiam celebrat et uterque sexus mutuo non solum incubat, sed prolem quoque mutuo cibat*). Alimenta, quæ ad pullos apportant, sunt pisciculi in alto mari urinando collecti, præsertim *Amodytes Tobianus* et *Clupea Encrasicolus.* Hoc labore præsertim occupatæ sunt Mense Julio, ubi continuo aliæ evolant, aliæ domum revertuntur et multitudine sua examen apium haud male referunt. In aëre alis agitato continuum susurrum quasi vento vehementi excitant. Juxta medium Mensis Augusti pulli volare possunt, et circa Festum Sti Bartholomæi (die 24 Aug.) his oris omnes cum parentibus valedicunt, et versus plagam occidenti-meridionalem volatum tendunt. Ab insulanis capitur canibus, qui intrantem inter lapides avem observant et egredientem apprehendunt. Hanc venationem per totem æstatem agunt innumerabilemque avium cohortem quotannis hoc modo capiunt. Caro præsertim juniorum sapida est. Plumis sicut *Anatis Mollissimæ* utuntur. Pennæ quoque in usu sunt.

*) Ita referunt Insulani. Inter quinque vero aves, quas dissecui, nullum Marem inveni. Inter viginti, quas examinavi, in nulla inveni illum mucronem membranaceum, quo secundum Fabricium instructa est palpebra superior.

GENUS.

U R I A.

Rostrum breve, subulatum, compressum, læve, supra convexum, maxilla superiore apice parum curvata, inferiore in medio subtus subangulata.

Nares laterales, perviæ juxta basin rostri in fossula sitæ, membrana plumosa semitectæ.

Pedes breves, retracti (postice positi) ungvibus curvatis, acutis.

Alæ breves, Remige prima ceteris aliquantulum longiore.

CCIII. URIA TROILE, *Lath.*

Diagn: Supra cinereo-fusca, subtus remigibusque secundariis apice albis. Rostrum longitudine fere capitis.

SYNONYMA.

Uria Troile, Lath. Ind. II. p. 796. Retz. Faun. p. 149. n. 109.

Uria Lomvia et *Troille*, Brünn. Bor. p. 27. n. 108, 109.

Colymbus Troile, Linn. Syst. I. p. 220. Fn. Sv. p. 52. n. 149. Gmel. Syst. I. p. 585.

Le Guillemot, Buff. Ois. IX. p. 350. t. 25. Pl. Enl. 903.

Langvige et *Stuttnefia*, Olavs. et Pov. Reis. in Isl. I. p 355. tab. 21, 22.
Guillemot à Capuchon, Temm. Man. d'Orn. p. 606.
Foolisch Guillemot, Lath. Syn. VI. p. 329. Id. Supp. I. p. 265. — Pen. Britt. Zool. II. p. 519. — Arct. Zool. II. p. 516. n. 436. Edw. av. t. 359. f. 1.
Der Dumme Lumme, Bechst. Nat. D. IV. p. 574.
Avis Junior: Uria Svarthag et *Ringvia* Brünn. Bor. p. 27. n. 110. 111.
Colymbus Minor, Gmel. Syst. I. p. 585.
Lesser Guillemot, Pen. Britt. Zool. II. p. 520. n. 235. Arct. Zool. Suppl. p. 69. — Lath. Syn. VI. p. 332.
Blekingis: Silladopping.

DESCRIPTIO.

Longit. 16-17 poll. Rostrum (superne) $1\frac{1}{2}$ poll. ab angulo oris $2\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ $7\frac{1}{2}$. Tibia $1\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. $2\frac{1}{8}$ poll. Cauda 2 poll.

Rostrum virescenti-nigrum. Iris brunnea. Pedes lutescenti-nigri membranis natatoriis nigris.

Caput, pars colli antice, totumque collum postice, Dorsum, uropygium, Alæ et cauda nigra in cinereum vergentia; Pars inferior colli antici, Pectus, Abdomen, Crissum, Alarum et caudæ inferiores tectrices apicesque Remigum secundariorum alba. *Senior avis.*

Femina Mare aliquantulum minor.

Junior Avis: Pedes et basis Rostri lutescenti-fusca. Iris nigro-fusca.

Caput et Collum supra, Dorsum, alæ et cauda saturate cinereo-fusca. Fascia ejusdem coloris pone oculos versus nucham ducta. Latera occipitis albo-ma-

culata. Gula, jugulum, pectus, abdomen, crissum et apices remigum secundariorum pure alba. Hypochondria striis quibusdam transversis fuscis notantur.

HISTORIA.

Habitat in partibus borealibus marium, quæ Scandinaviam cingunt, tum in Mari Balthico tum occidentali. Autumno et hieme juxta oras Scandinaviæ meridionalioris quoque obvenit. Nidulatur in insulis et rupibus marinis tum intra tum extra circulum polarem sitis, ex. gr. in Insula Gottlandia &c.

CCIV. URIA GRYLLE, *Lath.*

DIAGN: Rostrum nigrum, pedes rubri, tectrices alarum albæ.

SYNONYMA.

Uria Grylle, Lath. Ind. II. p. 797. Retz Faun. p. 148. n. 108. Fabr. Fn. p. 92. n. 60. Ödm. Act. Acad. Holm. 1781. p. 228. Brünn. Bor. 113.

Uria minor nigra, Briss. Orn. 2. p. 379.

Colymbus Grylle, Lin. Syst. I. p. 220. Fn. Sv. n. 148. Gmel. Syst. I. 2. p. 584. n. 1.

Le petit Guillemot noir, Büff. Ois. IX. p. 354.

Guillemot à miroir blanc, Temm. Man. p. 608.

Black Guillemot, Lath. Syn. VI. p. 332. Pen. Brit. Zool. II. p. 521. Pen. Arct. Zool. II. p. 516. n. 437. Edw. Av. t. 50.

Der schwarze Lumme, Bechst. Deutschl. IV. p. 586. Meyer Liv. u. Esthl. p. 223.

Avis junior: Uria Baltica et *Grylloides* Brünn. Bor. p. 28. n. 114. 115. 116.

Colymbus Lacteolus, Gmel. Syst. I. 2. p. 583. n. 13.
Cepphus Lacteolus, Pall. Spic. V. p. 33.
Uria Lacteola, Lath. Ind. II. 798.
Uria Albida, Bechst. Nat. D. IV. p. 593.
Svecis: Grisla, Gresla; *Gottl.* Grylle. *Norveg.* Teiste, Teste. *Scanis:* Iste.

DESCRIPTIO.

Longit. 13 poll. Alæ extensæ 22 poll. Rostr. $1\frac{1}{8}$ poll. A flexura alæ 7 poll. Tibia $1\frac{3}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum nigrum. Iris nigro-brunnea. Os intus et pedes rubri. Lingua semiteres, supra plana, acuta apice bifido.

Caput, collum et totum corpus nigrum, tectricibus alarum inferioribus et superiorum majoribus et mediis albis, unde macula magna alarum alba in ala composita oritur.

Femina aliquantum minor colore nigro minus saturato.

Avis junior autumno: Rostrum nigrum, pedes nigri, antice sordide rubescentes. Os intus pallide rubrum. Iris nigro-brunnea.

Caput supra nigrum. Dorsum nigrum pennis uropygii et scapularum albido fimbriatis. Gula, pectus et abdomen alba. Latera capitis, collum et hypochondria alba, nigro tenuissime et irregulariter undulata. Alæ saturate nigræ macula magna alba, nigro sæpe irrorata vel variegata.

OBSERV.

Ab hoc pulli colore sensim abit avis in colorem *Senioris* ante descriptum, quem tamen non ante quartum vel quintum ætatis annum perfecte adtingit.

HISTORIA.

Habitat ad insulas maris occidentalis et Baltici, in arcticis frequentius, in plagis meridionalioribus rarius æstivans. Nidulatur tamen quotannis in insulis et rupibus quæ ad oras Bahusiæ, Hallandiæ et Scaniæ sita sunt ex. gr. Hallands wäderö, et ad Gottlandiam &c. In oris tamen scopulosis Norvegiæ longe frequentissima, ibique migratoria per hiemen abit. Ova 2 albida nigro-maculata, in fissura rupis cujusdam ponit. Vescitur pisciculis et crustaceis.

CCV. URIA ALLE, *Temminck.*

DIAGN: Supra saturate nigra, subtus remigibusque secundariis apice albis. Rostrum brevissimum.

SYNONYMA.

Uria Alle, (Guillemot Nain) Temminck Manuel d' Ornith. p. 611.

Uria Minor, Briss. Orn. 2. p. 378.

Alca Alle, Lin. Syst. I. p. 211. Gmel. I. 2. p. 554. Lath. Ind. II. p. 795. 10. Lin. Faun. n. 142. Fabr. Faun. Groenl. p. 84. n. 54.

Little Auk, Pen. Brit. Zool. II. tab. 82. n. 233. (Non descript.)

Small black and white Diver, Edw. Av. t. 91.

Avis Junior: Alca Alle, Retz. Faun. Sv. p. 142. n. 100. Brünn. bor. p. 26. n. 106.

Le Petit Guillemot femelle, Buff. Pl. enl. 917.

Little Auk, Pen. Brit. Zool. II. p. 517. (Descr.) Arct. Zool. II. p. 512. n. 429. Lath. Syn. V. p. 327.

Peder Dricker, Gunn. Act. Nidros. I. p. 261. t. 6.

Der kleine Alk, Bechst. Nat. D. IV. p. 732.

Nautis Svec., Grönlands Dufwa. *Norvegis:* Peder-dricker.

DESCRIPTIO.

Longit. 8½ poll. Rostr. superne ½ poll. Ala a flexura 4⅝; Tibia ⅝ poll. Digit. med. 1⅝ poll.

Rostrum nigrum. Iris nigro-fusca. Pedes fusco-rufescentes membranis nigricantibus.

Obs. Rostrum brevissimum; præterea omnes habet characteres ad *Genus Uriæ* pertinentes.

Caput, gula et jugulum, collumque supra, Dorsum, Alæ et Cauda saturate nigra, Remigibus secundariis apice albis, primoribus fuscis. Collum inferius antice, pectus, abdomen et crissum pure alba.

Avis junior: Gula et Jugulum pure alba. Regio aurium et stria occipitalis alba, nigro quasi irrorata. Palpebra superior alba. Pennæ scapulares striis quibusdam longitudinalibus albis, præterea seniori similis.

HISTORIA.

Incolit Maria maxime borealia, nec nisi hieme et quidem raro oras meridionalioris Sueciæ visitat. Vescitur crustaceis, insectis et vermibus marinis. Nidulatur in fissuris rupium præruptarum.

TRIBUS POSTERIOR: Pedibus tetradactylis.

SECTIO PRIOR.

Digitis anticis membrana integra junctis, postico libero.

A. Rostro edentulo:

COLYMBUS.

Rostrum mediocre, rectum, subulatum, compresso-teres, acutissimum, maxillis strictis margine inflexis.

Nares laterales, perviæ, juxta basin rostri sitæ, membrana plumosa semitectæ.

Pedes mediocres, retracti. *Tibiæ* compressissimæ. *Digiti* antici longi palmati: posticus membrana lobiformi instructus; *Ungvibus* latis et obtusis.

Alæ breves remige prima ceteris longiore.

Cauda brevis rotundata.

CCVI. COLYMBUS GLACIALIS, *Lin.*

Diagn: Caput et collum nigra. Fascia gulæ et macula cervicis interrupte alba. Corpus supra nigrum maculis quadrangularibus albis (Senior).

DIAGN: Caput et collum supra cinereo-fusca. Dorsum fuscum marginibus pennarum cinereis. Collúm antice et corpus subtus alba. (Junior).

SYNONYMA.

Plongeon Imbrim, Tem. Man. d'Ornith. p. 597.

Avis Senior:

Colymbus Glacialis, Lin. Syst. I. p. 221. n. 5. Gmel. Syst. I. 2. p. 588. Lath. Ind. II. p. 799. Fabric. Faun. Groenl. p. 97. n. 62.

Colymbus torquatus, Brünn. Bor. p. 41. n. 134.

L'Imbrim ou Grand Plongeon, Buff. Ois. VIII. p. 258. t. 22. — Pl. Enl. 952.

Northern Diver, Pen. Brit. Zool. II. p. 523. t. 84. n. 237. Arct. Zool. II. p. 518. n. 439. Lath. Syn. VI. p. 337.

Hav-Hymber, Gunner. Act. Nidros. III. p. 125.

Eistaucher, Bechst. N. D. IV. p. 595. — Meisner u. Schinz Vögel der Schweiz p. 257.

Avis Junior:

Colymbus Immer, Brünn. l. c. n. 129. Linn. l. c. p. 222.

Imber Diver, Pen. Brit. Zool. II. p. 524. t. 84. n. 238.

Himbryne, Olafs. et Pov. Reis. Isl. I. p. 556. tab. 40.

Imber Taucher, Bechst. N. D. IV. p. 621.

Imber, Gunner. Act. Nidros. III. p. 240. tab. II. f. I.

Svec. Bahusiens. et *Norveg.* Immer, Imber, Emmer, Ömmer. Hymber, Hav-Hymber.

DESCRIPTIO.

Longitudo Avis usque ad 30 poll. Rostrum superne fere 3 poll.; a sinu oris 4 poll.; basi $1\frac{1}{8}$ poll. latum,

maxillis vix inflexis. A flexura alæ 15 poll. Tibiæ $3\frac{3}{8}$ poll. Digit. extim. $4\frac{5}{8}$ poll.; med. 4 poll. intimus $3\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum nigrum, majus et basi crassius quam sequentis Speciei. Maxilla superior porrecta, inferior sursum curvata. — *Pedes* extus nigricantes, intus et membrana albicantes.

Caput et collum nigra viridi-et coeruleo-nitentia. Linea juguli transversalis alba, et cervicis macula semilunaris alba, nigro striata. Dorsum, scapulares et alarum tectrices nigra, maculis albis in dorso et scapulis quadrangularibus, in tectricibus alarum et uropygio fusco, minoribus, rotundatis. Pectus, abdomen et crissum alba, hypochondriis nigro striatis.

Mus. Upsal.

Avis Junior:

Rostrum supra griseo-fuscum; subtus albidum.

Caput, occiput et cervix cinereo-fusca. Dorsum, Alæ et Uropygium saturate fusca marginibus pennarum cinereis. Gula et jugulum totumque corpus subtus alba.

HISTORIA.

Habitat æstate in lacubus plagæ arcticæ, præsertim Finmarkiæ, ubi in insulis nidulatur. Ova 2 fuscescentia. Pullis exclusis mare petit, ubi excellenter urinando prædam ex piscibus, insectis aliisque animalculis marinis quærit. Hyeme interdum, sed rarius, oras Bahusiæ visitat.

CCVII. COLYMBUS ARCTICUS, *Lin.*

DIAGN: Caput et Collum supra cinerea; gula et jugulum nigra fascia gulæ aliaque laterum colli

interrupte alba. Corpus supra nigrum, maculis qvadrangularibus albis. (Senior).

SYNONYMA.

Columbus Arcticus, Lin. Syst. Nat. I. p. 221. Fn. Svec. p. 52. n. 150. Retz. Fn. p. 147. n. 106. Gmel. Syst. I. p. 587. Lath. Ind. II. p. 800.

Petit Plongeon de la mer du Nord, Büff. Ois. VIII. p. 261.

Plongeon Lumme, Tem. Man. d'Orn. p. 599.

Black throated Diver, Pen. Brit. Zool. II. p. 527. n. 241. tab. 85. fig. infer. — Arct. Zool. II. p. 520. n. 444. Lath. *Syn.* VI. p. 343. Edw. Av. III. tab. 146.

Der Polar Taucher, Bechst. Nat. D. IV. p. 600.

Schwarzkehliger Seetaucher, Meyer Liv- und Esthl. p. 225. Meisner u. Schinz Vögel der Schweiz p. 258.

Junior Avis:

Colymbus ignotus, Bechst. N. D. Ima Edit. II. p. 782. Id. IIda Edit. IV. p. 625.

Svecis: Lom.

DESCRIPTIO.

Longit. 26-28 poll. Rostr. superne $2\frac{6}{8}$; a sinubus oris $3\frac{1}{2}$ poll. Basi $\frac{5}{8}$ poll. latum, multo magis quam antecedentis compressum et marginibus inflexis. A flexura alæ ad apicem 13 poll. Tibia 3 poll. Digit. extim. $4\frac{3}{8}$; postic. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum nigricans maxilla superiore subdecurvata, inferiore ad medium æquali altitudine, subtus sulco longitudinali exarata, dehinc in apicem acutissimum decrescente. Iris fusca. Pedes extus fusci, intus et membrana albidis.

Caput et collum supra cinerea, qui color versus frontem et in lateribus capitis sensim in nigrum transit. Gula et jugulum nigra violaceo-nitentia, linea transversali Gulæ alba, nigro interrupta. Latera colli fascia longitudinali alba, nigro longitudinaliter striata. Corpus supra et latera nigra. Pennæ scapulares et latera interscapulii maculis quadrangularibus albis in ordinibus positis. Tectrices alarum maculis minoribus albis adspersis. Collum inferius album nigro striatum. Pectus et totum corpus subtus alba.

Avis Junior: Pullus similis est juniori *Col. Glaciali*, in omnibus fere, excepta magnitudine. Sensim pennæ nigræ in gula, jugulo et dorso erumpunt, quæ magis magisque augentur. Anno secundo maculæ scapularum albæ explicantur et anno tertio peracto colorem manentem plerumque recepit avis.

HISTORIA.

Habitat in lacubus et fluviis per totam Sveciam vulgaris excepta Scania. Migrat instante hyeme tumque in maribus nostris occurrit. Nidulatur in lacuum insulis vel ripis inter gramina et arundines. Ova duo fusca. Vescitur piscibus, ranis, insectis et plantis aquaticis.

CCVIII. COLYMBUS SEPTENTRIONALIS, *Lin.*

DIAGN: Capitis et colli latera cinerea. Jugulum rufum. Cervix nigricans, albo striatus. (Senior).

SYNONYMA.

Colymbus Septentrionalis, Lin. Syst. p. 220. Retz. Faun. p. 148. n. 107. Fabr. Faun. Groenl. p. 94. n. 61. Gmel. Syst. I. 2. p. 586. Lath. Ind. II. p. 801. n. 5. — Gunner. Act. Nidros. I. p. 244. t. 2. f. 2.

Colymbus Lumme, Brünn. Orn. bor. p. 39. n. 132.

Plongeon Cat-marin, Temm. Man. d'Orn. p. 602.

Plongeon a gorge rouge, Buff. Ois. VIII. p. 264. Pl. enl. 308.

Red throated Diver, Pen. Brit. Zool. II. p. 526. n. 240. tab. 85. fig. sup. — Arct. Zool. II. p. 520. n. 443. — Lath. Syn. VI. p. 344. Edw. Av. II. t. 97.

Roth Kehliger Taucher, Bechst. N. D. IV. p. 609. Meyer Liv. u. Esthl. p. 227. Meisner und Schinz Vögel der Schweiz p. 259.

Avis Junior:

Colymbus Stellatus, Gmel. Syst. I. 2. p. 587. Lath. Ind. II. p. 801.

Plongeon Cat-marin et *Petit Plongeon*, Buff. Ois. VIII. p. 256. et 254. t. 21. Pl. enl. 992.

Speckled Diver, Pen. Brit. Zool. II. p. 525. Lath. Syn. VI. p. 341.

Gesprenkelte Taucher, Bechst. N. D. IV. p. 613.

OBSERV.

Colymbus Striatus Gmel. et *Col. borealis* Brün. ad hanc Speciem pertinent.

DESCRIPTIO.

Longit. 22-24 poll. Rostr. superne $2\frac{5}{8}$ poll. Ab angulo oris 3 poll. A flexura alæ ad ejusdem apicem $11\frac{1}{2}$ poll. Tibia 3 poll. Digit. extim. $3\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum nigrum, rectum, compressum, maxillis margine inflexis, inferiore aliquantum sursum flexa. Iris fusco-aurantia. Pedes extus virescenti-nigri, intus cum membranâ virescenti-albi.

Gula, latera capitis et colli cinerea; pileus fuscus marginibus pennarum cinereis. Nucha, cervix et colli inferioris latera nigricantia, striis longitudinalibus albis. Jugulum macula longitudinali rufa. Corpus supra fusco-nigricans, in senioribus immaculatum, in junioribus adspersum maculis parvis albidis. Pectus et totum corpus subtus album.

Avis Junior habitu hyemali:

Caput et collum supra cinereo-fusca. Dorsum et alæ cinereo-nigricantia marginibus pennarum tenuibus albidis. Gula, genæ, pectus et abdomen alba; Latera colli, capitis inferiora et collum antice fusco quasi sordida. Fascia per anum fusca.

HISTORIA.

Habitat in lacubus et fluviis Sveciæ, in borealibus plagis frequentior. Autumno migrans extra oras marinas frequens obvenit. Nidulatur juxta aquas inter gramina et arundines. Ova duo fusco-grisea maculis rarioribus nigris ornata. — Victus ut antecedentis.

GENUS.

STERNA.

Rostrum mediocre, subrectum, compressum, acutum.
Nares pone medium rostri, lineares, perviæ.
Pedes tenues, supra genua nudi.
Alæ longæ, acuminatæ.
Cauda forficata.

CCIX. STERNA CASPIA, *Pall.*

DIAGN: Rostrum robustum, coccineum. Pileus et pedes nigri. Corpus supra canescens, subtus et cauda fissa alba.

SYNONYMA.

Sterna Caspia, Pall. nov. Comm Petrop. XIV. p. 582. Sparrm. Mus. Carlss. fasc. III. t. 62. Ödmann N. Act. Acad. Holm. 1782. p. 230. Gmel. Syst. I. 2. p. 603 Lath. Ind. II. p. 803. Retz. Faun. p. 164. n. 126.

Sterna Megarhynchos, Meyer Taschenb. Deutschl. p. 457.

Hirondelle de mer Tschegrawa, Tem. Man. d'Ornith. p. 476.

Caspian Tern, Lath. Syn. VI. p. 350.

Caspische Meerschwalbe, Bechst. N. D. IV. p. 675.
Roslagis: Skränmåse.

DESCRIPTIO.

Longit. 20-21 poll. Rostr. 2$\frac{5}{8}$ poll. validum, ($\frac{7}{8}$ poll. altum), compressum, maxillis acutissimis. A flexura alæ ad apicem 15$\frac{1}{2}$ poll. Cauda 6$\frac{1}{2}$ poll. Tibia 1$\frac{6}{8}$; Digit. med. 1$\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum coccineum. Iris fusco-flavescens. Pedes nigri.

Pileus et pars cervicis nigra. Dorsum, alæ et cauda supra pallide cana. Collum, pectus, abdomen et tectrices inferiores pure alba. Remiges primores pallide cinereæ, latere interiore et apice griseo-fuscæ.

Junior: Caput supra nigricans albo maculatum et irroratum. Dorsum et alæ cana maculis fuscis. Cauda parum fissa. Rectricibus canis, ante apicem album fusco-maculatis. Mus. Thunb.

HISTORIA.

Habitat ad oras Balthicas Sveciæ mediæ: ex. gr. Roslagiæ &c. rarior tamen avis. Nidulatur in arena litorali, vel in rupibus juxta litora sitis. Ova 2-3 alba maculis nigris ornata. (Vide præterea Ödm. l. c.)

CCX. STERNA HIRUNDO.

Diagn: Rostrum et pedes rubri. Corpus supra canum pileo nigro; subtus cano-album. Remiges et Rectrices extimæ extus nigricantes.

Junior: Rostrum nigricans basi subtus luteo-rubrum. Pedes aurantii.

SYNONYMA.

Sterna Hirundo, Linn. Syst. I. p. 227. Fn. Svec. n. 158. Retz. Fn. Svec. p. 162. n. 124. (Obs. Descriptio posterior huic adjuncta ad Sternam nigram juniorem pertinet.) Lath. Ind. II. p. 807. Fabr. Groenl. p. 105. n. 69. Gmel. Syst. I. 2. p. 606.

Hirondelle de Mer, *Pièrre Garrin*, Buff. Ois. VIII. p. 331. t. 27. Pl. Enl. 987. Temm. Man. d'Orn. p. 481.

Great Tern, Pen. Brit. Zool. II. p. 545. t. 90. Arct. Zool. II. p. 524. Lath. Syn. VI. p. 361.

Gemeine Meerschwalbe, Bechst. N. D. IV. p. 682. Mey. Liv. p. 229. Meisner u. Schinz Vögel Schweiz p. 261.

Svecis: Tärna.

DESCRIPTIO.

Longit. 14 poll. Rostr. a fronte $1\frac{1}{2}$. Tibia 1 poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$; Cauda fere 6 poll. A flexura alæ ad apicem ejusdem $10\frac{1}{2}$ poll.

Avis Senior:

Rostrum rubrum apice (plerumque) nigro. Pedes rubri. Iris rufa.

Pileus et pars cervicis nigra; latera capitis inferiora et colli, gula, jugulum, uropygium et crissum alba. Dorsum et alæ pulcherrime cana. Pectus album cano colore levissime illitum. Abdomen album. Remiges primores rachibus et margine interiore albis; prima nigro-cinerea, ceteræ cano-cinereæ; secundariæ colore dorsi apice albo marginatæ. Cauda forficata alba, Rectricibus lateralibus 2-3. extus nigro-cinereis.

Junior: Rostrum nigricans basi subtus luteo-rubrum. Pedes aurantii. Frons sordide alba, vertex fronti

concolor sed nigro-maculatus, stria per oculos et occiput nigra, albido irrorata. Dorsum medium et tectrices alarum mediæ cana, apicibus pennarum sordide luteo-albidis. Tectrices alarum minores nigricantes. Rectrices laterales latere interiore albæ, exteriore nigro-cinereæ, ceteræ albæ, cano tinctæ. Tectrices caudæ superiores, collum corpusque totum subtus album.

HISTORIA.

Inter congeneres maxime vulgaris Species. Habitat ad oras maritimas et in insulis usque intra circulum polarem. In lacubus quoque fere omnibus Sveciæ meridionalis obvenit et nidulatur. Migrat mense Septembri et mature revertitur. Ova 3-4 fusco-olivacea, cinereo et nigro maculata, in arena litorali vel in ipsa rupe, sine strato, ponit. Vescitur pisciculis et insectis aquaticis.

CCXI. STERNA CANESCENS, *Meyer.*

DIAGN: Rostrum tenue, nigrum. Pileus et pedes nigri. Corpus supra canescens, cauda forficata alba.

SYNONYMA.

Sterna Canescens, Meyer Taschenb. II. p. 458. — *Sterna Boysii*, Lath. Ind. II. p. 806.

Sterna Stubberica, Otto Buff. Ois. XXXI. p. 104. cum fig. Bechst. N. D. IV. p. 679.

Sandwich Terne, Lath. Syn. VI. p. 356. Id. suppl. I. p. 266.

Avis Junior: Sterna Nubilosa, Retz. Fn. p. 165. n. 127.

Sterna Striata, Lath. Ind. II. p. 807. Lath. Syn. VI. p. 358. tab. 98.

DESCRIPTIO.

Longit. 16 poll. Rostr. $2\frac{2}{8}$ poll. (basi $\frac{1}{2}$ poll. altum). A flexura alæ ad apicem $11\frac{1}{2}$ poll. Cauda $5\frac{1}{2}$; Tibia $1\frac{1}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{1}{8}$ poll.

Rostrum compressum, strictum, marginibus utrinque inflexis, gracile, nigrum, apice pellucidum, lutescens. Pedes nigri.

Avis habitu æstivali:

Pileus niger pennis occipitis longioribus. Dorsum et alæ pallide cana. Remiges cinereæ, latere interiore albæ. Ceterum caput, collum, corpus subtus et cauda alba. *Mus. Thunb.*

OBSERV. I.

Avem habitu hiemali, quam descripsit cel. Temminck l. c. videre mihi non licuit, nec apud nos observari potest, cum ante hyemem oras nostras relinquit.

OBSERV. 2.

Sterna Nubilosa, Sparrm. Mus. Carlss. tab. 63, sine dubio ut junior ad hanc speciem pertinet; quam avem cum in Museo Academiæ Scient. Holmensi videre et describere mihi licuit; descriptionem heic adjungam:

Longit. $11\frac{1}{2}$ poll. Rostr. a fronte $1\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 10 poll. Cauda fere 5 poll. ejusque pennæ mediæ 3 poll. Alæ extra caudam extenduntur ad 2 poll. — Femora nuda $\frac{5}{8}$ poll. Tibia fere 1 poll. Digit. med. $1\frac{1}{8}$ poll. postic. $\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum strictum, parum decurvatum, nigrum, basi latius ($\frac{1}{2}$ poll.), extus valde compressum, maxillis margine inflexis. *Pedes* fusci.

Frons et tota avis subtus alba. Fascia fuscescens inter rostrum et oculum. Caput, collum, dorsum, alæ et cauda cinereo-fusca. Remiges primores nigræ, margine interiore pallide cinereæ.

OBSERV. 3.

Quoad magnitudinem, formas et proportiones, colore tantum excepto, mirandum in modum similis est *Sternæ Albæ* (Mus. Carlss. I. tab. II.) quæ quoque in Museo eodem asservatur.

HISTORIA.

Habitat rarius in insulis maris Balthici. Nidulatur in arena litorali vel in rupibus nudis. Ova 2-3 albida, maculis nigricantibus picta. Victitat piscibus.

CCXII. STERNA NIGRA, *Lin.*

DIAGN: *Rostrum* nigrum. *Pedes* brunnei. *Caput* nigrum. *Crissum* album. *Corpus* supra canum subtus nigro-cinereum.

SYNONYMA.

Sterna Nigra, Lin. Syst. I. p. 227. n. 3. Fn. Sv. n. 159. Lath. Ind. II. p. 810. Gmel. Syst. I. 2. p. 608. Retz. Fn. p. 164. n. 125.

Sterna fissipes, Linn. Syst. I. p. 228. n. 7. Gmel. Syst. I. 2. p. 610. Lath. Ind. II. p. 810.

Sterna obscura, Gmel. l. c. p. 608. Lath. l. c. p. 810.

Hirondelle de mer à tête noire ou Gachet, Buff. Ois. VIII. p. 342.

Guifette noire ou Epouvantail, Buff. Ois. VIII. p. 341. Pl. enl. 333.

Black Tern, *Lesser Sea Swallow* et *brown Tern*, Penn. Brit. Zool. II. p. 547. n. 256. Lath. Syn. VI. p. 366. n. 22. A. n. 23.

Schwarze Meerschwalbe, Bechst. N. D. IV. p. 692 et 697.

Junior autumno:

Sterna Nævia, Linn. Syst. I. p. 228. n. 5. Gmel. Syst. I. 2. p. 609. n. 5.

Sterna Boysii, var. a. Lath. Ind. II. p. 806.

La Guiette, Buff. Pl. enl. 924.

OBSERV.

Huc pertinet Descriptio sub. *Stern. Hirund.* data in Retz. Fn. Sv. p. 163.

DESCRIPTIO.

Longit. $9\frac{1}{2}$ poll. Rostr. a fronte $1\frac{1}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem fere 9 poll. Cauda $3\frac{3}{8}$ poll. Tibia $\frac{6}{8}$; Digit. med. $\frac{7}{8}$; postic. $\frac{3}{16}$ poll.

Rostrum nigrum, valde compressum et acuminatum. Pedes rubri fusco tincti, membranâ natatoriâ excisâ, unde semipalmati appareant. Cauda bifida, alis 2 fere pollic. brevior.

Senior æstate:

Caput et collum nigra, gula, collum antice, pectus et abdomen cinereo-nigra. Dorsum, alæ et cauda coeruleo-cinerea. Remiges primores nigro-cinereæ latere exteriore pallido, rachibus albis. Rectrices laterales albæ versus apices cinerascentes. Crissum, tectrices caudæ et alarum inferiores pure alba.

Avis post autumnalem pennarum mutationem:

Pileus niger fascia frontali alba. Corpus totum cinereo-canum tectricibus caudæ inferioribus et gula albis juguloque albo maculato. Rectrices concolores.

Pullus ante autumnalem pennarum mutationem:

Caput supra et nucha nigra fronte sordide alba. Tota avis subtus a gula ad caudam lateraque colli alba, qui color totum fere collum cingit. Stria nigricans per oculos. Corpus supra cinereo-fuscum pennis scapularibus et tectricibus alarum ferruginescenti marginatis. Uropygium pallide cinereum. Cauda parum forficata Rectricibus apice obtusis, cinereis apice rufescenti marginatis.

HISTORIA.

Habitat in paludibus et carectis passim frequens, non solum in Scania sed quoque in media Suecia. Nidulatur inter gramina. Ova 2-4 olivacea maculis fuscis et nigris adspersa. Vescitur insectis et vermibus aquaticis.

CCXIII. STERNA MINUTA, *Lin.*

DIAGN: Rostrum et pedes lutei. Pileus et lora nigra, fronte superciliisque albis. Corpus supra pallide canum, subtus et cauda alba. Remiges tres extimæ extus nigricantes.

SYNONYMA.

Sterna Minuta, Lin. Syst. I. p. 228. Lath. Ind. II. p. 809.

La petite Hirondelle de mer, Buff. Ois. VIII. p. 337. Pl. enl. 996. Temm. Man. d'Ornith. p. 487.

Lesser Tern, Pen. Brit. Zool. II. p. 546. n. 255. Lath. Syn. VI. p. 364.

Die kleine Meerschwalbe, Bechst. N. D. IV. p. 699. Meisner u. Schinz Vögel Schweiz. p. 265.

DESCRIPTIO.

Longit. $8\frac{1}{2}$-9 poll. Rostr. a fronte $1\frac{2}{8}$. A flexura alæ 7 poll. Cauda $3\frac{4}{8}$ poll. Tibia $\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum compressum, acuminatum, luteum apice nigro. Nares lineares perviæ. Pedes sordide flavi unguibus acutis nigris. Cauda valde forficata.

Caput supra, nucha et lora nigra. Frons et supercilia alba. Dorsum et alæ supra pallide cana. Remiges primores tres nigricantes vexillo interiore dimidiate albo, ceteræ colore dorsi, margine interiore albo. Tota avis subtus et cauda alba, Pectore canescente.

HISTORIA.

Nova hæc Faunæ nostræ incola, inter maxime vulgares sui generis, saltem in Scania, est numeranda. Habitat in litoribus marinis et in campis adjacentibus arenosis Scaniæ et Hallandiæ (In Scanörsljung copiose). In Norvegia illam quoque observavi. Nidulatur in arena. Ova 2-3 pallide virescentia maculis majoribus minoribusque brunneis et cinereis ornata, mense Junio leguntur. Vescitur insectis et vermiculis marinis.

GENUS.

L A R U S.

Rostrum mediocre, compressum, cultratum, nudum, apice subadunco: maxilla inferiore pone apicem subtus angulato-gibba, compressa.

Nares in medio rostri, sublineares, postice angustiores, perviæ.

Pedes graciliusculi femoribus seminudis.

Alæ longæ Remigibus 1ma et 2da fere æqualibus.

Cauda brevis, æqualis.

CCXIV. LARUS MARINUS, *Linn.*

Diagn: Albus dorso et alis nigris; Remigibus apice albis. Rostrum luteum angulo rubro. Pedes albidi.

SYNONYMA.

Larus Marinus, Linn. Syst. I. p. 225. Fn. Sv. n. 155. Ödmann N. Act. Holm. 1783. p. 101 Gmel. Syst. I. 2. p. 598. Lath. Ind. II. p. 813. n. 6.

Goeland à manteau noir, Temm. Man. d'Ornith. p. 490. Buff. Ois. VIII. p. 405. Pl. enl. 990.

Blackbacked Gull, Penn. Brit. Zool. II. p. 528. n. 242. Arct. Zool. II. p. 527. n. 451. Lath. Syn. VI. p. 371.

Mantel Meve, Bechst. N. D. IV. p. 653. Meyer Liv. und Esthl. p. 230. Meisner u. Schinz l. c. p. 266.

Junior:

Larus Nævius, Linn. Syst. I. p. 225. n. 5. Gmel. Syst. I. 2. p. 598.

Goeland varié ou Grisard, Buff. Ois. VIII. p. 413. t. 33. Pl. enl. 266.

Wagel Gull, Penn. Brit. Zool. II. p. 536. tab. 88. n. 247.

Svecis: Hafsmäse; *Scanis:* Hafmäka. *Blekingis* Homåka l. Hålmäka.

DESCRIPTIO.

Longit. 30-31 poll. Alæ extensæ 5 ped. 8 poll. A flexura alæ ad apicem 1 ped. 8 poll. Rostrum a fronte fere 3 poll. A sinu oris 4 poll. Cauda 8 poll. Alæ extra caudam extenduntur fere ad 2 poll. Femora nuda 1½ poll. Tibia 3⅝ poll. Digit. med. 3½ poll. postic. ½ poll. *Femina* aliquantum minor est.

Rostrum pallide luteum apice albo: maxilla inferior pone apicem lateribus rubra. Margo palpebrarum aurantius. Iris luteo-grisea. Pedes albidi unguibus corneis.

Avis senior habitu æstivali:

Caput, collum, corpus subtus et cauda nivea; dorso, scapularibus et alis nigris cinereo tinctis. Remex prima apice longo albo, secunda quoque apice albo, sed ante apicem macula vexilli interioris nigra; tertia ante apicem album nigra; quarta ante apicem album macula nigra, antequam minor alba. Remiges secundariæ et pennæ scapulares apice albæ. Margo alarum albus.

Avis senior habitu hiemali:

Simillima jàm descriptæ, a qua tantum dignoscitur striis longitudinalibus fuscis in vertice nucha et lateribus capitis.

Avis junior primo anno:

Rostrum nigrum. Pedes pallide fusci.

Caput, collum et corpus subtus albida (sordide alba) striis longitudinalibus fuscis in capite et collo, maculisque transversis fuscis in pectore, abdomine et crisso. Dorsum, scapulæ et tectrices alarum fusca pennis albido-rufescenti terminatis et transverse fasciatis. Remiges primores nigricantes apicibus vix albidis. Rectrices nigricantes versus basin albo marmoratis, apicibus albis. Albedo in lateralibus magis prævalet.

Secundo anno:

Maculæ fuscæ capitis, colli et inferioris corporis sensim evanescunt, ita ut pennæ harum partium magis in pure album vergant. Rostrum nigrum apice et basi luteo-albidum. — Post hoc tempus partes corporis superiores sensim deponunt colorem variegatum et induunt colorem nigricantem, et quarto ætatis anno avis coloribus absolutis induitur.

HISTORIA.

Habitat in utroque mari ad oras Sveciæ et Norvegiæ, et in insulis eas adjacentibus. In insulis plagæ borealis imprimis frequens. Lacus et flumina nunquam visitat. Victus ejus sunt imprimis pisces, cadavera in unda natantia et ovula piscium. Interdum quoque pullos aliarum avium devorat. Nidulatur mense Majo in scopulis marinis tum intra tum extra circulum polarem. Ova 3-4 saturate viridi-olivacea, maculis majoribus et minoribus nigris ornata. Plumis et pen-

nis utilis est avis. Caro vero nunquam, quoad sciam, in Svecia comeditur. In Norvegiæ vero borealis insulis pulli hujus et sequentis speciei ab incolis capiuntur, et tamquam apud nos *Anseres*, farciuntur, farctique comeduntur.

CCXV. LARUS GLAUCUS, *Linn.*

DIAGN: Albus, dorso et alis canis, Remigibus apice albis. Rostrum luteum angulo rubro. Pedes pallidi.

SYNONYMA.

Larus Glaucus, Fabr. Fn. Groenl. p. 100. n. 64. Ödmann N. Act. Holm. 1783. p. 97. Lath. Ind. II. p. 814. Gmel. Syst. I. 2. p. 600. Retz. Fn. p. 156. n. 116. Brünn. Orn. bor. p. 44.

Goeland à manteau bleu, Temm. Man. d'Orn. p. 493. Buff. Ois. VIII. p. 406. t. 32. Pl. enl. 253.

Glaucous Gull, Lath. Syn. VI. p. 374. Penn. Arct. Zool. II. p. 532.

Herring Gull, Pen. Br. Zool. II. p. 533. n. 246. Arct. Zool. II. p. 527. Lath. Syn. VI. p. 372. n. 3.

Weissgraue Meve, Bechst. N. D. IV. p. 662.

Svecis: Gråtrut, Gråmåse. *Blekingis:* Slagmåka, Wintermåka.

DESCRIPTIO.

Longit. 25 poll. Alæ extensæ 4 ped. 9 poll. ad 5 ped. A flexura alæ ad apicem $17\frac{1}{2}$ poll. Rostrum a fronte $2\frac{1}{8}$ poll. A sinu oris $3\frac{1}{2}$ poll. Cauda $7\frac{1}{2}$ poll. Alæ extra caudam extenduntur ad 2 poll. Tibia 3 poll. Digit. med. $2\frac{6}{8}$ poll.

OBSERV. 1.

Femina in omnibus aliquantum minor.

OBSERV. 2.

Hæc Species in omnibus ætatibus a præcedente dignoscitur rostro et tibiis minoribus præcipue gracilioribus, nec tam ut in *L. Marino* robustis.

Rostrum pallide flavum angulo maxillæ inferioris rubro. Margo palpebrarum miniatus. Iris pallide lutea. Pedes pallide grisei unguibus nigro-fuscis.

Avis senior habitu æstivali:

Caput, collum, corpus subtus et cauda nivea immaculata, dorso, scapularibus et alis canis (coerulescenti-cinereis). Remiges primores 1-6 ante apicem nigræ, apice ipso albæ; secundariæ et scapulares canæ albo terminatæ.

Avis senior habitu hiemali:

Similis jam descriptæ, a qua tantum differt: striis longitudinalibus fuscis in vertice, nucha et lateribus capitis.

Avis junior primo anno: (Mense Aug.)

Rostrum nigrum basi tantum pallide griseum. Iris griseo-fusca. Pedes pallide grisei.

Caput, collum et corpus subtus grisea maculis fuscis frequentibus nebulosa et variegata. Dorsum et alæ variegata e fusco, griseo et rufescente. Remiges primores fuscæ apice vix albæ. Rectrices fuscæ versus basin variegatæ e fusco et albido, lutescenti terminatæ.

Avis secundo ætatis anno (Mense Aug. occisa).

Rostrum pallide griseum (l. lutescens) versus apicem fuscum, macula utrinque lutea, apice ipso griseo. Pedes pallide grisei unguibus fuscis.

Caput, collum et tota subtus alba maculis et striis fuscis in superiore capitis et colli parte atque ad latera

pectoris. Dorsum et scapulæ cana, inspersis pennis sordide griseis, fusco et albido transverse maculatis. Tectrices alarum fuscæ marginibus et fasciis pallide griseis s. albidis. Remiges primores nigricantes, apice albidæ et extima ante apicem macula magna alba; secundariæ fuscæ albo marginatæ et terminatæ. Uropygium et tectrices caudæ alba fasciis transversis fuscis. Rectrices versus apicem nigricantes, versus basin albo marmoratæ, quæ albedo in lateralibus prævalet.

Varietas. Tota pallide grisea, fuscescenti nebulosa et variegata. Mus. Lund.

HISTORIA.

Habitat in insulis utriusque maris, neque tamen nisi hiemali tempore juxta litora Scaniæ a me visa. Lacus quoque et flumina interdum visitat. Habeo specimen in flumine prope Lund occisum. In insulis tamen et rupibus maris Norvegici usque intra circulum polarem multo frequentius occurrit. Victus ut præcedentis speciei. Nidulatur in rupibus nudis. Ova 2-3 colore variant, jam saturate olivacea, jam coerulescentia maculis semper nigris et cinereis picta. Pulli farcti ab insulanis Norvegicis comeduntur.

CCXVI. LARUS FUSCUS, *Linn.*

DIAGN: Albus dorso et alis coerulescenti-nigris. Remiges primores nigræ, extimis duabus macula ante apicem ovali alba. Rostrum luteum angulo rubro. Pedes flavi.

SYNONYMA.

Larus Fuscus, Linn. Syst. I. p. 225. Fn. Sv. N. 154. Retz. Fn. p. 151. n. 118. Ödm. l. c. p. 105. Gmel.

Syst. I. 2. p. 599. Lath. Ind. Orn. II. p. 815. n. 8.

Larus Flavipes, Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 231. Taschenb. Deutsch. II. p. 469. cum tab.

Herrings Meve, Bechst. N. D. IV. p. 658.

Svecis: Sillmåse, Sillmåka.

DESCRIPTIO.

Longit. 22 poll. A flexura alæ ad apicem 17 poll. Rostrum a fronte 2 poll. A sinu oris 3 poll. Cauda $6\frac{2}{8}$ poll. Tibia $2\frac{3}{8}$ poll. Digit. med. $2\frac{2}{8}$ poll.

Femina aliquantum minor.

Rostrum citrinum, angulo maxillæ inferioris rubro. Iris et margines palpebrarum flava. Pedes flavi. Alæ extra caudam longius progrediuntur.

Senior habitu æstivali:

Caput, collum, corpus subtus et cauda cum tectricibus nivea immaculata. Dorsum, scapulares et alæ nigra coerulescenti tincta. Remiges primores saturate nigræ apicibus tenuiter albis, prima (et interdum quoque secunda) ante apicem macula longa alba: secundariæ et scapulares apicibus late albis.

Senior habitu hiemali:

Similis jam descriptæ, a qua tantum differt: striis longitudinalibus fuscis in vertice, nucha et lateribus capitis.

Junior primo anno: Rostrum nigrum basi fusco. Pedes sordide ochracei. Remiges nigræ immaculatæ. Præterea tam similes sunt pullis *Lari Marini*, ut nihil fere nisi magnitudine dignoscantur.

HISTORIA.

Habitat juxta oras maris Balthici et occidentalis; in borealibus tamen plagis peninsulæ multo frequentior

quam in meridionalioribus. Nidulatur in rupibus marinis vel in arena litorali. Ova 3 griseo-fusca maculis nigris ornata.

CCXVII. LARUS EBURNEUS, *Gmel.*

Diagn: Totus albus, rostro pallide luteo, basi coerulescente, pedibus nigris.

SYNONYMA.

Larus Eburneus, Gmel. Syst. I. 2. p. 596. Lath. Ind. II. p. 816. n. 16.

Larus niveus, Mart. Spitzb. t. L. f. A. Phipps Reise.

Larus candidus, Fabr. Groenl. p. 103. n. 67.

Mouette Blanche ou Sénateur, Temm. Man. d'Ornith. p. 498. Buff. Ois. VIII. p. 422. Pl. enl. 994.

Ivory Gull, Lath. Syn. VI. p. 377.

DESCRIPTIO.

Longit 17½-18 poll. A flexura alæ ad apicem 14½ poll. Rostr. a fronte 1½ poll. A sinu oris 2 poll. Tibia 1½ poll. Digit. med. 1⅝ poll. postic. ⅜ poll.

Rostrum robustum et minus quam in *Laro cano* compressum, basi coerulescens, apice pallide luteum. Pedes nigri.

Avis senior habitu æstivali:

Tota avis pulcherrime alba immaculata.

"*Pulli* maculati sunt maculis oblongis nigris præsertim in dorso alisque. Rostrum illorum etiam nigricat. Fabric. l c.

HISTORIA.

Habitat in oceano maxime boreali juxta Spitzbergam et Groenlandiam. Hieme meridionaliores plagas petens

oras Norvegiæ, Hallandiæ &c. interdum visitat; unde ut opinor, rupes Bahusienses quoque salutat, quamvis nondum ibidem ab ornithologo observatus fuerit. (Specimen descriptum in Norvegia occisum est). Oeconomia et propagatio adhuc plane incognitæ sunt.

CCXVIII. LARUS CANUS, *Linn.*

DIAGN: Albus dorso et alis canis. Remiges extimæ duæ macula ante apicem alba. Rostrum luteum. Pedes flavi.

SYNONYMA.

Senior habitu æstivali:

Larus canus, Lin. Fn. Svec. p. 54. n. 153. Ödmann l. c. p. 109. Retz. Fn. p. 158. n. 119. Gmel. Syst. I. 2. p. 596.

Common Gull, Pen. Brit. Zool. II. p. 538. n. 249. Lath. Syn. VI. p. 378.

Senior habitu hiemali:

Larus Cyanorhynchus, Mey. Taschenb. II. p. 480. n. 5.

Mouette a pieds bleus, Buff. Ois. VIII. p. 428. Pl. enl. 977.

Junior avis:

Larus hybernus, Gmel. I. 2. p. 596.

Larus procellosus, Bechst. N. D. IV. p. 647. (junior).

La Mouette d'Hiver, Buff. Ois. VIII. p. 437.

Winter Gull, Pen. Brit. Zool. II. p. 537. Lath. Syn. VI. p. 384.

Svecis: Fiskmåse, Fiskmåka.

DESCRIPTIO.

Longitudo 17 poll. Alæ extensæ 3 ped. 2-3 poll. Rostrum a fronte $1\frac{3}{8}$ poll. A sinu oris $2\frac{1}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $13\frac{1}{2}$ poll. Cauda $5\frac{1}{2}$ poll.; Alis complicatis 3 pollices brevior. Tibia $1\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{5}{8}$, postic. $\frac{2}{8}$ poll.

Rostrum virescenti-luteum. Os intus aurantium. Anguli oris et margines palpebrarum cinabarini. Iris fusco-grisea. Pedes viridi-flavi, unguibus fuscis.

Avis senior habitu æstivali:

Caput, collum, corpus subtus, uropygium et cauda nivea, immaculata. Dorsum, scapulares et alæ cana (coerulescenti-cinerea). Remiges primores nigræ, basi cinereæ, primæ duæ macula magna alba ante apicem nigrum; ceteræ apice albæ: secundariæ apicibus late albis.

Avis senior habitu hiemali:

Similis jam descriptæ, a qua tantum differt: striis longitudinalibus fuscis in vertice et nucha; orbitis antice nigricantibus.

Avis junior primo anno: Rostrum nigrum. Orbitæ nigricantes. Pedes lutescentes.

Caput, collum et tota avis supra fusco-grisea, pennis dorsi et alarum lutescenti-albo marginatis. Frons, collum antice et avis subtus alba griseo-nebulosa, præsertim in collo et lateribus pectoris. Remiges primores nigricantes, immaculatæ. Rectrices canescenti-albæ, fascia ante apicem lata nigro-fusca, apicibus albo terminatis.

OBSERV.

Post primam mutationem pennarum pennæ unicolores canæ in dorso hinc inde erumpunt. Caput album fusco-striatum.

Tum in capite et collo, tum in partibus corporis inferioribus color albus magis magisque augetur. Rostrum basi lutescens apice nigro.

HISTORIA.

Ex hoc genere maxime apud nos vulgaris Species. Non solum maria Scandinaviam alluentia frequens incolit, sed quoque lacus et flumina visitat. Mare procellâ agitatum relinquit et interdum, maximis gregibus sociata, prata depressa visitat. Nidulatur inter gramen in insulis vel maris l. lacuum tum in Scania tum in Norvegia maxime boreali. Ova 3 saturate viridia, nigro-maculata. Vescitur piscibus, testaceis et vermibus.

CCXIX. LARUS TRIDACTYLUS, *Linn.*

DIAGN: Albus dorso et alis canis; Remigibus extimis apice nigris. Digitus posticus verruciformis, muticus.

SYNONYMA.

Larus Tridactylus, Lath. Ind. II. p. 817. n. 11.
Larus Rissa, Brünn. Orn. n. 140. Lin. Syst. I. p. 224. n. 1. Olavs. et Pov. Isl. Reise I. p. 356. tab. 23. (Senior).
Kittiwake, Pen. Brit. Zool. II. p. 539. n. 250. Lath. Syn. VI. p. 393.
Mouette tridactyle, Temm. Man. p. 502.

Senior habitu hiemali:

Larus tridactylus, Bechst. Nat. D. IV. p. 628.
La Mouette cendrée, Briss. Orn. VI. p. 175. n. 8. t. 16. f. 1.

Junior:

Larus Tridactylus, Lin. Syst. I. p. 224. n. 2. Fn. Sv. p. 55. n. 157. Gmel. Syst. I. 2. p. 595.

Mouette cendrée, tachetée, Buff. Ois. VIII. p. 424. Pl. enl. 387.

Tarrock Gull, Pen. Brit. Zool. II. p. 540. n. 251. Arct. Zool. II. p. 533. — Id. p. 529. n. 456. — Lath. Syn. VI. p. 392. et var. A. Id. Suppl. V. I. p. 268.

DESCRIPTIO.

Longit. 15-15½ poll. Rostr. a fronte 1⅜ poll. A sinu oris 2 poll. A flexura alæ 12 poll. Cauda 5 poll. Tibia 1⅜ poll. Digit. med. 1⅞ poll.

Rostrum acutissimum, aliquantum decurvatum, angulo maxillæ inferioris vix conspicuo. Femora seminuda. Tibiæ breves, verruca ungue destituta pro digito postico.

Senior habitu æstivali:

Rostrum virescenti-luteum. Os intus et margines palpebrarum rubra. Iris fusca. Pedes olivaceo-fusci.

Caput, collum, corpus subtus et cauda nivea, immaculata. Dorsum, scapulares et alæ canæ. Remiges primores quatuor nigro-terminatæ, quarum tres apice tenui albo notatæ sunt, quinta maculam majorem albam habet. Extima extus longitudinaliter nigra.

Senior habitu hiemali:

Vertex, occiput, nucha et colli latera cana immaculata, striis minutis nigris ante oculos. Frons, orbita, collum antice, corpus subtus, uropygium et cauda alba immaculata. Cetera ut in præcedenti.

Avis junior: Primo anno: Rostrum nigrum. Iris et margines palpebrarum nigricantia.

Caput, collum et corpus subtus albida maculâ nigrâ ante oculos, aliaque majore nigrescente prope occiput. Cervix macula magna semilunari nigra. Dorsum et alæ saturate cana, pennis nigricanti terminatis. Angulus alæ et tectrices ejus minores nigri. Scapulares et remiges secundariæ nigro maculatæ. Remiges primores nigræ. Cauda alba fascia prope apicem nigra, albo terminata.

Post autumnalem pennarum mutationem:

Frons, genu, gula, collum antice et corpus subtus alba immaculata. Orbita antice pilis nigris adspersa. Vertex, cervix, dorsum et alæ cana, macula obsoleta nigricans ad latera occipitis, aliaque majori interrupta basin cervicis cingit. Dorsum et scapulares immaculata. Tectrices alarum minores nigræ; unde fascia longitudinalis nigra in ala composita oritur. Remiges primores 4 nigræ, margine interiore canæ. 5-6. albo canescentes macula nigra ante apicem: secundariæ albo-canescentes. Cauda alba, fascia juxta apicem nigra; pennis lateralibus albis immaculatis.

HISTORIA.

Habitat juxta oras scopulosas Bahusiæ et Norvegiæ, præsertim tamen in regionibus arcticis. Nunquam, quantum equidem scio, in mari Balthico occurrit. Sinus maris et insulas interiores frequentius quam exteriores incolit. Vescitur piscibus et insectis marinis. Nidulatur in rupibus. Ova 3 virescentia maculis fuscis.

CCXX. LARUS RIDIBUNDUS, *Linn.*

DIAGN: *Caput* nigro-fuscum. *Dorsum* canum. Corpus subtus et cauda alba, rostro pedibusque rubris. *Sen. æstate.*

OBSERV.

Dignoscitur Species omnibus anni termporibus: *Remigibus primoribus albis, apice et marginibus nigris.*

SYNONYMA.

Larus ridibundus, Lin. Syst. I. p. 225. n. 9. Gmel. Syst. I. 2. p. 601. — Lath. Ind. II. p. 811. n. 2. Retz. Fn. p. 159. n. 120.

Larus atricilloides, Gmel. Syst. I. 2. p. 601. n. 19. Lath. Ind. II. p. 813. n. 3.

Mouette Rieuse, Temm. Man. d'Ornith. p. 504. Buff. Ois. VIII. p. 433.

Black headed Gull, Pen. Brit. Zool. II. p. 541. n. 252 Lath. Syn. VI. p. 380.

Schwarzköpfige Meve, Bechst. N. D IV. p. 635.

Lach Meve, Meyer Liv. u. Esthl. p. 234.

OBSERV.

Larus Atricilla, Retz. Fn. Sv. p. 160. n. 121. est a *Laro ridibundo* distincta Species, quæ in maribus australibus obvenit, nec, ut opinor, *Faunæ Sueciæ* unquam adnumerari potest. Vide Temm. l. c. p. 507. not.

Senior habitu hiemali:

Larus Cinerarius, Lin. Syst. I. p. 224. n. 4. Gmel. Syst. I. 2. p. 597.

Larus procellosus, Bechst. N. D. IV. p. 647. (senior, junior enim est Larus canus).

La petite Mouette cendrée, Briss. Orn. VI. p. 178. n. 9. t. 17. f. I. Buff. Ois. VIII. p. 430. Pl. enl. 969.

Red legged Gull, Lath. Syn. VI. p. 381. n. 10.

Junior:

Larus erythropus, Gmel. Syst. I. 2. p. 597.

Larus canescens, Bechst. N. D. IV. p. 649.

Red legged Gull, Pen. Arct. Zool. II. p. 533. — Variet. Lath. Syn. VI. p. 381. n. 10. A.
Brown headed Gull, Lath. Syn. VI. p. 383.

DESCRIPTIO.

Longit. 15 poll. Rostrum superne $1\frac{3}{8}$ poll. A sinu oris 2. poll. A flexura alæ $12\frac{1}{2}$. Cauda $4\frac{1}{2}$ poll. Tibia $1\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum et pedes rubri. Iris fusca.

Senior habitu æstivali:

Caput totum et pars colli superior saturate fusca. Oculi circulo albo inclusi. Basis colli, corpusque totum subtus et cauda alba, colore roseo tincta. Dorsum, scapulæ et alarum tectrices cana. Margo alarum exterior albus. Remiges primores albæ, apice et margine interiore nigris; extimæ quoque extus ab apice longitudinaliter nigræ.

Senior habitu hiemali:

Caput, collum, totum corpus subtus et cauda alba: macula nigra ante oculos, aliaque major ad aures. Cetera ut anteced.

Junior avis: primo anno ante autumnalem pennarum mutationem:

Rostrum nigricans basi et pedibus lutescentibus.

Caput et occiput fusca macula majori alba pone oculos. Corpus subtus et collare alba, rufescenti tincta. Dorsum, scapulares et minores tectrices fusca marginibus pennarum lutescentibus. Margo alarum inferior et uropygium alba. Cauda alba fascia ante apicem albidum nigra. Remiges albæ, apice et margine utroque ab apice nigræ; extima per totam longitudinem extus nigra. *Post autumnalem pennarum mutationem:* Frons, gula, collum et corpus subtus alba.

Orbita antice nigra. Macula auris fusca. Dorsum et alarum tectrices fusca marginibus pennarum lutescentibus, pennis canis unicoloribus, immixtis. Tectrices alarum plurimæ canæ. Remiges et rectrices ut in ave nuper descripta.

HISTORIA.

Habitat in mari ad oras præsertim Scanenses. Lacus quoque et flumina incolit, sed minus frequens. Verno tempore interdum agros nuper aratos vermium legendorum causa visitat. Vescitur insectis, vermibus et pisciculis. Nidulatur in graminosis locis juxta litora maris vel fluminum. Ova 3 saturate olivacea maculis majoribus fuscis adspersa.

CCXXI. LARUS MINUTUS, *Pall.*

Diagn: Albus capite nigro, dorso cano, rostro rubro, pedibus coccineis. Remiges apice albæ.

SYNONYMA.

Larus minutus, Pall. Itin. III. p. 702. n. 35. Gmel. Syst. I. 2. p. 595. Lath. Ind. II. p. 813. n. 5. Retz. Fn. Sv. p. 278. n. 271.

Little Gull, Lath. Syn. VI. p. 391.

OBSERV.

Excellentiss. Comes Wachtmeister primus est Ornithologus, qui hanc Speciem ut Suecanam detexit, vide Retz. Fn. Sv., postea vero pluribus locis inventa est.

DESCRIPTIO.

Longit. 11 poll. Rostrum $\frac{7}{8}$ poll. debile tuberculo parum exserto. A flexura alæ ad apicem 9 poll. Cauda $3\frac{1}{2}$ poll. Tibia $\frac{1}{8}$ poll. Digit. med. $1\frac{2}{8}$ poll.

Senior habitu æstivali:

Rostrum saturate rubrum. Iris fusca. Pedes coccinei.

Caput totum et superior pars colli nigra; ceterum collum, corpus subtus et cauda alba, immaculata. Dorsum, scapulæ et alæ cana. Remiges apice albæ; primores latere exteriore dorso concolores; interiores obscuriores. Mus. Ups.

Junior mense Julio occisus:

Rostrum supra et apice nigro - fuscum, ceterum luteo - rubrum. Pedes lutescentes. Vertex et occiput nigra. Frons, gula et latera colli totaque avis subtus alba. Dorsum et scapulares canæ apicibus pennarum fuscescentibus. Tectrices alarum minimæ nigricantes, ceteræ et remiges secundariæ canæ, apice albæ. Remiges primores cinereæ margine interiore albæ, apice saturatiores, extima extus nigra. Rectrices extimæ longiores, extus nigricantes, intus albæ, ceteræ albæ.

HISTORIA.

Habitat in insulis maris Balthici, Gottlandia et Oelandia, ubi in paludibus quotannis nidulatur. Occurrit quoque sed rarius juxta litora australiora Scaniæ. Hieme abit. Ova nondum vidi.

GENUS.

LESTRIS, *Illig.*

Rostrum mediocre, teres, rectum, cera cornea ad nares vestitum; maxilla superiore apice adunco, inferiore pone apicem compressum, canaliculatum, gibba.

Nares ante medium rostrum, marginales, sublineares, postice angustiores, perviæ.

Pedes graciles, femoribus seminudis; unguibus curvis, acutis.

Alæ mediocres remige prima ceteris longiore.

Cauda rectricibus duabus mediis longioribus.

OBSERV.

Genus a *Laris* distinctum est, sive mores sive formam rostri respicias. Quoad hanc medium tenet inter *Laros* et *Procellarias*, quos igitur conjungit; quoad vero illos, singulare omnino est.

CCXXII. LESTRIS PARASITICUS.

DIAGN: *Rostrum* et *pedes* nigri *Rectricibus* duabus mediis longissimis. *Mas* supra niger, collo, pectore et abdomine albis. *Femina* tota nigro-fusca, subtus pallidior.

— *Pullus:* fuscus marginibus pennarum lutescentibus, cauda subæquali.

DESCRIPTIO.

Longitudo ab apice rostri ad apices rectricum intermediarum 20 poll. Rostrum superne 1$\frac{3}{8}$ poll. A sinu oris 1$\frac{7}{8}$ poll. Alæ extensæ 2 ped. 5 poll. A flexura alæ ad ejusdem apicem 13$\frac{1}{2}$ poll. Cauda 8$\frac{1}{2}$ poll. Tibia 1$\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. 1$\frac{5}{8}$ poll.

Rostrum nigrum in coeruleum vergens. Iris fusca. Pedes nigri.

Mas senior habitu æstivali:

Caput supra a rostro, per oculos ad nucham, saturate nigrum. Dorsum, scapulæ, uropygium, alæ et cauda nigra, cinereo-fusco levissime tincta. Crissum et tectrices caudæ inferiores cinereo-nigra. Gula, latera capitis inferiora, collare latum, collum antice et totum corpus subtus alba; gulâ, lateribus capitis colloque antice tinctura lutescenti sordidis. Remiges nigræ basi et rachibus albis, lateribus interioribus in rufo-cinereum vergentibus. Rectrices basi albæ, ceterum nigræ, 1. 1-4. 4 subæquales apice rotundato; 5. 5. aliquantum longiores et acuminatæ. 6. 6. longissimæ, acuminatissimæ.

Femina senior habitu æstivali:

Caput supra saturate fuscum; regio oculorum nigra. Dorsum et alarum tectrices nigro-fusca, unicoloria, rufo vix tincta. Gula, latera capitis, totum collum et corpus subtus griseo-fusca, rufo tincta. Remiges et rectrices ut in antecedenti.

Avis junior ante autumnalem pennarum mutationem: (Medio Mens. Augusti).

Longitudo circa 14-15 poll. Rostrum, pallide plumbeum, apice fuscum. Pedes pallide coerulescentes, digitis et membrana natatoria basi coerulescenti-albis, dehinc cum unguibus nigris.

Caput, collum et corpus subtus cinereo-fusca marginibus pennarum rufescentibus, aliquantum latioribus. Remiges primores nigræ, basi, latere interiore juxta basin et rachibus albis. Cauda alis brevior, fere æqualis rectricibus mediis parum longioribus. Rectrices apice nigræ in medio in nigro-cinereum transeuntes, a basi ad tertiam partem albæ. Tectrices inferiores fuscæ fasciis transversis albidis.

Obs. 1. Post primam mutationem pennarum autumnalem, striæ pennarum marginales rufescentes aut omnes aut ad partem evanuerunt, et avis tum *Lestri crepidato* Temminckii simillima fit, quacum, ni fallor, omnino identica est.

Obs. 2. Non dubito, quin hæ omnes e sexu vel ætate ortæ varietates sub variis nominibus specificis in scriptis Ornithologorum obveniant. Eas vero ad unam eandemque speciem pertinere eo certius adfirmare audeo, quo sub itinere Norvegico præsertim ad oras Helgolandiæ et Saltenses hanc speciem diligenter observare millies mihi occasio fuerit. Mares et feminas unâ semper viatorem (qui nido illorum ex improviso adpropinquabat) adgredientes, et pullos tum pusillos et lanatos, tum volatui aptos defendentes, plus quam semel fixi pullosque, quos nutriebant, cepi. Illi etiam piscatores, qui rupes et insulas oceani Norvegici usque intra circulum polarem incolunt, nullam aliam avem *Tyv-Joe* quam descriptam Speciem agnoscunt; adfirmant vero aliam huic subsimilem avem, parum tamen majorem, ad oras Finnmarkiæ obvenire. Hanc Finnmarkikam avem pro

Cataracta Skua Brünnichii habeo (quamvis descriptio Brünnichii præter magnitudinem potius ad juniorem quam seniorem avem pertinere mihi videatur). Sed ingenue confiteor me nondum, neque in natura, neque in Museis vidisse avem hujus generis, quæ non ad hanc speciem pertineret; quare omittere quam erronee adferre Synonyma satius duxi. Neque tamen negare possum, me de vera differentia trium ex quatuor illis speciebus, quas enumeravit celeberr. Temminck, valde dubitare, et dubitaturum, usque dum accuratissimo Auctori placuerit, distinctiores characteres specificos proponere. Longitudo enim Tibiæ (Tarsi) variat pro ætate (in pullis minor), variat aliquantum pro individuis; Cauda quoque ætate crescit, et in pullis semper brevior est: quæ tamen observationes scrutatorem Naturæ tam excellentem fugere non potuerint. — Ego vero fere credo, suum *Lestrem parasiticum* p. 512 esse marem et juniorem, *L. pomarinum* p. 512 esse juniorem avem post autumnalem pennarum mutationem, et *L. crepidatum juniorem* (p. 516) esse *pullum*. Nam sine dubio, tamquam in *Larorum* genere, plures prætereunt anni, antequam colores perfecti sunt.

Ut certa, quorum tamen plurima ad *Mares* tantum pertinent, hæc adferre licet

SYNONYMA.

Larus parasiticus, Lin. Fn. Sv. p. 55. n. 156. Lath. Ind. II. p. 819. (it.)

Cataracta Parasitica, Brünn. Orn. p. 37. n. 127. (Mas senior). Retz. Fn. Sv. p. 160. n. 122. (Mas).

Coprotheres, Brünn. l. c. n. 128. (femina senior).

Cataracta Cepphus, Brünn. l. c. p. 36. n. 126. (junior ante primam pennarum mutationem).

Arctic Gull, Penn. Brit. Zool. II. p. 533. n. 245. (Descr. Maris et feminæ bona) tab. 87. Lath. Syn. VI. p. 389. t. 99.

Arctic bird, Edw. Av. t. 148. (Mas senior) tab. 149. (Junior).

Stercoraire parasite, Temm. Man. d'Orn. p. 512.

Tyv-Joen, Gunner. Act. Nidr. III. 103. (Femina est cum *Skua* Hojeri confusa, a qua tamen, ut opinor, distincta est species).

Svecis: Swartlasse, Struntjager. *Norvegis:* Joen, Leverjoen, Tyvjoen, Geaath etc.

HISTORIA.

Habitat in rupibus et insulis oceani Norvegici et maris Balthici superioris. Nidulatur in tesquis et uliginosis insularum. Ova 2-3 saturate olivacea maculis fuscis. Vescitur piscibus, quos tamen raro ipse piscatur, sed plerumque ab aliis avibus, præsertim a *Laro tridactylo*, *L. cano* et *Sterna Hirundine* prædatur. In aëre has aves persequitur, donec prædam e gutture emittant, quam tunc in ipso aëre, mirabili velocitate, antequam aquam attigerit, arripit. Piscatorum quoque cymbas supervolitat et piscium viscera, quæ in mare ejicit piscator, statim arripit. — Pullos mira strenuitate defendit; non solum aves ex improviso transvolitantes adgreditur, verum homines quoque transeuntes, alis et rostro petit. Pullum etiam volatui aptum, tamen ad tempus quoddam, donec ipse prædari didicerit, præda adportata alit.

GENUS.

PROCELLARIA.

Rostrum mediocre basi subdepressum, apice compressum; maxilla superiore apice adunca, inferiore apice decurvata, canaliculata.

Nares cylindro supra rostrum, a basi ad medium, decumbente, truncato.

Pedes mediocres l. graciles femoribus seminudis, ungue postico sessili (absque digito).

Alæ longæ, Remige prima ceteris longiore.

CCXXIII. PROCELLARIA PELAGICA, *Linn.*

DIAGN: Nigra uropygio albo.

SYNONYMA.

Procellaria pelagica, Lin. Syst. I. p. 212. Fn. Sv. 143. Retz. Fn. p. 143. n 101. Lath. Ind. II. p. 826. Gmel. Syst. I. p. 591. Briss. Orn. VI. p. 140. n. 1. t. 13. f. 1.

Petrel pigmé, Temm. Man. d'Orn. p. 519.

L'oiseau de Tempète, Buff. Ois. IX. p. 327.

Stormy Petrel, Pen. Brit. Zool. II. p. 553. n. 259. Arct. Zool. II. p. 536. Lath. Syn. Suppl. I. p. 269. — Edw. Av. t. 90.

Geschäckter Sturmvogel, Bechst. N. D. IV. 2. p. 704.

Kléinster Sturmvogel, Meisn. u. Schinz Vögel der Schweiz p. 821.

Svecis: Stormwâdersfogel.

DESCRIPTIO.

Longit. $6\frac{1}{2}$ poll. Rostrum $\frac{5}{8}$ poll. A. flexura alæ ad apicem 6 poll. Cauda $3\frac{2}{8}$ poll. Tibia $\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. I. poll.

Rostrum et pedes nigri. Alæ compositæ cauda $\frac{3}{4}$ pollices longiores. Cauda æqualis.

Tota avis fuliginoso-nigra, uropygio albo. Remiges primores et Rectrices saturate nigræ. Tectrices alarum fusco-griseæ. Pennae scapulares et Remiges secundariæ apicibus albicantes.

HISTORIA.

Habitat in Oceano boreali, raro nec nisi hieme oras occidentales Sveciæ visitat. Super undas currit, quare nomen a nautis *Avis Sti Petri* recepit. Instante procella naves petit, ut contra vim ventorum præsidium habeat. Vescitur insectis et vermibus marinis, quæ in superficie maris natant. An in Scandinaviæ maxime borealis insulis nidificet nec ne, pro certo dicere non possum.

CCXXIV. PROCELLARIA GLACIALIS, *Linn.*

DIAGN: Alba, dorso et alis canis, Remigibus griseo-fuscis.

SYNONYMA.

Procellaria glacialis, Lin. Syst. I. p. 213. Fn. Suec. 144. Retz. Fn. p. 143. n. 102. Gmel. Syst. I. 2. p. 562. Lath. Ind. II. p. 823.

Petrel fumar, Temm. Man. d'Ornith. p. 518. Buff. Ois. IX. p. 325. t. 22. Pl. enl. 59.

Fulmar, Pen. Brit. Zool. II. p 549. t. 91. Arct. Zool. II. p. 534. n. 461. Lath. Syn. VI. p. 403.

Havhest, Gunner. Acta Nidros. I. p. 182.

DESCRIPTIO.

Longitudo 16-17 poll. Rostrum flavum, superne subaurantium. Iris et pedes lutei.

Caput, collum, uropygium, cauda et totum corpus subtus alba. Dorsum, scapulares, alarum tectrices et remiges secundariae coerulescenti cinerea (cana). Remiges primores extus pallide griseo-fuscæ, intus albæ. Cauda angulato-rotundata.

HISTORIA.

Habitat in oceano boreali. Continentem terram et insulas eam adjacentes nunquam vel rarissime visitat. In insulis vero plagæ arcticæ (ex. gr. Nordlandiæ et Finnmarkiæ) a terra remotissimis ex piscatorum indiciis quotannis nidulatur. Ovatio adhuc mihi incognita. Vescitur cadaveribus Cetaceorum aliisque animalibus marinis in superficie maris natantibus.

B) Rostro dentato s. lamelloso.

GENUS.

C Y G N U S.

Rostrum usque ad oculos nudum semicylindricum, basi altius quam latius, marginibus lamellosum, apice ungue obtuso, lato.
Nares ovales in medio rostri sitæ.
Collum longum. *Dorsum* convexum.

CCXXV. CYGNUS MELANORHYNCHUS, *Mey.*

Diagn: Albus capite et nucha lutescente. Pedes et rostrum nigra, cerâ luteâ.

SYNONYMA.

Cygnus Melanorhynchus, Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 240. Meyers u. Wolfs Taschenb. p. 498.
Cygnus Musicus, Bechst. N. D. IV. p. 830.
Anas Cygnus, Gmel. Syst. I. p. 501. Lath. Ind. II. p. 833. Retz. Fn. p. 109. n. 62.
Le Cygne sauvage, Buff. Ois. IX. p. 3. Temm. Man. p. 522.
Whistling or Wild Swan, Pen. Brit. Zool. II. p. 562. Arct. Zool. II. p. 541. Edw. Av. III. t. 150. Lath. Syn. VI. p. 433. Id. Suppl. I. p. 272.
Svecis: Wild Swan.

DESCRIPTIO.

Longit. 4 ped. 6-9 poll.

Rostrum enode, nigrum cerâ basin et regionem oculorum cingente, flava. Iris fusca; Pedes nigri.

Tota avis pure alba, exceptis capite et nucha, lutescenti colore tinctis.

HISTORIA.

Habitat rarius et forte non nisi hyemali tempore in mari juxta oras Sveciæ meridionalioris. Æstatem in fluviis et lacubus Lapponiæ degere refertur. Pro certo scio, *Cygnos* interdum, sed rarius, in mari extra oras Nordlandiæ et Finnmarkiæ Norvegicæ visos esse, qui, ut opinor, ad hanc speciem pertinent. Olim in lacu Porsion, jam campo subsicco, prope Malmogiam Scaniæ, habitasse, et quotannis pullos exclusisse dicitur. Nidulatur in graminosis juxta aquam. Ova 5-7 virescenti-olivacea. Vescitur herbis et insectis aquaticis.

CCXXVI. CYGNUS GIBBUS, *Bechst.*

Diagn: Albus rostro luteo-rubro, cera gibbo, ungue et marginibus nigris. Pedes rufescenti-nigri.

SYNONYMA.

Cygnus Gibbus, Bechst. Nat. D. IV. p. 815. Meyer Liv. u. Esthl. p. 241.

Anas Olor, Gmel. Syst. t. 2 p. 501. Lath. Ind. II. p. 834. Retz. Fn. p. 109. n. 63.

Le Cygne, Buff. Ois. IX. p. 3. t. I. Pl. enl. 913.

Cygne tuberculé ou domestique, Temm. Man. d'Orn. p. 523.

Tame Swan, Pen. Brit. Zool. II. p. 564. Edw. Av. t. 150. (caput.) Pen. Arct. Zool. II. p. 543. Lath. Syn. VI. p. 436.
Höcker Schwan, Bechst. N. D. IV. p. 815.
Svecis: Tam Svan.

DESCRIPTIO.

Longitudo 4 ped. 6 poll.

Frons juxta basin rostri gibbo magno, rotundo, carneo instructa. Rostrum luteo-rubrum, marginibus maxillarum, narium, ungue, cerâ et gibbo frontali nigris. Iris fusca. Pedes nigri, rufescenti tincta. Præterea tota avis pure alba.

Femina minor gibbo minori, collo graciliori.

HISTORIA.

Habitat in mari oras Sveciæ meridionalis cingente. In lacubus quoque sed rarius obvenit. Tempore autumnali innumeranda copia in mari extra oras Scaniæ occurrit hæc Species, quam venandi jus Gubernatori Provinciæ reservatum est. In hoc venatu, qui quotannis instituitur, uno sæpe die usque ad centum Cygni, vel occiduntur vel vivi capiuntur. Nullibi, quantum equidem scio, in Svecia ferus nidulatur, sed cicur in plurimis Magnatum prædiis vivit ibique se propagat. Ova 5-6 virescenti-albida.

GENUS.

A N A S.

Rostrum depresso-semicylindricum, antice quam basi latius, marginibus lamellosis, apice ungue lato, obtúso.

Nares ovales prope dorsum rostri, et (plerisque) juxta basin sitæ.

Pedes breves; *Tibia* digito medio aliquantum brevior.

Collum brevius.

Dorsum depressum.

Digitus posticus membrana lobiformi instructus.

1) *Speculo nullo:*

CCXXVII. ANAS NIGRA, *Linn.*

DIAGN: Rostrum nigrum, medio superne flavum.

Mas: Rostrum basi tuberculo osseo linea flava bipartito instructum. Corpus totum atrum.

Femina: Tuberculo rostri destituta. Corpus supra nigro-fuscum, subtus pallide griseum.

SYNONYMA.

Anas Nigra, Lin. Faun. Sv. p. 39. n. 110. Retzii Faun. p. 113. n. 67. Syst. Nat. I. p. 196. n. 7. Gmel.

Syst. I. 2. p. 508. Lath. Ind. Orn. II. p. 848. n. 43.

La Macreuse, Buff. Ois. IX. p. 234 t. 16. Pl. enl. 978.

Canard Macreuse, Temm. Man. d'Orn, p. 554.

Scoter, Pen. Br. Zool. II. p. 584. n. 273. Arct. Zool. II. p. 556. n. 484. Lath. Syn. VI. p. 480 n. 36. Vers. Germ. Bechst. VI. p. 414.

Trauer-Ente, Bechst. Nat. D. IV. p. 963. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 242.

Obs., Sine dubio huc pertinet ut *avis junior*:

Anas Cinerea, S. G. Gmelin, Reise II. p. 184. Tab. 18.

Anas Cinerascens, Bechst. N. D. W. p. 1025.

DESCRIPTIO.

Mas: Long. 18 poll. Rostr. 2 poll. A flexura alæ ad apicem 6 poll.

Cauda 3 poll. Tibia $1\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. fere 3 poll. postic. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum depressum, pone apicem latum, apice obtuso ungue vix conspicuo, nigrum medio superne flavum; Caruncula baseos hieme olivacea, æstate rubra, per striam flavam longitudinaliter bifida. Utraque max. illa dentibus lamellosis instructa. Nares pone medium rostri, ovales aurantiæ. Iris brunnea. Margo palpebraram luteus. Pedes sordide griseo-fusci, membranâ natatoria nigra. Digitus posticus elevatus, membrana natatoria instructus. Cauda cuneiformis Rectricibus 16.

Corpus totum atrum capite et collo purpurascenti-nitidis. Remiges latere interiore rubescenti-albidæ. Tectrices alarum inferiores fuscæ.

Femina: Aliquantum minor.

Rostrum nigrum basi altius, sulco instructum, caruncula tamen destitutum; macula in medio lutea. Pedes sordide viridi-lutei, membranâ nigrâ.

Corpus obscure fuscum, capite supra saturatiore. Collum antice sordide albidum, maculis obsoletis fuscis. Pectus et abdomen pallide grisea fusco maculata.

Mas Junior hieme:

Supra fusca pennis nigris in pileo et scapulis insertis. Gula albida. Jugulum, latera colli et capitis pallide grisea obsolete fusco maculata, collo inferiore et humeris undulis obsoletis cinereis. Pectus et abdomen albida undulis obsoletis cinereis. Pectus et abdomen albida undulis crebris fuscescentibus.

HISTORIA.

Æstivat in terris borealibus, ex. gr. Lapponia, Sibiria. Autumno et per hyemem in mari juxta oras nostras et in lacubus, rarius tamen, obvenit. Vescitur testaceis, insectis et plantis marinis. Nidus et ova incognita.

CCXXVIII. ANAS MOLLISSIMA.

DIAGN: Rostrum semicylindricum, cera postice acute bifida, rugosa. *Mas:* Supra albus pileo atro postice lineâ alba bipartito; subtus et postice niger. *Femina:* Testacea maculis transversis et undulis nigris.

SYNONYMA.

Anas Mollissima, Lin. Syst. I. p. 198. Lin. Fn. Sv. p. 41. n. 117. Retz. Fn. p. 118. n. 74. Gmel. Syst.

I. 2. p. 514. Lath. Ind. II. p. 845. n. 35. Brünn. Orn. Bor. n. 57-61 et 64-65. Id. Monogr. Hafniæ 1783.

Oie a Duvet ou Eider, Buff. Ois. IX. p. 103. t. 6. Pl. enl. 208 (fem.) 209 (mas.).

Canard Eider, Temm. Man. d'Ornithol. p. 549. (cum *Anate spectabili* confusa).

Great black and white Duck, Edw. Av. t. 98, mas. et fem.

Eider or cuthber Duck, Penn. Brit. Zool. II. p. 581. t. 95. Arct. Zool. II. p. 553. n. 480. Lath. Syn. VI. p. 470. n. 29. Suppl. p. 274.

Die Eidergans, Bechst. N. D. IV. p. 926.

Eiderente, Meyer Liv. u. Esthl. p. 243.

Svecis: Eiderfögel, Eidergås. *fem:* Åda.

DESCRIPTIO.

Longit. 24-26 poll. Rostrum ab apice ad angulum frontis 3 poll. A flexura alæ ad apicem 12½ poll. Tibia 2 poll. Digit. med. 3⅝ p. postic. ⅞ p.

Femina 24 poll. alæ extensæ 3 ped.

Rostrum conico-semicylindricum, fronte aliquantum altius quam latum et versus apicem sensim decrescens *), apice supra convexo, rotundato. Caput majusculum ovatum, antice attenuatum. Cutis nuda, quæ rostrum a basi ad nares obtegit, rugosa et sordide viridis, ad latera frontis utrinque in angulum acutum adscendit. Rostrum dehinc pallidius. Oculi parvi sub vertice siti. Iris brunnea. Pedes sordide griseo-virides membrana natatoria nigra et ungues nigri.

*) Quare potius fortasse ad *Anseris* quam ad *Anatis* genus numeranda est Avis.

Mas senior:

Albus pileo atro, postice lineâ alba bipartito. Occiput et latera nuchæ pallide viridia. Pectus rubescenti tinctum. Dorsum posticum et uropygium nigra. Pectus postice, abdomen, crissum, hypochondria et femora atra. Remiges primores nigricantes, intimæ albæ. Rectrices 16 nigræ.

Femina senior:

Testacea seu luteo-rufa capite pallidiore punctis et maculis minutis longitudinalibus nigris crebre adsperso; corpore supra saturatiore, striis et undulis transversis nigris, subtus grisea undulis nigro-fuscis. Remiges et Rectrices saturate fuscæ.

Obs. Remiges secundariæ et Tectrices alarum proximæ apicibus pallent, neque tamen unquam eas tam pallidas vidi, ut fascias binas alarum formarent, quod in *Anate spectabili* obtinet.

Avis annua. — An femina?

Nigricans marginibus pennarum in dorso, scapulis et alarum tectricibus rufis. Fascia supra oculos ad nucham grisea striis et punctis albidis et nigris. Latera capitis inferiora rufescentia striis nigris. Pectus et abdomen fusca undulis tenuibus albidis adspersa. Crissum, hypochondria, latera uropygii et tectrices caudæ nigra fasciis et undulis transversis rufis et griseis. Remiges nigræ, intimæ juxta apicem extus rufo marginatæ.

Mas biennis? Pectus et anterior pars colli albescit. Tectrices alarum minores et Remiges intimæ, albæ, nigro nebulosæ. Abdomen undulis tenuibus fuscis et albis. — Vide præterea Sparrm. *Museum Carls.* I. tab. 6.

Mas triennis? Caput et collum nigricantia pennis albis hinc inde inspersis et ad latera nuchæ in serie positis.

Gula pennis plurimis albis. Superior pars pectoris alba nigro superne inquinato. Dorsum album, antice nigro maculatum. Scapulares nigræ albis immixtis. Tectrices alarum minores et mediæ remigesque intimæ albæ. Pectus inferius, abdomen, hypochondria, crissum, tectrices caudæ et uropygium medium nigra immaculata. — Brünn. n. 60. Exemplar descriptum ad finem M. Maji captum est.

OBSERV.

Quarto ætatis anno Mas induitur colore primum descripto, quem postea continuo retinet.

HISTORIA.

Habitat hæc Species copiosissime in mari scopuloso secundum oras Norvegiæ, præcipue intra circulum arcticum. Obvenit quoque et nidulatur, quamvis minus numerose in maris Balthici quibusdam insulis et scopulis extra Scaniæ et Blekingiæ litora sitis. Intrat etiam hieme fretum Oeresund, ubi non raro in retibus piscatorum capitur. — Nidulatur in insulis et scopulis parum elevatis. Ova 5-6 virescentia. (Historiam præterea fuse dedit cel. Brünnich l. c.)

OBSERV.

In Faun. Groenl. p. 69. refertur avem esse monogamam, et marem in propinquitate feminæ incubantis juxta litus illam quasi custodire. Hoc meæ in Norvegia factæ experientiæ repugnat, et ni fallor, mas feminam, tempore amoris peracto, deserit altumque mare petit, nec prius ad suos redit, quam pulli ad volandum sunt apti. Saltem ego per totam æstatem innumeras vidi feminas, neque unum marem ante medium mensis Augusti observabam. Post hoc tempus sensim in adspectum veniebant.

Præterea referebant piscatores, qui ultimas insulas frequentaverant, mares hujus speciei extra has insulas in alto mari æsta-

tem degere. Hanc consvetudinem, conjugem ova patientem et excludentem deserendi, cum plurimis, quas novimus, congeneribus communem habet.

CCXXIX. ANAS GLACIALIS, *Lin.*

Diagn: Rostrum breve nigrum fascia (plerisque) rubra. Pedes plumbei. Speculum nullum. *Mas:* Niger et albus, rectricibus intermediis longissimis. *Femina:* Supra nigro-fusca, subtus alba, capite et collo albis, vertice et macula subauriculari fuscis.

SYNONYMA.

Anas hiemalis, Lin. Fn. Sv. (Mas habitu hiemali). — Syst. Nat. I. p. 202. n. 29. — Fabric. Grönl. p. 71. n. 45. (Mas habitu hiemali et fem. habitu æstivali). — Brünn. Orn. Bor. p. 17. n. 75. (Mas habitu hiemali) n. 76. (Mas habitu æstivali).

Anas glacialis, Lin. Syst. I. p. 203. n. 30. (Videtur esse mas tempore mutationis pennarum).

Al-Foglen, Ödm. Act. Holm. 1783. p. 313.

Longtailed Ducle, Pen. Brit. Zool. II. p. 599. n. 283. (tab. 98. Marem habitu æstivali repræsentat; Descriptio ad marem deplumantem pertinere videtur) tab. 99. (fem.) — Edw. Av. tom. VI. tab. 280. Mas tempore deplumationis Id. tom. III. tab. 156. (Mas habitu æstivali, figura accuratissima).

Canard de Michon, Temm. Man. d'Ornith. p. 558.

Kaumbak, Lepechin Reise 3 B. p. 222. (Descr. bona) t. 2. habitu æstivali.

Troförer, Ström Acta Nidros. V. p. 539. tab. VIII. fig. 1. (Mas habitu æstivali. Descr. bona).

Svecis: Ahlfogel; Winter-Al, Sommar-Al. Ad *Ystad Scaniæ:* Mas Gaddes, Femina: Ahla.

DESCRIPTIO.

Longit. 20-21 poll. (propter rectrices longissimas). Rostrum $1\frac{1}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 9 poll. Cauda 8 poll. Tibia $1\frac{2}{8}$ poll. Digit. med. $2\frac{1}{8}$ poll. postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum breve, parvum, apice ungue incurvo obtuso, nigrum fascia in medio superne semipollicari coccinea, inferne angustiore luteo-alba. Dentes pectiniformes (compressi) infra marginem maxillæ superioris dependentes. Nares oblongo-ovales. Iris rufo-lutea. Pedes rubescenti-cinerei membrana natatoria et unguibus nigris.

Mas senior habitu hiemali:

Caput et collum alba lateribus capitis antice pallide rubescenti-cinereis, lateribus colli maculâ ovali nigra, rufo inferne terminata. Inferior pars colli et pectus nigra, quæ nigredo conjungitur cum nigredine dorsi. Dorsum, alæ et cauda nigra. Pennæ scapulares elongatæ, acutæ, e cano albæ, unde in scapulis oritur macula magna alba, cano pulcherrime tincta. Remiges primores nigræ latere interiore cinereo-fuscæ, secundariæ rufescenti-nigræ. Tectrices inferiores fusco-nigricantes. Inferior pars pectoris, abdomen, hypochondria et crissum alba axillis canis. Cauda supra nigra, subtus alba. Rectrices 14, quarum 1. 1. 2. 2. albæ; 3. 4. 5. cinereo-nigræ marginibus late albis; ceteræ nigræ acuminatæ, præsertim intermediæ longissimæ.

Femina senior habitu hiemali:

Longit. 15½ - 16 poll. Rostrum nigrum, fascia vel nulla vel pallidius aurantia, basi subtus plumbeum. Pedes antice plumbei, postice cum membrana natatoria nigri.

Caput et collum alba vertice et macula colli utrinque nigro - fuscis. Dorsum et pennæ scapulares nigræ cinerascenti - rufo late marginata. Dorsum posticum fusco - nigrum rufo obsolete maculatum. Remiges fuscæ, latere interiore cinereæ. Pectus cinerascens fusco et rufo immixtum, postice in album abdominis colorem sensim transiens. Cauda cuneata, rectricibus mediis fuscis, lateralibus sensim canescentibus.

Mas habitu æstivali:

Caput et collum nigra area oculorum et genis rubescenti - cinereis, postice albis, lateribus colli et pectore nigro in griseum transeuntibus. Dorsum et scapulares elongatæ, acutæ, nigra marginibus latis ferrugineis. Uropygium et tectrices caudæ et alarum superne nigra immaculata. Abdomen, hypochondria, latera uropygii et tectrices caudæ inferiores alba. Cauda exacte ut in mare primo descr.

Femina habitu æstivali:

Caput supra et macula colli utrinque nigro - fusca, præterea caput et collum albida. Dorsum et uropygium nigricantia, immaculata. Pennæ scapulares et tectrices alarum nigro - fuscæ, marginibus qvasi dilutis, rufescentibus. Pectus griseo - fuscum, inferne sensim pallescit. Abdomen et crissum album. Rectrices cinereo - fuscæ, apicibus albis.

Mas tempore deplumationis vernalis:

Latera capitis anterius cinerea. Ceterum caput et collum nigra, vertice, nucha et tænia cervicali albis. Gula et basis colli præsertim superne pennis albis du-

dum immixtis, maculata. Pectus nigricans. Dorsum et uropygium nigra immaculata. Abdomen et crissum alba. Cauda ut in anteced. Scapulæ pennis albis, inter quas nigræ ferrugineo marginatæ intermixtæ sunt.

OBSERV.

Pennæ scapularum *seniores* albæ, et recentiores nigræ ferrugineo fimbriatæ cum aliis multis demonstrant, vestem hiemalem magis albam deponere et æstivali magis obscura se induere avem jam incepisse. Demonstrant etiam habitum illum obscuriorem non solum ad pullos pertinere, ut plerique recentiores Ornithologi opinantur, sed a senioribus quoque tempore æstivali recipi. Cum hac sententia congruunt etiam omnes fere, quibus avem æstate in regionibus arcticis observare contigit, neque unam vidi maris descriptionem vel iconem in plagis arcticis æstate factam, quæ habitum illum albidum repræsentaret. At vero vix credere possumus ex. gr. clar. Lepechin, qui avem in regionibus mari glaciali contiguis æstate vidit, non nisi juniores invenisse; neque marem illum mense Junio occisum et a Rev. Ström l. c. descriptum pro pullo habeamus, cetera ut taceam. Ipse quoque mense Julio in sinu *Ranenfjorden* Norvegiæ marem et feminam hujus speciei offendi.

Feminam supra descriptam plumbo fixi; Marem, descripto similem, perdidi.

HISTORIA.

Habitat æstate in plagis maxime borealibus Europæ, Asiæ et Americæ, et quidem in lacubus et fluviis oceano arctico contiguis. "Mense Junio ova ponit 5 figura et magnitudine Gallinæ junioris, alba cum tinctura pallide coerulescenti." (Fabric. l. c.) Mensibus Octobri et Novembri oras Scaniæ visitat et per totam hiemem in mari gregatim occurrit. Voce sonora vel e longinquo dignoscitur. Mense Aprili et Majo abit.

O 2

2) *Speculo albo.*

CCXXX. ANAS SPECTABILIS, *Linn.*

DIAGN: *Mas:* Rostrum semicylindricum gibbo magno, superne pennis nigris bipartito ornatum. Caput supra canum. Remiges secundariæ falcatæ. *Femina:* Brunnea maculis et striis fuscis adspersa. Fascia alarum transversa, duplici, alba.

SYNONYMA.

Anas Spectabilis, Linn. Fn. Sv. p. 39. n. 112. Syst. Nat. I. p. 195. Mus. Adolphi Fred. II. p. 25. Gmel. Syst. I. 2. p. 507. Fabr. Groenl. p. 63. Mus. Carls. II. t. 39. (Mas variet.) t. 40 (Femina).
Grey-headed Duck, Edw. Av. III. tab. 154. (mas.)
Hav-Orre, Leem Lappl. 274. t. 98. (mas.)
Den pukkelnebbede Edderfugl, Fabric. Nat. Hist. Selsk. Skr. II. 2. p. 56. t. 9. (femina; figura bona).

OBSERV.

Singulare omnino est, hanc avem quamvis optimæ ejus et descriptiones et icones jam extent, a recentissimis tamen Ornithologis *Temminck* et *Cuvier* cum antecedenti Specie fuisse confusam.

DESCRIPTIO.

Longit. 22-23 poll. Rostr. a sinu oris $2\frac{1}{2}$ poll.

Mas senior:

Rostrum rubro-nigricans, semicylindricum, versus apicem angustius, basi supra gibbo maximo, compresso, flavescenti-rubro, superne longitudinaliter diviso et ad margines ornato pennis atris. Pedes rubri.

Caput supra pallide cinereum. Latera capitis inferius albide-viridia. Gula alba macula atra postice bipartita. Dorsum anticum albo-cinereum; posticum et humeri nigro-fusca. Latera uropygii alba. Pectus superius album, flavo tinctum, inferius et abdomen nigra. Alæ nigro-fuscæ macula magna alba. Remiges secundariæ falcatæ.

Femina:

Mare aliquantum minor, gibbum baseos rostri nec tam eminentem habet nec coloratum, sed carinam pennaceam latiorem, quæ ceram rugosam dividit. Rostrum et pedes obscuriores.

Tota avis ex brunneo et nigro maculata. Caput et collum brunnea striis longitudinalibus et maculis parvis obsoletis fuscis adspersa. Dorsum et alarum tectrices fusca marginibus pennarum pallidis, unde pallide undulata appareant. Abdomen subfuscum. Remiges fuscæ, secundariæ et tectrices proximæ apicibus albæ; unde fasciæ binæ, obliquæ, albæ in ala composita oriuntur.

HISTORIA.

Habitat rarius in superioribus maris Balthici partibus. Hyeme interdum extra Upplandiæ oras descendit, unde inter aves, quæ a piscatoribus Holmiæ venditantur, non nunquam obvenit. — Oceanus tamen arcticus proprium est hujus speciei domicilium, ubi frequentius in plagis maxime borealibus obvenit. Oras Finnmarkiæ sæpius visitat, rarissime vero in oris Helgelandiæ obvenit, et plagas meridionaliores vix unquam salutat. Oeconomia et vivendi ratio eadem esse refertur atque *Anatis mollissimæ*.

CCXXXI. ANAS FUSCA, *Linn.*

DIAGN: Macula pone oculos striaque alarum albis. *Mas* ater. Femina nigro-fusca.

SYNONYMA.

Anas fusca, Lin. Syst. Nat. I. p. 196. Lin. Fn. Sv. p. 39. n. 109. Retz. Fn. p. 112. n. 66. Acta Nidros. I. Tab. IV. Lath. Ind. II. p. 848. Gmel. Syst. I. p. 507.

La double Macreuse, Buff. Ois. IX. p. 242. Pl. enl. n. 956. (mas senior.) Temm. Man. d'Orn. p. 552.

Velvet Duck, Pen. Brit. Zool. II. p. 583. t. 96. Arct. Zool. II. p. 555. Lath. Syn. VI. p. 482. — Id. Suppl. I. p. 274.

Sammet-Ente, Bechst. N. D. IV. I. p. 954.

Anas Fuligula, Bechst. l. c. p. 962.

Swarta, Lin. Itin. Gottl. p. 215-271. — Act. Acad. Scient. Holm. 1785. p. 391.

Söe-Orre, Gunner. Act. Nidros. I. p. 259. Tab. 4. fig. 5.

DESCRIPTIO.

Long. 21 poll. Rostr. a sinu oris $2\frac{1}{2}$ poll. a fronte $1\frac{6}{8}$ poll. basi latum 1 poll. pone apicem latum $1\frac{2}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 11 poll. Cauda 3 poll. Tibia $1\frac{7}{8}$ poll. Digit. med. $3\frac{2}{8}$ poll. postic. $\frac{7}{8}$ poll.

Rostrum magnum, latum, valde depressum, aurantium, gibbo, naribus et marginibus nigris; ungue obtuso luteo-rubro. Iris rubra. Pedes rubri membranâ natatoria nigra.

Corpus totum holosericeo-atrum macula parva pone oculos et striâ in alis obliqua alba. Remiges primores nigræ, secundariæ et apices tectricum proximarum albæ.
Femina: Rostrum luteo-fuscum gibbo carens. Pedes sordide rubri membrana nigra. Corpus supra nigro-fuscum gibbo carens. Pedes sordide rubri membrana nigra. Corpus supra nigro-fuscum, subtus griseo-albidum, fusco maculatum. In genis macula et in alis stria alba.

HISTORIA.

Habitat æstate in tota fere Scandinavia ex. gr. in Oelandia, Gottlandia, Wermdö et in Norvegia usque ultra circulum arcticum, ubi per æstatem in sinubus interioribus quam in insulis et alto mari frequentius occurrit. Mense Junio in terra sub frutice ova 8-10 alba ponit. Reliquo tempore maria frequentat.

CCXXXII. ANAS FULIGULA, *Linn.*

DIAGN: Nigricans abdomine et speculo albis. Crista occipitis dependens. *Mas* capite et collo purpureo nitentibus.

SYNONYMA.

Anas fuligula, Lin. Syst. I. p. 207. Lin. Faun. Sv. p. 47. n. 132. Retz. Faun. p. 133. n. 91. Gmel. Syst. I. 2. p. 543. Lath. Ind. II. p. 869.

The tufted Duck, Pen. Brit. Zool. II. p. 585. Arct. Zool. II. p. 573. Lath. Syn. VI. p. 540. n. 79.

Le Morillon, Buff. Ois. IX. p. 227. 231. t. 15. Pl. enl. 1001.

Reitzer-Ente, Bechst. N. D. IV. p. 997. Meyer Vög. Liv. p. 247.

Junior:

Anas Scandiaca, Gmel. Syst. I. 2. p. 520. Lath. Ind. II. p. 859.

Lappmark Duck, Lath. Syn. VI. p. 515.

Anas latirostra, Brünn. Orn. bor. p. 21. n. 91.

Anas Skoorra, Müll. Prodr. Zool. Dan. p. 16. n. 130.

DESCRIPTIO.

Longit. 15-16 poll. Rostr. $1\frac{6}{8}$ p. A flexura alæ ad apicem 8 poll. Cauda 2 poll. Tibia $1\frac{1}{2}$ p. Digit. med. $2\frac{1}{2}$ p. postic. $\frac{6}{8}$ poll.

Mas senior:

Rostrum pallide plumbeum ungue nigro. Iris fulva. Pedes plumbei membrana natatoria nigra.

Caput, collum et pectus ad medium nigra nitore violaceo l. purpureo in capite et superiore collo. Occiput crista dependente bipollicari. Dorsum anticum, scapulares et tectrices alarum nigra viridi-nitentia punctis albidis minutissimis irrorata. Uropygium, crissum et tectrices caudæ nigra. Pectus postice et abdomen alba. Hypochondria grisea, albo tenuissime undulata. Remiges primores nigræ intus versus basin cinereæ; secundariæ albæ apicibus nigris, unde speculum album nigro cinctum; intimæ nigræ splendore viridi. Cauda fusco-nigra.

Femina Senior:

Rostrum et pedes obscuriores. Iris pallide lutea. Occiput cristâ breviore. Caput, collum et anterius pectus sordide rufo-fusca. Alæ fuscæ lineâ obliquâ alba. Abdomen album ferrugineo intermixto.

Avis junior post primam pennarum mutationem:

Rostrum fusco-plumbeum. Pedes plumbei membrana nigra. Iris citrina. Occiput cristâ vix perspicua.

Caput, collum et anterius pectus rufo-fusca. Ceterum pectus et abdomen alba. Crissum griseum. Dorsum et alæ fusco-nigricantia striâ alari alba.

HISTORIA.

Æstivat in Lapponia et aliis regionibus arcticis, ubi nidulatur, sed ovatio incognita est. Mense Octobri meridionaliores terras petens in lacubus et fluviis Scaniæ obvenit. Vescitur piscibus, insectis et herbis aquaticis.

CCXXXIII. ANAS CLANGULA, *Lin.*

DIAGN: Rostrum breve, altum, nigricans. Caput tumidum. Iris flava, *Mas:* Caput atro-viridi nitens macula subrotunda alba ante oculos. Collum et corpus subtus alba. Dorsum nigrum. *Femina:* Caput rufum, pectus cinerascens. Abdomen album. Dorsum fuscum.

SYNONYMA.

Anas Clangula, Lin. Syst. Nat. I. p. 201. n. 23. Faun. Sv. p. 43. n. 122. Retz. Faun. Sv. p. 121. n. 78. Gmel. Syst. I. p. 523. Lath. Ind. II. p. 867. n. 87. Briss. Orn. VI. p. 416. n. 27. t. 37. f. 2.

Le Garrot, Buff. Ois. IX. p. 222, Pl. enl. 802. (Mas).

Golden-eye, Pen. Br. Zool. II. p. 587. n. 276. Arct. Zool. II. p. 557. n. 486. Lath. Syn. VI. p. 535. n. 76. Vers. Germ. Bechst. VI. p.

Die Schell-Ente, Bechst. Nat. D. IV. p. 985. tab. 37. (fem.) Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 248.

Junior avis:

Anas Glaucion, Lin. Faun. Sv. p. 43. n. 123. Retz. Faun. p. 122. n. 79. Lath. Ind. II. p. 868. Arct. Zool. II. p. 573.

Morillon, Pen. Brit. Zool. II. p. 588. n. 277.

Die Spatel-Ente, Bechst. l. c. p. 1004.

Venatoribus Scanens. Dopping.

DESCRIPTIO.

Longit. 18½-19 poll. Alæ extensæ 2 ped. 7 poll. Rostr. 1½ poll. A flexura alæ ad apicem 9 poll. Cauda 3⅝ p. Tibia 1⅜. Digit. med. 2⁶⁄₈, postic. ⁶⁄₈ poll.

Rostrum nigrum, breve, compresso-convexum et versus frontem elevatum. Nares in medio rostro sitæ, oblongo-ovales. Iris fulva. Pedes aurantii membranâ natatoria nigra.

Caput cum superiore colli parte tegitur pennis tumidis nigris atro-viridi nitentibus. Pone sinum oris macula subrotunda alba. Pars inferior colli, pectus, abdomen et hypochondria alba (nivea). Dorsum, uropygium et minimæ alarum tectrices nigra. Pennæ femorum longæ, acutæ, albæ, nigro marginatæ. Inter femora per anum fascia lata nigricans marginibus pennarum albis. Scapulares longae, acuminatæ, falcatæ, albæ, marginibus nigris. Tectrices alarum mediæ albæ; majores albæ basi nigræ. Remiges primores fusco-nigræ, mediæ (15-21) albæ, unde macula magna alba (interdum striâ nigrâ bipartita) in ala oritur. Remiges intimæ nigræ. Tectrices inferiores nigro-cinereæ. Cauda rotundata (pennis 16) supra cinereo-nigra, subtus fusca.

Femina: minor, 16 poll. longa. Alæ extensæ 2 ped. 2 poll.

Rostrum fuscum, apice superne lutescens. Iris flava. Pedes viridi-lutei membranâ nigricante.

Caput tumidum cum superiore colli parte fusco-rufum. Collum medium pallide cinerascens. Pectus superius et latera cinerea marginibus pennarum albidis. Dorsum anterius, scapulares et minores tectrices fusca marginibus pennarum cinereis. Dorsum posticum cum uropygio nigricans, unicolor. Pectus inferius, abdomen et mediæ tectrices alba. Remiges primores fusco-nigræ, mediæ albæ, et tectrices majores albæ apice nigræ, unde in ala clausa macula magna alba striâ nigrâ bipartita oritur. Per anum fascia cinerascens.

Avis junior: Matri fere similis est.

HISTORIA.

Æstivat in Svecia septentrionaliori, Norrlandia et Lapplandia. In arboribus cavis ova ponit 10-12 alba. Hieme instante australiores plages petit et in mari Scaniam alluente aliquantum maturius quam *Anas glacialis* obvenit. Vescitur Insectis et vermibus aquaticis.

CCXXXIV. ANAS MARILA, *Linn.*

DIAGN: Caput et collum atra. Dorsum album lineis nigris transversim undulatum. Speculum et corpus subtus alba, postice nigra.

SYNONYMA.

Anas Marila, Lin. Syst. I. p. 196. Lin. Fn. p. 39. n. 111. (Mas) Retz. Fn. Sv. p. 113. n. 68. Gmel. Syst. I. 2. p. 509. Lath. Ind. II. p. 853.

Anas Frænata, Mus. Carls. II. t. 38. (femina).

Scaup Duck, Pen. Brit. Zool. II. p. 586. t. 100. Arct. Zool. II. p. 565. Lath. Syn. VI. p. 500. n. 49. Vers. Germ. VI. p. 432.
Millouinan, Buff. Ois. IX. p. 221. Pl. enl. n. 1002.
Kagolka, Lepechin Reise 3 B. p. 223. t. 10.
Berg-Ente, Bechst. N. D. IV. p. 1016.

DESCRIPTIO.

Longit. 17-18 poll. Rostr. 2 poll. A flexura alæ ad apicem 9½ poll. Cauda 2½ poll.

Rostrum plumbeum magnum, postice altum, antice latum ungue incurvo. Iris fulva. Pedes coeruleo-cinerei membrana nigricante.

Mas: Caput, collum et pars pectoris nigra capite colloque viridi nitentibus. Dorsum anticum et scapulares alba nigro transversim tenuissime undulata. Pectus posticum et abdomen alba. Uropygium, crissum et tectrices caudæ fusco-nigra. Remiges primores nigricantes latere interiore cinereo; mediæ albæ apicibus nigricantibus; intimæ nigricantes juxta apices albo irroratæ. Tectrices alarum nigro-fuscæ lineis transversis undulatis albis. Cauda nigricans cinereo tincta.

Femina: Caput, collum et hypochondria rufo-fusca circa rostri basin fascia luteo-alba punctis nigris. Crissum, dorsum et cauda fusca. Cetera ut anteced.

Mas junior: Caput et collum nigra. Basis rostri pennis albidis cincta. Corpus supra fuscum albo tenuissime undulatum et punctatum. Pectus superius sordide rufescens, inferius cum abdomine album. Cauda æqualis fusca.

HISTORIA.

Æstivat in Lapponiæ aquosis, ubi nidulatur, sed ovatio incognita est. Autumno et hyeme australiores

Scandinaviæ oras visitat. Vescitur piscibus, insectis et herbis aquaticis.

3) *Speculo cinereo.*

CCXXXV. ANAS FERINA, *Linn.*

DIAGN: Capite et collo rufis; corpore undulato fascia pectorali, crisso et uropygio nigris.

SYNONYMA.

Anas ferina, Lin. Syst. Nat. I. p. 203. Lin. Fn. Sv. n. 127. Retz. Fn. p. 126. n. 83. Gmel. Syst. I. p. 530. Lath. II. p. 862. n. 77.

Anas rufa, Lin. Faun. Sv. p. 47. n. 134. Gmel. Syst. I. 2. p. 515. Lath. Ind. II. p. 863.

Anas Ferruginea, Retz. Fn. p. 136.

Ferruginous Duck, Pen. Brit. Zool. II. p. 601. n. 285. t. 99? Vide Obs. sub *Anat. Penelop.*

Canard Milouin, Buff. Ois. IX. p. 216. Pl. enl. 803. Tem. Man. d'Orn. p. 564.

Pochard or Red-headed Wigeon, Pen. Brit. Zool. II. p. 600. n. 284. Lath. Syn. VI. p. 523.

Die Tafel-Ente, Bechst. N. D. IV. p. 1028. Meyer Liv. u. Esthl. p. 249. Meisner u. Schinz Vögel der Schw. p. 296.

DESCRIPTIO.

Longit. 16-17 poll. Rostrum 2 poll. longum, cinereum, basi supra bipartita. Iris aurantia. Pedes plumbei.

Mas Senior:

Caput et collum rufa, dorso antice et pectore nigro-fuscis. Dorsum, alarum tectrices minores et hypo-

chondria alba undulis tenuissimis et numerosissimis fuscis pulcherrime ornata. Abdomen albidum undulis obsoletis. Uropygium et crissum nigra. Remiges primores cinereæ latere exteriore et apice fuscæ; secundariæ cinereæ apice albæ. Speculum cinereum postice et inferne nigro cinctum.

Femina senior: Minor; Caput et collum ferruginea. Pectus fuscum undulis rufescentibus. Crissum nigricans rufescenti tinctum.

Pullus: Caput et collum rufo-fusca. Corpus supra nigro-fuscum, subtus fuscum marginibus pennarum griseis.

HISTORIA.

Habitat in fluviis et lacubus Sveciæ septentrionalis. In Scania rarus obvenit. Nidulatur in juncetis. Ova 10-12 virescenti-alba.

4) Speculo violaceo.

CCXXXVI. ANAS HISTRIONICA, *Linn.*

Diagn: Rostrum parvum, compressum, ungue incurvo. Nares juxta basin approximatæ. *Mas:* Caput et collum violaceo-nigra fascia ad latera verticis ferruginea; maculis, linea collari et fascia pectorali albis. *Femina:* Supra fusca subtus albida fusco maculata, genis et macula pone oculos albidis.

SYNONYMA.

Anas histrionica, Lin. Syst. I. p. 304. n. 35. Retz. Fn. Sv. p. 129. n. 87. Brünn. Bor. p. 19. n. 84.

Gmel. Syst. I. p. 534. Lath. Ind. II. p. 849. Sparrm. Swensk Ornithol. (figura bona).

Canard à Collier, *ou Histrion*, Temm. Man. p. 573. Buff. Ois. IX. p. 250. Pl. enl. 798.

Harlequin Duck, Lath. Syn. VI. p. 485. Edw. t. 99. Arct. Zool. II. p. 560.

Die Kragenente, Bechst. N. D. IV. p. 1037.

Straum Önd, Mohr. Isl. Nat. Hist. p. 24. t. I. Mas et fem.

Femina:

Anas Minuta, Lin. Syst. I. p. 204. Brunn. Bor. n. 86. Lath. Ind. II. p. 849.

La Sarcelle brune et blanche, Pl. enl. 799.

Litle brown and white Duck, Edw. Av. t. 157.

DESCRIPTIO.

Longit. 16-17 poll. Rostrum nigrum, parvum $1\frac{2}{8}$ poll., compressum, fere anserinum, dentibus pectiniformibus juxta basin sub margine maxillæ superioris dependentibus, ungue incurvo. Pedes coeruleo-nigricantes.

Mas:

Genæ albæ dimittunt striam utrinque ad latera fasciæ nigræ, quæ a fronte per verticem ad occiput longitudinaliter se extendit. Fascia ferruginea utrinque ad latera verticis. Aurium macula alba. Præterea latera capitis, gula et jugulum violaceo-nigra. Circa jugulum et latera colli fascia alba. Pectus, humeri et cervix saturate coerulei. Pectus, utrinque fascia semilunari alba, nigro marginata cinctum. Dorsum fuscum; maculæ in ala albæ, speculo nigro-violaceo,

Hypochondria ferruginea. Tectrices caudæ superiores nigræ. Crissum nigrum, macula utrinque alba. Cauda nigra acuminata.

Femina: Minor. Magnopere differt. Tota supra saturate fusca, subtus albida, fusco maculata. Gula, frons, oculorum et aurium regio albida. Hypochondria rufa.

Varietas: Alba fusco hinc inde maculata. E Groenlandia adductam olim mihi communicavit clar. Wormskiold.

HISTORIA.

Habitat hæc species in plagis terræ maxime borealibus, nec nisi rarissime et quidem hyeme oras nostras visitat. Nidulatur mense Junio. Ova 8 albida.

CCXXXVII. ANAS STELLERI, *Pall.*

DIAGN: *Mas:* Albus, orbitis, gula, jugulo, collari et dorso nigris; macula nuchæ viridi, pectore rufo. *Femina:* Testacea fusco undulata; linea alarum duplici alba.

SYNONYMA.

Anas Stelleri, Pall. Spic. Zool. VI. p. 35. tab. 5. Retz. Fn. Sv. p. 133. n. 92.

Anas dispar, Sparrm. Mus. Carls. fasc. I. t. 7. (Mas) et t. 8. (fem.) Lath. Ind. II. 866.

Western Duck, Pen. Arct. Zool. II. p. 564. t. 23. (Mas).

Stellers And, Swensk Zoologi. Tom. II. fasc. II. t. 62.

DESCRIPTIO.

Magnitudo *Anatis glacialis*. Rostrum $1\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad ejusdem apicem 9 poll. Cauda $3\frac{1}{2}$ poll. Tibia $1\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. $2\frac{3}{8}$; Digit. postic. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum fere anserinum virescenti-nigrum lamellis pectiniformibus extus conspicuis. Pedes nigro-virides.

Mas: Caput album macula utrinque inter rostrum et oculum viridi; circa oculos macula nigra, macula nuchæ transversali viridi utrinque nigro terminata. Gula, jugulum et annulus circa collum inferius atra, hic fulgore viridi nitens. Dorsum nigrum. Pennæ scapulares longæ, acuminatæ, falcatæ latere exteriori atro-coeruleo nitentes, interiori albæ. Tectrices omnes alarum albæ. Remiges primores et alula notha fuscæ; secundariæ fuscæ apice albæ; interiores latere interiori albæ, exteriori atro-coeruleæ nitentes. Pectus et hypochondria alba sordide rufo-tincta; pectore in medio saturatiore, lineis transversis fuscis obsolete undulato; medium abdomen, crissum et cauda acuta nigro-fusca.

Femina: Fusca maculis et lineis transversis testaceis ubique adspersa. Abdomen, crissum et cauda nigro-fusca, immaculata. Macula alarum coerulea, lineâ utrinque albâ.

HISTORIA.

Ter quaterve solummodo hæc species in Svecia, quantum scimus, observata fuit, scilicet in fluvio quodam Ostrogothiæ, in mari extra oras ejusdem provinciæ, et in oris insulæ Gottlandiæ. Æstatem in Asia maxime boreali degit; an quoque in Finnmarkia niduletur, nondum constat.

Digitus posticus lobo membranaceo destitutus.

1) *Speculo albo.*

CCXXXVIII. ANAS STREPERA, *Linn.*

Diagn: Rostrum æquale nigrum lamellis exsertis. Pedes aurantii. Interscapulium, scapulæ et pectus lineis arcuatis albis et nigris.

SYNONYMA.

Anas strepera, Lath. Ind. II. p. 859. n. 69. Gmel. Syst. I. 2. p. 520.

Canard chipeau ou ridenne, Temm. Man. p. 539. Buff. Ois. IX. p. 187. t. 12. (fem.) Pl. enl. 958. (Mas).

Godwallor Grey, Lath. Syn. VI. p. 515. Pen. Brit. Zool. II. p. 603. n. 288. — Arct. Zool. II. p. 575. L.

Schnatterente, Bechst. N. D. IV. p. 1096. Meyer Taschenb. II. p. 533. Naum. Vögel Deutschl. III. B. p. 279. tab. 46. a. (Mas) tab. 45. fig. 65. (fem.)

OBSERV.

Linnei neque Faunam Sveciæ neque Systema Naturæ heic citare potui. Utroque enim loco speculum ita delineatur, ut descriptio minime in hanc speciem, sed probius in *An. Acutam* quadret.

DESCRIPTIO.

Longit. 18-19 poll.

Rostrum nigrum, æquale, lamellis exsertis pectiniformibus. Iris brunnea. Pedes aurantii membrana natatoria nigra.

Mas senior:

Vertex fuscus. Caput præterea et collum rufescentia maculis et punctis fuscis crebre adspersa. Gula albida immaculata. Pars inferior colli, superior pectoris et dorsi nigro-fusca lineis semicircularibus albis pulcherrime adspersa. Dorsum posticum fuscum marginibus rufis. Hypochondria et femora fusca undulis crebris albidis. Abdomen album. Remiges primores fusco-cinereæ, mediæ albæ (unde speculum album oritur), intimæ longæ, acutæ, cinereæ apicibus pallidis. Tectrices proximæ nigræ, minores rufæ. Cauda rotundata Rectricibus cinereis margine albis. Tectrices caudæ superiores et inferiores nigræ.

Mus. Thunb.

Femina: Rostrum fuscum. Iris et pedes ut in Mare. Dorsum nigro-fuscum marginibus pennarum rufis. Pectus fusco-rufescens nigro-maculatum. Tectrices caudæ superiores et inferiores griseæ.

HISTORIA.

Habitat in lacubus et paludibus, rarius tamen apud nos*). Nidificat in juncetis. Ova 8-9 cinereo-viriscentia. Vescitur piscibus, insectis et plantis aquaticis.

2) Speculo viridi.

CCXXXIX. ANAS ACUTA.

Diagn: Rostrum æquale et pedes cinerei. Speculum rufescenti, albo et nigro cinctum.

---

*) Vivam nondum vidi; e Museis descripsi.

Mas: Caput et gula rufo-fusca, cervice linea utrinque alba in jugulum descendente. Dorsum lineis undulatis nigris et albis. Cauda acuminata, elongata.

Femina: Supra nigro-fusca striis undulatis rufescentibus vel albidis; subtus rufescenti-albida maculis fuscis.

SYNONYMA.

Anas acuta, Lin. Syst. I. p. 202. Lin. Fn. n. 126. Retz. Fn. p. 123. n. 81. Gmel. Syst. I. 2. p. 528. n. 28. Lath. Ind. II. p. 864.

Anas Alandica, Sparrm. Mus. Carls. 3. t. 60. Retz. Faun. p. 131. (fem).

Anas Sparrmanni, Lath. Ind. II. p. 876. (fem).

Pintail, Pen. Brit. Zool. II. p. 598. Arct. Zool. II. p. 566. Lath. Syn. VI. p. 526. n. 72. Vers. Germ. VI. 453.

Pilet ou Canard à longue queue, Buff. Ois. IX. p. 199. t. 13. Pl. enl. p. 954.

Spiess-Ente, Bechst. Nat. D. IV. p. 1117. Meyer l. c. 251.

Scanis: Stjertand. *Venator. Scan.* Wi-and.

DESCRIPTIO.

Longit. 2. ped. Rost. $2\frac{2}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $10\frac{1}{2}$ poll. Cauda $7\frac{1}{2}$-8 poll. Tibia $1\frac{5}{8}$. Digit. med. $2\frac{2}{8}$ poll.

Rostrum longum, plumbeum, æquale; ungue obtuso dentibus pectiniformibus in medio rostri vix exsertis. Iris brunnea. Pedes cinerei.

Caput et jugulum rufo-fusca vertice maculis nigricantibus. Cervix nigra, ad cujus latus stria utrinque alba decurrit et cum collo antice albo se conjungit. Corpus subtus album. Dorsum anterius, humeri, latera pectoris et hypochondria lineis transversis undulatis nigris et albis. Tectrices caudæ superiores et scapulares longæ, acuminatæ nigræ marginibus albis vel testaceo-albidis. Dorsum posticum fuscum undulis transversim linearibus albis. Crissum nigrum lateribus albis. Remiges primores griseo-fuscæ, intimæ extus cinereæ, intus nigræ. Speculum cupreo-viride antice rufescenti postice albo nigroque et superne nigro-cinctum. Tectriees alarum superiores cinereæ rufescenti tinctæ. Rectrices duæ intermediæ nigræ longissimæ angustæ acuminatæ, ceteræ cinereæ marginibus albidis.

Femina: minor. Caput supra et cervix fusca marginibus pennarum rufescentibus. Collum sordide rufescenti-griseum maculis minutis fuscis. Dorsum, hypochondria et tectrices caudæ superiores saturate fusca marginibus et lineis semilunaribus lutescenti-albis. Pectus et abdomen rufescenti-albida maculis fuscis. Remiges primores et intimæ fuscæ. Speculum rufo-fuscum antice pallide rufescenti, postice nigra et alba linea marginatum. Cauda cuneata rectricibus acutis fuscis fasciis vel lineis undulatis pallide ferrugineis, marginibusque juxta apicem albis.

OBSERV.

Quin huc pertineat *Anas Alandica* Sparrm. l. c. nullum dubium est. Exemplar enim, quod iconi ansam dedit, ipse examinavi.

HISTORIA.

Habitat in septentrionalioris Scandinaviæ lacubus et fluviis. Raro in paludibus Scaniæ æstivat. Nidulatur in juncetis. Ova 8 - 9 coeruleo - virescentia. Hyeme abit. Mature redit.

CCXL. ANAS PENELOPE.

DIAGN: Pedes et rostrum parvum cinerea. *Mas:* Caput et collum rufa fronte lutescenti - albida. Speculum viride nigro marginatum. Dorsum nigro alboque tenuissime undulatum. Tectrices caudæ inferiores nigræ. *Femina:* Caput et collum ferruginea nigro maculata; speculum cinereum albo cinctum.

SYNONYMA.

Anas Penelope, Lin. Faun. Sv. p. 44. n. 124. Retzii Faun. p. 123. n. 80. Syst. Nat. I. p. 202. n. 27. Lath. Ind. II. p. 860. n. 71. Gmel. Syst. I. p. 527.

Anas fistularis, Briss. Orn. VI. p. 391. n. 21. t. 35. f. 2.

Canard Siffleur, Buff. Ois. IX. p. 169. t. 10. 11. Vers. Germ. Otta XXXIII. p. 241. cum tabula. Pl. enl. 825. (mas). Temm. Man. p. 542.

Wigeon, Pen. Br. Zool. II. p. 601. n. 286. Arct. Zool. II. p. 574. R. Lath. Syn. VI. p. n. 63. Bechst. Nat. D. IV. p. 446. n. 63.

Die Pfeifente, Bechst. Nat. D. IV. p. 1109. Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 263. Huc pertinet;

Anas ferruginea, Lindr. Mus. Grill. p. 13. n. 284. et forte

Anas rufa, Lin. Faun. Sv. 134. Cujus tamen icon inter pictas Rudbeckii aves jam desideratur. Diagnosis vero Linneana brevior est, quam ex qua quid certi concludatur.

Venatoribus Scanens. Brunnacke.

DESCRIPTIO.

Longit. 18-19 poll. Rostr. 1 $\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 10 poll. Cauda 3 poll. Tibiæ 1 $\frac{5}{8}$, Digit. med. 2 poll. postic. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum breve et tenue, depresso-semiteres basi altius, subangulatum, plumbeum, apice et subtus nigrum. Nares parvæ, ovales, marginatæ Iris fusca. Pedes cinereo-virides membrana nigricante.

Mas:

Caput et pars superior colli rufa maculis minutis viridi-nitentibus. Gula nigricans. Superior pars pectoris rufescenti-cinerea fusco maculata. Dorsum et scapulares undulis tenuissimis albis et fuscis ornata. Pars inferior pectoris et abdomen alba. Tectrices remigum secundariorum albæ, unde macula magna alba in ala composita oritur, interdum cinereæ marginibus albis; basis alæ et tectrices rem. primorum saturate cinereæ. Remiges primores cinereo-fuscæ, latere interiore pallidiores; secundariæ nigræ latere exteriore in medio cupreo colore nitente. Tectrices proximæ albæ apice nigræ, unde Speculum viride nitens nigro colore cingitur. Remiges intimæ nigræ margine exteriore albo. Cauda acuta rectricibus cinereis albo marginatis. Tectrices caudæ inferiores nigræ, superiores nigræ albo marginatæ. Mus. Lund.

Femina: Minor, 16 - 17 poll. long.

Rostrum et pedes sordide cinerea. Caput et collum pallide rufescentia maculis minutis rotundatis nigro-fuscis, præsertim superne confertis. Dorsum et scapulæ pennis fusco-nigricantibus rufo marginatis. Pectus superius rufum maculis transversis majoribus nigro fuscis. Ceterum pectus et abdomen alba. Crissum album maculis rufo - fuscis. Remiges cinereo - fuscæ. Tectrices alarum saturate cinereæ in media ala fusco-maculatæ. Speculum cinereum albo cinctum. Cauda acuta cinereo - fusca marginibus Rectricum albidis.

Mas Junior: Similis matri.

Mas mense Septembri: Dorsum tegitur pennis aliis e fusco et albo tenuissime undulatis, aliis nigro - fuscis stria transversa et marginibus rufis. Scapulares longæ, superiores nigro - fuscæ stria simplici vel duplici et marginibus rufis, inferiores cinereæ albo tenuissime undulatæ. Pectus superne griseo - rufum maculis transversis nigris. Hypochondria rufa. Pectus et abdomen alba rufescenti tincta. Crissum album maculis nigris. Speculum viride.

HISTORIA.

Habitat æstate in aquis dulcibus regionum septentrionalium. Vere et autumno maria nostra turmatim visitat, ita ut mense Septembri inter omnes Anatum species in mari juxta littora Scaniæ maxime sit vulgaris. Vere in septenrrionale domicilium redit pars plurima. Manent in Scania nonnullæ et se propagant. Mense Aprili ova 9. alba, sordide virescentia in tumuli fossula juxta paludem s. aliam aquam ponit.

CCXLI. ANAS BOSCHAS.

DIAGN: Rostrum luteo-viride. Pedes aurantii. Speculum violaceum utrinque fasciâ nigriâ a fascia alba distinctum. *Mas:* rectricibus intermediis recurvatis, capite et collo obscure viridinitentibus, collo inferne annulo albo cincto. *Femina:* supra nigro-fusca marginibus rufis et albidis; subtus rufescenti-alba, fusco maculata.

SYNONYMA.

Anas Boschas, Lin. Faun. Sv. p. 46. n. 131. Retz. Faun. p. 131. n. 90. Lin. Syst. Nat. I. p. 205. n. 40. Gmel Syst. Nat. I. p. 538. Lath. Ind. II. p. 850. n. 49. Fabr. Fn. Groenl. p. 75. n. 47.

Anas fera, Briss. Orn. VI. p. 318. n. 4.

Mallard or *Wild Duck*, Pen. Britt. Zool. p. 591. n. 279. t. 97. Arct. Zool. II. p. 563. n. 494. Lath. Syn. VI. p. 489. n. 43. Vers. Germ. Bechst. VI. p. 424.

Canard sauvage, Buff. Ois. IX. p. 115. t. 7. 8. — Vers. Germ. Otto XXXIII. p. 149. — Pl. enl. n. 776. (mas) 777. (fem.) — Temm. Man. p. 538.

Gemeine Ente, Bechst. Nat. D. IV. p. 1046.

Stockente, *Martzente*, Meyer Vögel Liv. u. Esthl. p. 252.

Anas Platyrhynchos, Lin. Faun. Sv. p. 42. n. 120. Retz. Faun. p. 189. n. 76. Syst. Nat. XII. p. 200. (ut varietas *Anatis Clypeatæ* allata). Fauna Gottl. Billbergii. N. Act. Acad. Scient. 1809.

Anas fluviatilis ruffa, rostro subviridi, pedibus miniaceis (fem.) Rudb. pict. fol. 231.

Anas fluviatilis ruffa, rostro superius virescente inferius flavescente, pedibus miniaceis, (mas.) Rudb. fol. 250. Est junior avis.

Svecis: Gräsand, Stockand.

OBSERV.

Hæ Rudbeckii icones ansam dederunt *Anati Platyrhyncho* in Faun. Sv. quam Auctor postea in Systemate Naturæ edit. XIIma cum *Anate clypeata* conjunxit. Sed cum descriptio in Fauna Sv., tum icones jam allatæ ostendunt avem ad Anatem Boscham pertinere.

DESCRIPTIO.

Longitudo avis fere 2 ped. Rostr. $2\frac{2}{8}$, a flexura alæ ad apicem $10\frac{1}{2}$ poll. Cauda $3\frac{2}{8}$ poll. Tibiæ $1\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $2\frac{1}{8}$; Digit. postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum luteo-viride ungue parvo nigro, fere æquale, rectum antice depressum, parum latius, postice altius basi supra bipartita. Nares parvæ ovales. Iris brunnea. Pedes aurantii.

Mas: Caput et collum obscure viridi-nitentia *), fronte obscure castaneo, nucha rubro tincta. Collum inferne annulo albo cinctum. Superior pars pectoris castanea nitens. Ceterum pectus, abdomen et hypochondria alba undulis minutissimis et frequentissimis fuscis pulcherrime ornata, præsertim in hypochondriis conspicuis. Dorsum fuscum, antice rufescenti-griseo tinctum. Scapulares albidæ margine exteriore rufescentes, undecunque undulis minutissimis fuscis confertis ornatæ. Tectrices alarum minores cinereæ, fusco

*) Pro varia directione luminis cupreo-viridi s. violaceo fulgore splendentia.

inquinatæ, majores apice albo, fascia nigra terminato. Remiges primores cinereo-fuscæ; secundariæ in medio extus violaceæ nitore viridi vel purpureo, pone apicem album fascia nigra; unde speculum violaceum viridi l. purpureo nitens, superne fascia nigra, antice et postise extra fasciam nigram stria alba inclusum. Tectrices caudæ superiores et inferiores nigræ. Cauda acuminata. Rectrices exteriores incanæ marginibus albis, mediæ binæ, ternæ l. quaternæ nigræ, recurvatæ.

Femina: Rostrum sordide olivaceum. Pedes aurantii.

Caput et collum supra nigro-fusca striis minutis angustis rufo-albis. Latera colli et capitis albida fusco longitudinaliter minute striata. Supra oculos linea albida et alia per oculos fusca. Gula alba luteo inquinata. Dorsum et scapulares nigro-fusca marginibus pennarum rufis et albidis. Uropygium fuscum marginibus et fascia in medio pennarum albo-rufis. Pectus pallide rufescens maculis fuscis. Abdomen et crissum sordide alba fusco maculata. Tectrices alarum minores et remiges primores cinereo-fuscæ. Speculum violaceum purpureo et coeruleo nitens utrinque fascia alba extra fasciam nigram marginatum. Rectrices acuminatæ, rufescenti-albæ maculis irregularibus nigro-fuscis.

Variet. A) Anas Platyrhynchos Lin. Faun. Sv. n. 120. macula alari purpurea utrinque nigra albaque, pectore rufescente. Cet. descript. vide in Faun. l. c. et icones (unde orta est) inter Rudbeckii aves pictas fol. 231. et 250.

Variet. B) Femina: Rostrum pallide olivaceum. Pedes luteo-rubri. Caput et collum supra nigro-fusca striis albidis. Linea alba supra oculos et alia fusca per oculos. Dorsum et scapulæ nigro-fusca marginibus pen-

narum latioribus albis l. rufescenti-albis Uropygium pallide rufescens maculis nigro-fuscis rotundato-cordatis. Alæ ut in femina descripta. Latera capitis, collum et tota avis subtus alba, pectore et crisso levissime rufo tinctis. Rectrices albæ intermediis binis medio fuscis, marginibus albo variegatis. Tectrices superiores laterales albæ.

Mus. Thunb.

OBSERV.

Hæc est Anas Platyrhynchos Faunæ Gottlandicæ l. c.

Mas habitu autumnali: Pileus niger viridi nitens. Genæ et gula nigra viridi-nitentia maculis albidis adspersa. Latera capitis, colli et jugulum sordide albida maculis minutis linearibus fuscis adspersa. Cervix fusca. Macula alba semilunaris circa collum. Dorsum fuscum. Scapulæ undulatæ. Collum inferne castaneum. Subtus præterea tenuissime undulata e fusco et albido. Caudæ tectrices superiores et inferiores nigræ. Cauda caret rectricibus recurvatis.

HISTORIA.

Habitat in omnibus fere Scandinaviæ plagis et se propagat tum in Scania tum in Lapponia. Hieme cum gelu obteguntur lacus, scaturigines amnium visitat. Vescitur testaceis, piscibus, insectis, plantis aquaticis, cerealibus, &c., Nidulatur in graminosis et juncetis, et interdum in arboribus juxta lacus et fluvios. Ova 10-14 alba coeruleo-virescentia.

CCXLII. ANAS TADORNA, *Linn.*

Diagn: Caput et pars colli atro-viridia. Corpus album fascia pectoris et dorsi anterioris ferru-

ginea. Scapulæ macula magna. Remiges et apex caudæ corpusque subtus longitudinaliter nigra. Rostrum sanguineum. Pedes incarnati.

SYNONYMA.

Anas Tadorna, Linn. Fn. Sv. 113. Retz. Fn. p. 110. Gmel. Syst. I. p. 506. Lath. Ind. II. p. 854. n. 56. Lin. Itin. Scan. 212. Id. itin. Gottl. p. 214.
Tadorne, Buff. Ois. IX. p. 205. t. 14. Pl. enl. 53 (Mas). Temm. Man. d'Orn. p. 536.
Shieldrake, Pen. Brit. Zool. II. p. 589. Lath. Syn. VI. p. 504. Id. Suppl. I. p. 275.
Brandente, Bechst. N. D. IV. p. 976.
Svecis: Grafgås, Brandgås; *Gottl.* Jugås.

DESCRIPTIO.

Longit. avis 2 ped. 1½ poll. Alæ extensæ 3 ped. 8 poll. Rostr. a sinu oris 2½ p., basi latum $\frac{13}{16}$ poll., pone apicem lat. $\frac{15}{16}$ poll. A flexura alæ ad apicem 13½ poll. Cauda 4½ poll. Tibia 2⅜ poll. Digit. med. 2⅝, postic. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum sanguineum, subrecurvatum, versus apicem latius, depressum, rotundatum, ungue nigro obtuso, incurvato; basi compressum, altius quam latius, superne carbuncula magna carnosa sangvinea, antice compressa ornatum. Nares ovales marginibus nigris. Maxilla superior lamelloso-dentata, dentibus pone medium infra marginem exsertis. Maxilla inferior apice truncata nigra lateribus lamellosis. Pedes pallide carnei femoribus supra genua nudis, unguibus fuscis. Digitus posticus compressus nulla tamen membrana instructus. Cauda parum rotundata alas subæquans.

Caput totum et colli pars superior atra viridi et violaceo nitentia. Pars inferior colli, dorsum, scapulares inferiores, uropygium, tectrices alarum super. et infer., latera pectoris et abdominis alba. Anteriora pectoris et dorsi cingit fascia lata, tripollicaris, rufo-ferruginea. Scapulares superiore nigræ. Pectus et abdomen in medio longitudinaliter nigra. Crissum pallide ferrugineo-fulvum. Remiges primores 10. nigræ, secundariæ 11-22 latere exteriore viridi-aureæ, latere interiore nigræ, basi albæ, sequentes 23-26 latere exteriore saturate rufæ stria juxta rachin nigra, interiore albæ, intimæ totæ albæ. Tectrices proximæ rem. prim. nigræ et alula notha apice et latere exteriore nigra. Cauda alba rectricibus, exceptis extimis, apice nigris.

Femina: minor, caret carunculâ rostri. Caput et superior pars colli nigrescentia maculis albis in genis et in fronte. Fascia ferruginea circa pectus et interscapulium angustior, superne fusco irrorata. Nigredo abdominis interrupta et angusta.

Junior: Rostri apice fusco, præterea matri subsimilis.

HISTORIA.

Habitat æstate secundum litus marinum a Scania fere usque ad circulum polarem. Frequentius tamen in Scania, ubi advenit juxta finem mensis Aprilis et initio m. Maji, et unde abit mense Augusti Ova 10-12 alba plerumque ponit in cuniculis horizontalibus, quos in arena fodit. Vescitur piscibus, testaceis, plantis marinis. Cicurata cerealibus delectatur. Caro insipida.

CCXLIII. ANAS CLYPEATA, *Linn.*

DIAGN: Rostrum longum spathulatum. Speculum nigro-viride. Tectrices alarum cyaneæ. Pedes aurantii.

SYNONYMA

Anas Clypeata, Lin. Fn. Sv. p. 42. n. 119. Syst. Nat. I. p. 200. Retz. Fn. p. 118. n. 75. Gmel. Syst. I. 2. p. 518. Lath. Ind. II. p. 856. n. 60.
Anas rubens, Gmel. Syst. I. p. 519. Lath. l. c. p. 857.
Canard Souchet ou le Rouge, Buff. Ois. IX. p. 191. Pl. enl. 971. et 972. Tem. Man. d'Orn. p. 543.
Shovler, Penn. Britt. Zool. II. p. 596. Arct. Zool. II. p. 557. Lath. Syn. VI. p. 509.
Löffelente, Bechst. Nat. D. IV. p. 1101. Meyer Liv. u. Esthl. p. 254. Meisner. u. Sch. Vög. der Schweitz. p. 302.
Venatoribus Scanensibus: Leffeland.

DESCRIPTIO.

Mas:

Longit. 18 poll. Alæ extensæ $2\frac{1}{2}$ ped. Rostr. $2\frac{1}{7}$ poll. A flexura alæ ad apicem 9 poll. Tibia $1\frac{3}{8}$ poll. Digit. med. 2 poll.

Rostrum magnum spathulatum, extus dilatatum, apice rotundato, ungue ovato incurvo; supra nigrum margine dentibus a basi ultra medium longis exsertis, pectiniformibus ciliato; subtus subluteum. Pedes aurantii. Iris fulva.

Caput et superior pars colli atro-viridia, nitentia. Inferior pars colli et superior pectoris alba. Dorsum

nigro-fuscum. Pennæ scapulares longæ, laxæ, nigræ, extus albæ. Tectrices alarum minores pallide coeruleæ. Speculum saturate viride, albo cinctum. Abdomen et hypochondria fusco-rufa.

Femina: Long. 17 poll.

Rostrum supra nigro-virescens, subtus pallide rubrum. Pedes aurantii membrana natatoria nigra. Caput supra, dorsum et scapulares nigro-fusca marginibus pennarum pallide rufescentibus. Caput præterea et collum pallide rufa striis et maculis minutis fuscis sparsa. Pectus et tota avis subtus pallide rufa maculis nigricantibus. Tectrices alarum pallide coerulei. Speculum saturate viride striâ antice alba.

HISTORIA.

Habitat passim in paludibus et lacubus Sveciæ meridionalioris ex. gr. in Scania, Gottlandia &c. Vescitur piscibus, vermibus, plantis et insectis aquaticis. Nidulatur in arundinetis et juncetis juxta lacus et paludes. Ova 7-14. luteo-viridia.

CCXLIV. ANAS QUERQUEDULA, *Linn.*

Diagn: Rostrum depresso-subdilatatum dentibus exsertis ungue ovato. Speculum parvum viridi-fuscum, parum nitens, fascia utrinque alba cinctum.

Mas: Latera capitis et collum rufa, albido striata. Gula nigra. Tectrices alarum pallide cinereæ. Scapulares falcatæ.

Femina: Fascia albida supra et infra oculos, fuscaque per oculos. Genæ et collum alba fusco striata. Tectrices alarum griseo-fuscæ.

SYNONYMA.

Anas Querquedula, Lin. Fn. Sv. p. 45. n. 128. Syst. Nat. I. p. 203. n. 32. Retz. Fn. p. 127. n. 84. Lath. Ind. II. p. 872. n. 99. Gmel. Syst. t. 2. p. 531.

Canard Sarcelle d'ète, Temm. Man. p. 545. Buff. Ois. IX. p. 260. et 268. Pl. enl. 946. (Mas).

Garganey, Pen. Brit. Zool. II. p. 604. n. 289. t. 101. (Mas et fem) Arct. Zool. II. p. 576. O. Lath. Syn. VI. p. 550. n. 87.

Die Kräckente, Bechst. N. D. IV. p. 1135. Mey. Liv. u. Esthl. p. 255. Meisner u. Schinz die Vögel der Schweitz p. 303.

Venatoribus Scanens.: Kräckand. Årta.

OBSERV.

Quænam esset avis *Anas Circia* Lin. inter Ornithologos sæpe dissensio fuit, donec nuper fere inter omnes convenit, eandem esse Marem seniorem *Anatis Querquedulæ*. Quibus vero rationibus in hanc opinionem incidere potuerint, ego sane videre non possum. Speculi enim color, qui in hoc genere nota maxime characteristica est, primo quoque adspectu, longe aliam indicat speciem. Neque enim *A. querquedula* habet: "*maculam alarum coeruleam supra infraque nigram, ante et post album*" ut *Anas Circia* Faunæ Suec. neque "*Speculum nigro virens supra infraque nigrum, margine antico posticoque album*" ut. *A. Circia* Syst. Nat. Quænam igitur sint Linneanæ aves curâ eruere conabor. Imo In folio 224. operis Rudbeckiani exstat Figura, quæ sine ullo dubio et exsistentiam et nomen dedit *Anati Circiæ* Lin. Syst. Nat. p. 204. n. 34. — Synonyma a Rudbeckio ipso in schedula allata

hæc sunt: "*Anas Circia* Gesn. p. 106. Aldr. L. 19. p. 209. Will. p. 291. Ray. p. 148." — Eandem exacte Synonymiam in Syst. Nat. l. c. invenis. Hæc vero icon Rudbeckiana egregie repræsentat *Marem juniorem Anatis Creccæ*, exacte talem qualem infra describam. 2do *Anas Circia* Lin. Fn. n. 130. eadem est ac Rudbeckii *Anas fusca media, rostro et pedibus cinereis*, quæ in fol. 242. operis citati depicta est, et sine dubio Linnæus nullibi vidit avem nisi in hoc opere. — Rudbeckius ipse eam ab *A. Circia* (fol. 224) distinctam esse suspicatur, quare in schedula juxta posita interrogat: *An Anas Circia major, vel etiam Mas?* Hanc iconem ita olim descripsi: Rostrum breve cinereum apice nigricante. Caput et collum sordide rufescentia. Dorsum nigricans marginibus pennarum obsolete rufescentibus. Corpus subtus album. Cauda et Remiges saturate fusca. Tectrices alarum minores cinereo-fuscæ marginibus pallidis. Speculum viride antice et postice fascia obliqua nigra, extra quas lineæ albæ. Quin avis heic descripta sit *Anas Circia* Lin. Fn. Sv. nullum omnino et dubium. Quænam vero sit species, jam absolute determinare non possum. Ad *Querquedulam* sane non pertinet. Nonne potius Mas junior *Anatis Penelopes?*

DESCRIPTIO.

Longit. 15 poll. Rostrum $1\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem $7\frac{1}{2}$ poll. Cauda $2\frac{1}{2}$ poll. Tibia $1\frac{1}{8}$ p. Digit. med. $1\frac{5}{8}$ p. postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum nigricans, basi coarctatum, antice depressum, subdilatatum ungue nigro ovato, obtuso, dentibus pectiniformibus pone medium exsertis *). Oculi sub vertice siti. Iris pallide brunnea. Pedes cinerei.

Pileus et nucha nigra rufescenti (interdum) immixto striis frontis albidis. Fascia alba supra oculos utrin-

*) Hac rostri formâ in omnibus anni tempestatibus optime dignoscitur ab *An. Crecca.*

que ad latera cervicis ducta. Gula nigra. Caput præterea et collum fusco-rufa striis minutis albis crebre sparsa. Inferior pars colli et pectus pallide ferruginea lineis semicircularibus nigro-fuscis. Dorsum fuscum marginibus pennarum griseis. Scapulares longæ, acuminatæ, deorsum falcatæ, atro-virides, stria juxta rachin alba. Tectrices alarum pallide coerulescenti-cinereæ, majores apice latius albæ. Speculum cinereoviride fascia alba antice et postice cinctum. Abdomen album rufescenti tinctum. Hypochondria alba lineis undulatis nigris. Crissum lineis transversis et tectrices caudæ inferiores maculis fuscis. *Mas senior.*

Femina: Minor. Rostrum et pedes grisea. Iris fusca. Pileus nigro-fuscus rufo immixto. Fascia albida supra et infra oculos aliaque fusca per oculos, præsertim postice conspicua. Genæ et latera colli albida striis minutis fuscis sparsa. Gula alba. Dorsum et scapulares nigro-fusca marginibus pennarum rufescentibus et albidis. Pectus superius et hypochondria sordide alba rufescenti tincta maculis fuscis. Ceterum subtus sordide alba, crisso maculis fuscis. Tectrices alarum griseo-fuscæ, quarum proximæ, ut etiam remiges secundariæ apice albæ sunt, unde speculum viridi-fuscum, nitore destitutum utrinque stria alba cingitur.

Mas junior: Feminæ seniori subsimilis differt magnitudine aliquantum majori fascia albida supra oculos versus nucham ducta; tectricibus alarum fusco-cinereis.

HISTORIA.

Æstivat in paludibus, amnibus et lacubus, præsertim ubi ripæ graminosæ sunt vel juncetis cinctæ. In Scania vulgaris. Vescitur plantis aquaticis, testaceis et insectis. Mense Novembri abit, vere redeunte redit. Ova 10-12 lutescenti-alba.

CCXLV. ANAS CRECCA, *Lin.*

DIAGN: Rostrum angustum semiteres, dentibus infra marginem vix conspicuis, ungue sublineari. Speculum magnum viride superne et inferne nigro, antice et postice albo cinctum.

SYNONYMA.

Anas Crecca, Lin. Fn. Sv. p. 46. n. 129. Retz. Fn. p. 127. n. 85. Gmel. Syst. I. 2. p. 532. Lath. Ind. II. p. 872.

La petite Sarcelle, Buff. Ois. IX. p. 265. t. 17 et 18. Pl. enl. 947. (mas).

Common Teal, Pen. Brit. Zool. II. p. 606. n. 290. Arct. Zool. II. p. 577. Lath. Syn. VI. p. 551.

Canard Sarcelle d'hiver, Temm. Man. p. 547.

Krieckente, Bechst. N. D. IV. p. 1143 Meisn. et Schinz Vög. Schw. p. 304. Meyer Liv. u. Esthl. p. 256.

Svecis: Krickand.

DESCRIPTIO.

Longit. 14-15 poll. Rostrum $1\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem 7 poll. Tibia $1\frac{2}{8}$; Digit. med. $1\frac{5}{8}$ p. postic. $\frac{3}{8}$ poll.

Rostrum nigrum, angustum, æquale, semiteres, ungue angusto lanceolato, dentibus infra marginem maxillæ haud conspicuis. Iris brunnea. Pedes cinerei membrana nigricante.

Caput et collum rufa. Gula nigra. Fascia lata atroviridis utrinque per oculos ad latera nuchæ ducta in cervice jungitur. Pars inferior colli, dorsum, scapulares intimæ et hypochondria lineis undulatis albis et nigris ornata. Pectus rufescenti-album maculis parvis

rotundatis (pisiformibus) fuscis. Abdomen album, tectrices alarum cinereo-fuscæ, proximæ apicibus late albis, vel rufo-albis. Remiges primores fuscæ. Speculum magnum viride nitens cingitur superne fascia longitudinali inferne macula nigra, antice fascia et postice stria alba. Tectrices caudæ inferiores nigræ macula utrinque magna rufescente; superiores nigræ marginibus pennarum albidis. Cauda acuminata. *Mas senior.*

Femina: Minor. Rostrum nigricans subtus rubro nebulosum. Caput et corpus supra nigro-fusca marginibus pennarum rufis. Gula alba Corpus subtus album. Speculum dimidiato viride et nigrum, antice et postice stria alba.

Mas junior ante primam pennarum mutationem:

Feminæ subsimilis. Caput supra, dorsum et scapulares saturate fusca marginibus pennarum rufis. Latera capitis et collum antice pallida maculis minutis fuscis sparsa. Palpebra inferior alba. Gula albida immaculata. Pectus superius albidum rufo tinctum maculis latis nigris ornatum. Ceterum pectus et abdomen alba. Crissum rufescenti-album maculis nigris. Alæ exacte ut in mare seniori.

OBSERV.

Jam mense Augusto et Septembri incipiunt pennæ ex albo et nigro variegatæ inter scapulares erumpere.

HISTORIA.

Habitat in amnibus et lacubus, in superiore Svecia magis quam in Scania vulgaris. Ova 12. rufescenti-alba, obsolete fusco maculata. Victus ut præced.

GENUS.

A N S E R.

Rostrum breve, conico-cylindricum basi altius quam latum, versus apicem sensim angustius, apice rotundato, maxilla utraque dentibus conicis instructa.

Nares oblongo-ovales, in medio rostro sitæ.

Pedes crassiusculi; *Tibia* cum digito medio subæqualis.

Digitus posticus membrana lobiformi destitutus.

Collum longitudine mediocri.

Dorsum convexum.

CCXLVI. ANSER CINEREUS, *Mey.*

DIAGN: Griseus, subtus albidus. Dorsum antice fuscum pennis griseo marginatis, postice cinereum. Rostrum aurantium ungue albo. Pedes pallide carnei. Alæ complicatæ caudâ breviores.

SYNONYMA.

Anser Cinereus, Mey. Liv. u. Esthl. p. 257. Bechst. Nat. D. IV. p. 842.

Anas Anser ferus, Lath. Ind. II. p. 841. n. 26. Temm. Man. d'Ornith. p. 526.

Grey Leg Goose, Pen. Brit. Zool. II. p. 570. n. 266. (Descr. bona) Lath. Syn. VI. p. 459. n. 21.

OBSERV.

Hanc *Anseris* speciem non novit Linné. Avis enim quam sub nomine *Anatis Anseris* in Fauna Svecica descripsit, et quam præsertim in Lapponia habitantem refert, minime ad hanc sed ad insequentem Speciem pertinet. Hæc vera *Anseris domestici* stirps mihi et forte Faunæ nostræ diu adhuc plane incognita fuisset, nisi specimina et historiam ejus benigne mihi communicasset Excellentiss. Comes Trolle Wachtmeister, cujus ingenio et favori erga me et studium Ornitholog. plurima debet Ornithologia Patriæ.

DESCRIPTIO.

Longit. 2 ped. 9-10 poll. Rostrum $2\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem 16 poll. Cauda 6 poll. Tibia $3\frac{2}{3}$ poll. Digit. med. $3\frac{1}{2}$ poll. postic. $1\frac{1}{3}$ poll.

Rostrum totum luteo-aurantium, ungue albescente, robustius, pone apicem altius (minus depressum) ungueque majore, convexiori quam in sequenti Specie. Margines palpebrarum lutei. Iris saturate fusca. Pedes carneo-lutei. Alæ compositæ apicem caudæ non adtingunt.

Caput et collum supra griseo-fusca, marginibus pennarum pallide grisescentibus. Dorsum anticum, scapulares et tectrices alarum majores et mediæ fusca, marginibus pennarum tenuibus griseo-albescentibus. Tectrices minimæ et margo alarum exterior pallide cinerea. Remiges basi pallide cinereæ apice nigræ. Dorsum medium et uropygium cinereum. Collum antice et pectus pallide grisea undulis obsoletis fuscescentibus. Abdomen, crissum et tectrices caudæ inferiores pure alba. Interdum tamen sunt pectus et abdomen maculata pennis hinc inde nigro-fuscis. Hy-

pochondria cinereo-fusca griseo-albido marginata. Latera uropygii et tectrices caudæ superiores proximæ albæ. Rectrices cinereo-fuscæ apice et marginibus albis, quæ albedo ita augetur, ut laterales pennæ totæ sint albæ.

HISTORIA.

Migratoria hæc avis juxta finem mensis Aprilis ad oras australiores Scaniæ et Blekingiæ, minus tamen frequens, advenit. Heic in paludibus a mari haud longe remotis nuptias celebrat, (ex gr. juxta Ahus Scaniæ, juxta Ysanne Blekingiæ etc.). Coitus tempore peracto mares feminas deserunt, et in mare adjacens abeunt, ubi extra oras scopulosas gregatim obveniunt. Femina interim remanens ova ponit 5-6 sordide virescentia. — Medio mensis Junii matres pullos in mare conducunt, ubi postea gregatim simul cum maribus occurrunt usque ad initium mensis Augusti. Post hoc vero tempus oris nostris valedicunt plagas meridionaliores petentes.

CCXLVII. ANSER SEGETUM, *Bechst.*

Diagn: Caput et collum saturate fusca. Dorsum antice fuscum pennis griseo marginatis, postice nigricans. Rostrum nigrum fascia ante medium aurantia. Pedes aurantii, alæ complicatæ caudam excedentes.

SYNONYMA.

Anser Segetum, Bechst. N. D. IV. p. 882. Meyer Liv. u. Esthl. p. 258.

Anas Segetum, Gmel. Syst. I. 2. p. 512. Lath. Ind. II. p. 842. n. 28. Temm. Man. d'Orn. p. 527.

Anas Anser, Lin. Fn. Sv. p. 40. n. 114. Syst. Nat. I. p. 197.
Bean Goose, Pen. Brit. Zool. II. p. 575. n. 267. tab. 94. Lath Syn. VI. p. 464. Pen. Arct. Zool. II. p. 546. n. 472.
Svecis: Wildgås, Grågås.

DESCRIPTIO.

Longit. 2 ped. 6-7 poll. Alæ extensæ 5 ped. Rostr. $2\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 18 poll. Cauda 6 poll. Tibia $3\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. 3 poll. postic. $\frac{7}{8}$ poll.

Rostrum (minus quam præcedentis, robustum et pone apicem magis depressum) basi et apice nigrum, fasciâ ante nares aurantiâ, in mandibula inferiore angustiore et minus perspicua. Hæc fascia interdum usque pone nares juxta margines maxillæ superioris producitur. Pedes aurantii unguibus nigro-coerulescentibus. Margines palpebrarum griseo-nigricantes. Iris saturate fusca. Alæ complicatæ apicem caudæ excedunt.

Caput totum et collum supra saturate griseo-fuscum unicolor; Collum antice et versus pectus magis in cinereum inclinans, rufescenti interdum tinctum. Dorsum anticum, scapulares et tectrices alarum cinereo-fusca marginibus pennarum rufescentibus vel albidis. Dorsum medium et uropygium nigricans, unicolor. Remiges intimæ cum tectricibus nigro-fuscæ marginibus et apicibus albis; primores et mediæ nigræ rachibus albis; extimæ 3-5 cum tectricibus cinereo tinctæ. Pectus et hypochondria pallide rufo-grisea marginibus sordide albidis l. rufescentibus. Abdomen, crissum et tectrices caudæ inferiores alba. Latera uropygii et tectrices caudæ superiores proximæ albæ. Rectrices cinereo-fuscæ, apice et marginibus apicis albæ.

Avis Junior: Maculis 2-3 albis supra basin rostri sæpissime notatur. "Margine frontis albo" Lin. Fn. Margines pennarum in hac magis rufescentes, in seniore magis albida.

HISTORIA.

E suo genere maxime vulgaris apud nos Species. Plagas tamen Seciæ australiores vere tantum et autumno in maximis plerumque gregibus adsociata transmigrat, neque apud nos unquam æstatem degit vel se propagat. Habitat vero æstate in regionibus peninsulæ nostræ maxime borealibus, scil. in insulis juxta oras Nordlandiæ et Finnmarckiæ sitis, tamque in his plagis copiosa est hæc agris consitis nociva avis, ut inter agriculturæ incommoda haud contemnenda illam non sine caussa numerent incolæ. Vere enim rediens agros consitos sæpe devastat; autumno migrans segetem maturescentem adit, et per totam æstatem, mares præsertim, agros in continenti terra haud longe a mari remotos frequentat. Nidulatur heic in insulis, nunquam in continenti terra, (quia ut incolæ putant, *Vulpem* timet). Ova ponit 10-12 alba, immaculata.

CCXLVIII. ANSER LEUCOPSIS, *Bechst.*

DIAGN: Frons, genæ, tempora et gula alba. Collum nigrum. Corpus supra canum maculis nigricantibus, subtus album. Rostrum et pedes nigra.

SYNONYMA.

Anser leucopsis, Bechst. N. D. IV. p. 921.
Anas leucopsis, Temm. Man. d'Ornith. p. 530.

Anas Erythropus Mas, Lin. Fn. Sv. p. 41. n. 116. Retz. Faun. Sv. p. 116. n. 72. Lath. Ind. II. p. 843. (Obs. At *Anas Erythropus* Lin. Syst. I. p. 197. n. 11. ad insequentem Speciem pertinet).
Anas Canadensis, Retz. Fn. Sv. p. 277. n. 270.
The Bernacle, Pen. Brit. Zool. II. p. 577. n. 269. Arct. Zool. II. p. 552. n. 479. Lath. Syn. VI. p. 466.
Die Mittlere Kaszarka, Lepechin Reise 3 B. p. 221. tab. 9.

DESCRIPTIO.

Longit. 24-25 poll. Rostrum $1\frac{3}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 14 poll. Cauda 4 poll. Tibia $2\frac{1}{2}$ p. Dig. med. $2\frac{3}{8}$ poll.; postic. $\frac{1}{2}$ poll.
Feminæ: maribus aliquantum minores sunt.

Rostrum parvum nigrum. Iris nigro-fusca. Pedes nigri.

Frons, latera capitis et gula alba. Stria nigra inter rostrum et oculos. Vertex, occiput et collum nigra. Dorsum et alæ supra pallide coerulescenti-cinerea (cana) apicibus pennarum nigricantibus, albido plerumque marginatis. Uropygium et cauda nigra. Remiges cinereæ apicibus nigris. Pectus, abdomen, crissum et tectrices caudæ inferiores alba immaculata.
Junior avis: Pedes nigro-fusci. Frons et genæ nigro punctatæ. Pennæ et alarum rufescenti-marginatæ.

HISTORIA.

Æstivant in paludibus et lacubus Lapponiæ. Autumno meridiem petentes, in magnis gregibus sociati interdum in litoribus Scaniæ occurrunt. Haud timidi sunt, illisque quam congeneribus facilius insidiantur venatores. Oeconomia eorum nondum bene in patria boreali explorata est.

CCXLIX. ANSER ALBIFRONS, *Bechst.*

Diagn: Frons alba. Collum cinereo-fuscum. Corpus supra fuscum pennis griseo marginatis, subtus albidum, pectore et abdomine pennis (totis) nigris adspersis. Rostrum pallide incarnatum ungue albido. Pedes crocei.

SYNONYMA.

Anser albifrons, Bechst. N. D. IV. p. 898. Meyer Liv. u. Esthl. p. 259.

Anas albifrons, Gmel. Syst. I. 2. p. 509. Lath. Ind. II. p. 842. n. 27. Retz. Fn. p. 116. n. 71. Brünn. Bor. n. 54.

Anas Erythropus femina, Lin. Fn. Sv. p. 41. n. 116.

L'oie rieuse, Buff. Ois. IX. p. 81. Otto XXXIII. p. 22. cum fig. Tem. Man. p. 529.

Laughing Goose, Edw. Av. t. 153.

White-fronted Goose, Pen. Br. Zool. II. p. 576. n. 268. Arct. Zool. II. p. 548. n. 476. Lath. Syn. VI. p. 463. n. 22.

DESCRIPTIO.

Senior: Longit. 27-28 poll. Alæ extensæ 4 ped. 9-12 poll. Rostrum $1\frac{1}{2}$ p. A flexura alæ ad apicem 17 p. Cauda 5 poll. Tibia $2\frac{6}{8}$ poll. Digit. med. $2\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum pallide incarnatum *) ungue albo. Margines palpebrarum et Iris fusca. Pedes crocei unguibus albidis.

---

*) Rostrum aurantium (quale ab Ornithologis describitur) in seniori ave nunquam observavi.

Frons alba, linea nigra cincta; præterea caput et collum striatum cinereo-fusca, rufo tincta, summis pennarum apicibus pallidis. Dorsum, scapulares et majores alarum tectrices fusca, apicibus griseo-rufescenti marginatis. Dorsum posticum nigricans. Collum antice et pectus pallide grisea, pennis albido terminatis. Abdomen medium, crissum et tectrices caudæ alba. Pectus et abdomen pennas habet plures paucioresve nigras, inspersas. (Unde maculæ majores transversales nigras has partes ornant). Remiges primores cinereæ, apice nigræ, secundariæ nigræ, basi tantum cinereæ, juxta apicem albo marginatæ. Tectrices alarum minores, item ac proximæ Rem. primorum cinereæ, his apice albis. Cauda cinereo-fusca, apice alba.

OBSERV.

Verosimillima est opinio Celeb. *Temminckii*, hanc speciem per æstatem pectore et abdomine plane nigris ornatam esse. Habeo specimen quoddam, ab Excell. Comite *Trolle Wachtmeister* verno tempore missum, cujus maculæ pectorales et abdominales nigræ tam magnæ sunt, ut hinc inde confluant et fascias fere transversales forment, spatiumque harum partium longe maximam occupent.

HISTORIA

hujus avis nondum bene cognita est. Æstivat in Asiæ et Europæ maxime borealis tesquis uliginosis et lacubus. Vere et autumno Scaniam transmigrat, et in mari paludibusque mari contiguis præsertim mens. Septembri et Octobri gregaria obvenit.

OBSERV.

In Museo Academico Lundensi servatur specimen Anseris cujusdam Scandinavici, de quo mihi adhuc dubium est, an illud pro juniori *Ansere albifronte* habeam, an ut distinctam speciem describam. Est vero hæc ejus Descriptio:

DESCRIPTIO.

Longit. 2 ped. Rostrum $1\frac{6}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 15 poll. Cauda $4\frac{6}{8}$ poll. Tibia $2\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. $2\frac{6}{8}$ poll. posticus $\frac{5}{8}$ poll. Alæ complicatæ caudâ breviores sunt.

Rostrum aurantium ungue et marginibus fusco-nigris. Pedes crocei, membrana natatoria obscuriore.

Caput et collum fusco-cinerea, rufescenti leviter tincta; vertice, fronte et genis saturatius fuscis. Mentum fuscum, macula parva alba. Interscapulium, pennæ scapulares et tectrices alarum mediæ fusca marginibus pennarum griseo-rufescentibus. Dorsum posticum nigrum. Remiges primores cum tectricibus cinereæ, apice nigræ; secundariæ nigræ albo tenuissime marginatæ. Tectrices proximæ pallide cinereæ, apice albæ. Tectrices minores saturatius cinereæ. Pectus album, maculis parvis fere pisiformibus (sed marginibus irregularibus) fuscis adspersum. Abdomen, crissum et tectrices caudæ inferiores superioresque alba, immaculata. Hypochondria fusca, pennis griseo-rufescenti marginatis. Femora cinereo-fusca. Cauda fusca, rectricibus apice et marginibus albis.

Si distincta esset species, his characteribus a ceteris dignosceretur:

DIAGN: *Caput et collum rufescenti-grisea, vertice, fronte et genis saturatioribus. Corpus supra fuscum, marginibus pennarum griseis, subtus album; pectore maculis pisiformibus adsperso. Rostrum aurantium, ungue et marginibus fuscis. Pedes crocei.*

Specimen descriptum, juxta litus marinum, mense Octobri, ad Arup Scaniæ, sclopeto occisum fuit et ab Excellentiss. Comite *Trolle Wachtmeister* mecum benignissime communicatum.

Distinctam Anseris speciem primo illam esse putavi; sed post accuratissimam ejus, quantum fieri potuit, cum

Ansere Albifronte comparationem, non nisi pullum hujus speciei, ante primam pennarum mutationem, esse suspicor; præsertim cum venator mihi narravit se avem inter tres vel quatuor *Anseres albifrontes* fixisse. E pelle tamen siccata, calvariaque orbata, nihil certi concludere audeo; comparationem enim partium solidarum non nisi incompletam instituere potui. Quare determinationem magis absolutam in posterum differre, quam Systema novo nomine temere onerare, satius duxi.

CCLI. ANSER TORQATUS, *Bechst.*

DIAGN: Caput et collum nigra, maculâ transversali alba utrinque ad latera colli. Corpus cinereo-fuscum crisso et tectricibus caudæ albis.

SYNONYMA

Anser Torquatus, Bechst. N. D. IV. p. 911. Meyer Liv. u. Esthl. p. 260.

Anas Bernicla, Lin. Fn. p. 40. n. 115. Retz. Fn. p. 117. n. 73. Lin. Syst. I. p. 198. n. 13. Lath. Ind. II. p. 844. Gmel. Syst. I. 2. p. 513.

The Brent Goose, Pen. Brit. Zool. II. p. 579. n. 270. Arct. Zool. II. p. 551. n. 478. Lath. Syn. VI. p. 467. n. 27.

Le Cravant, Buff. Ois. IX. p. 87. Otto XXXIII. p. 53. cum fig.

Oie Cravant, Temm. Man. d'Ornith. p. 531.

Svecis: Prutgâs; *Blekingis:* Taflacka.

DESCRIPTIO.

Longit. 22 poll. — 2 ped. Rostrum $1\frac{1}{2}$ poll. A flexura alæ ad apicem 11 poll. Cauda 4 poll. Tibia $2\frac{1}{2}$ poll. Digit. med. $2\frac{6}{8}$ poll. postic. $\frac{1}{2}$ poll.

Rostrum nigrum, parvum (majus tamen quam *Anseris Leucopsis*) ungue rotundato, fere semigloboso. Pedes rufo-nigri.

Caput totum et collum usque ad sternum nigra. In lateribus colli macula utrinque transversalis alba, interdum antice juncta, unde torques oritur. Dorsum, scapulæ et tectrices alarum fusco-grisea, pennis rufescenti marginatis. Pectus, hypochondria et abdomen saturate cinerea albido marginatis. Uropygium medium cinereo-fuscum. Crissum, latera uropygii et tectrices caudæ alba. Remiges nigræ, secundariæ apice albæ. Rectrices nigræ lateralibus apice albis.

HISTORIA.

Habitat æstate in paludibus et lacubus regionis arcticæ. Vere et autumno plagas Scandinaviæ meridionaliores transmigrans in oris Scaniæ et præsertim Blekingiæ gregatim et copiose occurrit. Caro sapida æstimatur.

CCLII. ANSER RUFICOLLIS, *Pall.*

DIAGN: Collum rufum capite, cervice, dorso et pectore nigris. Macula inter rostrum et oculum alba aliaque rufa albo marginata in temporibus et colli lateribus. Abdomen, crissum et tectrices caudæ alba.

SYNONYMA.

Anser Ruficollis, Pallas Spicil. Zool. T. I. Fasc. VI. p. 21. tab. IV. Gmel. Itin. II. p. 179. t. 14. Bechst. N. D. IV. p. 916.

Anas Ruficollis, Retz. Fn. Sv. p. 114. Lath. Ind. II. p. 841. Gmel. I. 2. p. 511.
Anas torquata, Gmel. Syst. I. 2. p. 540. n. 70.
Die kleine Kaszarka, Lepechin Reis. 2 B. p. 183. t. 5.
Redbreasted Goose, Arct. Zool. p. 571. C. Lath. Syn. VI. p. 455.

DESCRIPTIO.

Longit. 20 poll. Rostr. 1 poll. A flexura alæ ad apicem 14 poll. Cauda $3\frac{6}{8}$ p. Tibia $2\frac{1}{8}$ p. Digit. med. 2 poll. postic. brevis $\frac{2}{8}$ elevatus.

Rostrum nigro-fuscum, breve, basi latius apicem versus angustius *), ungue obtuso. Nares oblongo-ovales. Pedes nigri.

Caput et cervix nigra macula magna ovali alba inter rostrum et oculos. A temporibus in latera colli descendit macula ovalis rufa albo marginata. Collum præterea ad sternum usque rufum, a pectore et dorso linea alba distinctum. Pectus, dorsum et scapulares nigra. Abdomen, crissum, latera uropygii et tectrices caudæ alba. Hypochondria nigra, albo transversim maculata. Alæ nigræ tectricibus griceo-albo marginatis. Rectrices XVI. nigræ, apice albæ.

HISTORIA.

Incolit terras boreales Asiæ. Rarius Europam septentrionalem habitare videtur, cum versus meridiem migrans rarissime Scandinaviam visitat. Non nisi semel apud nos inventa scil. initio Octobris 1793, cum juxta Lund Scaniæ viva in fossula caperetur. Vide Retzii Faun. l. c.

*) Vere anserinum.

GENUS.

M E R G U S.

Rostrum subulato-cylindricum, tenue, rectum, basi crassum, apice aduncum, maxilla utraque denticulata, denticulis retrorsum vergentibus.

Nares parvæ, ovales, laterales, in medio rostro sitæ.

Pedes breves, digito postico membranæ alæformi.

CCLIII. MERGUS MERGANSER, *Lin.*

DIAGN: Speculum alarum album stria transversali nulla. Crista brevis. Corpus subtus album luteo tinctum.

Mas: Caput et superior colli pars nigra; inferior alba, lutescens. Dorsum antice nigrum.

Femina: Caput et superior colli pars rufa; inferior et pectus albida. Dorsum cinereum.

SYNONYMA.

Mergus Merganser, Ödmann Acta Holm. 1785. p. 307. Temm. Man. d'Orn. p. 575. Meyer Liv. u. Esthl. p. 261. Retz. Fn. p. 134.

Le Harle, Buff. Ois. VIII. p. 267. tab. 23. Pl. enl. 951.

Goosander, Pen. Brit. Zool. II. p. 556. n. 260.

Taucher-Gans, Bechst. N. D. IV. p. 781.

Femina et junior avis:

Mergus Castor, Lin. Syst. I. p. 209. Gmel. Syst. I. 2. p. 545. Lath. Ind. II. p. 829.

Mergus rubricapillus, Gmel. l. c. p. 545.

Harle Femelle, Buff. Ois VIII. p. 236. Pl. enl. 953.

Svecis: Skrake, Kôrfögel; Wrakfögel. *Blekinges:* Gulskräcka.

DESCRIPTIO.

Mas senior: Longit. 28-29 poll. Alæ extensæ 3 ped. 6 poll. Rostrum a fronte $2\frac{1}{2}$ p. A flexura alæ $11\frac{1}{2}$ poll. Cauda $4\frac{1}{2}$ poll. Tibia 2 poll. Digit. med. $2\frac{6}{8}$ poll. postic. $\frac{5}{8}$ p.

Rostrum saturate sangvineum, supra longitudinaliter et ungulo fuscis. Os intus pallide luteum. Iris rufo-brunnea l. rubra. Pedes rubri. Caput cristatum crista brevi, tumida.

Caput totum et collum usque ad medium atra, viridi et violaceo nitentia. Ceterum collum, pectus, abdomen et crissum alba luteo tincta. Dorsum antice et scapulares interiores nigra. Scapulares exteriores et tectrices alarum albæ. Flexura alæ nigricans. Dorsum medium et uropygium cinerea (interdum albo tenuissime undulata). Cauda cinerea. Remiges primores nigræ, mediæ, albæ, intimæ albæ, margine exteriori nigræ.

Femina senior: 27-28 poll. Alæ extensæ 3 ped. 3 poll.

Rostrum supra fuscum, subtus sangvineum. Iris fusca. Pedes extus carnei, intus luteo-rubri. Crista longa, angustior.

Caput et superior pars colli rufa. Gula alba. Inferior pars colli, pectus et hypochondria cinerascenti-

albida. Abdomen album luteo tinctum. Corpus totum supra cinereum speculo alarum albo, fascia transversali destituto.

Mas junior tempore deplumationis: Caput et superior pars colli rufa pennis nigris immixtis. Gula alba nigro maculata. Collum inferius album pennis cinereis rarius inspersis. Dorsum anterius et scapulares interiores nigræ, pennis cinereis immixtis. Scapulares exteriores et tectrices alarum albæ. Ala ad flexuram nigricans marginibus pennarum cinereis. Pectus, abdomen et crissum alba luteo tincta. Cetera ut in seniore.

HISTORIA.

Habitat frequens tum in lacubus et fluviis tum in mari inter rupes et insulas. Nidulatur in omnibus Sueciæ provinciis (Scania forte excepta) inter lapides, sub fruticibus et præsertim in arboribus cavis. Ova 12-15 albida. Vescitur piscibus et amphibiis. Hieme præsertim a piscatoribus in mari figitur.

CCLIV. MERGUS SERRATOR, *Linn.*

DIAGN: Speculum alarum album, stria transversali nigra vel grisea; Crista dependens. Corpus subtus album.

Mas: Caput et superior pars colli nigra; inferior rufescens nigro-maculata, collari albo. Dorsum nigrum.

Femina: Caput et Collum rufescentia. Dorsum fuscum marginibus pennarum cinereis.

SYNONYMA.

Mergus Serrator, Retz. Fn. p. 136. n. 94. Lath. Ind. II. p. 829. n. 4. Temm. Man. d'Ornith. p. 579.

Mergus Merganser, Mas Lin. Fn. Sv. p. 48. n. 135.
Harle Huppé, Buff. Ois. VIII. p. 273. Pl. enl. 207.
Redbreasted Merganser, Pen. Brit. Zool. II. p. 558. n. 261. Lath. Syn. VI. p. 423. Edw. Av. t. 95.
Langschnabliger Säger, Bechst. N. D. IV. p. 795. Meyer Liv. u. Esthl. 262.

Mas junior:

Mergus Serratus, Lin. Fn. Sv. p. 48. n. 136. Gmel Syst. I. p. 546. n. 3. var. a. — *Mergus niger*, ibid. y. Lath. Syn. VI. p. 426. B.
Gottlandis: Ard, Pracka. *Blekingis*: Stenskräcka. *Norvegis:* Siil And.

DESCRIPTIO.

Longit. 22-23 poll. Rostrum a fronte $2\frac{1}{2}$ p. A flexura alæ ad apicem 10 poll. Cauda 3 poll. Tibia $1\frac{6}{8}$ p. Digit. med. $2\frac{6}{8}$ p.; postic. $\frac{6}{8}$ poll.

Rostrum et iris rubra. Pedes aurantii. Crista longa postice dependens.

Caput et superior colli pars nigra, viridi nitentia. Collare album. Collum inferius antice rufescens maculis l. striis nigris. Dorsum, scapulares et pectoris latera ante flexuram alarum nigra. Juxta alæ flexuram utrinque maculæ quædam majores albæ nigro marginatæ sunt. Speculum alarum album striis transversis duabus nigris. Pectus et abdomen alba. Uropygium et hypochondria lineis undulatis albis et fuscis. Remiges primores nigræ, secundariæ albæ basi nigræ.

Femina senior: Longit. 21 poll. Alæ extensæ $2\frac{1}{2}$ poll. Rostrum supra fuscum, subtus sangvineum. Iris rubra. Pedes extus rubri, intus luteo-rubri membrana natatoria virescente.

Caput, crista et latera superiora colli rufescentia. Dorsum, scapulares et tectrices alarum minores saturate fusca marginibus pennarum cinereis. Gula alba. Collum antice album undulis obsoletis albidis et rufescentibus. Pectus, abdomen et crissum alba. Remiges primores et tectrices proximæ nigro-fuscæ; secundariæ medietate exteriore albæ, unde macula alba in ala oritur. Uropygium, et cauda fusco-cinerea.

HISTORIA.

Habitat frequens iisdem locis atque antecedens. Nidulatur inter lapides in rupibus marinis. Ova 12-15 coerulescenti-alba.

CCLV. MERGUS ALBELLUS, *Linn.*

DIAGN: Rostrum et pedes cinerei. Crista tumida. Alæ variegatæ.

Mas: Albus occipite, maculâ ad sinum oris et dorso nigris.

Femina: Pileo et nucha rufis. Gula et jugulo albis. Dorso fusco-cinereo.

SYNONYMA.

Mergus Albellus, Lin. Fn. Sv. p. 48. n. 137. Syst. Nat. I. p. 269. Lath. Ind. II. p. 831. n. 6. Gmel. Syst. I. 2. p. 547. Retz. Fn. p. 138. n. 95.

Le petit Harle huppé ou la Piette, Buff. Ois. VIII. p. 275. Pl. enl. 449. (Mas) 450. (Fem).

Harle Piette, Temm. Man. d'Ornith. p. 581.

Smew or White Nun, Pen. Brit. Zool. II. p. 559. n. 262. Lath. Syn. VI. p. 428. Id. Suppl. I. p. 271.

Weisser Säger, Bechst. N. D. IV. p. 804. Meyer Liv. u. Esthl. p. 263.

Femina et junior avis:

Mergus minutus, Lin. Fn. p. 49. n. 138. Syst. I p. 209. Lath. Ind. II. p. 832. Brunn. Bor. n. 98.

Red headed Smew, Pen. Brit. Zool. II. p. 560. n. 263. Lath. Syn. VI. p. 429.

DESCRIPTIO.

Longit. $15\frac{1}{2}$ - 16 poll. Rostrum a sinu oris $1\frac{2}{8}$ poll. Rostrum et pedes coerulescenti-cinerei membrana natatoria nigra. Iris brunnea. Crista tumida.

Latera capitis ad rostri basin maculâ rotundâ nigra. Ad basin lateralem colli utrinque linea transversali nigra. Ceterum caput cum crista, collum et corpus subtus alba. Latera corporis alba fusco tenuissime et pulcherrime undulata. Dorsum nigrum. Alæ nigræ maculâ magna longitudinali alba. Cauda cinerea. *Mas senior.*

Femina senior: Long. 15 poll. Caput supra et superior. pars cervicis saturate rufa. Gula et pars juguli pure alba. Inferior pars cervicis, dorsum, tectrices alarum et hypochondria fusco-cinerea. Alæ nigræ maculâ et fasciis binis albis.

Mas junior: Frons et genæ fusca. Pileus et cervix ex fusco et albo varius. Dorsum et cauda cinereo-fusca. Hypochondria fusco-cinerea, pennis albis, fusco undulatis immixtis. Pectus et abdomen alba.

HISTORIA.

Habitat in regionibus patriæ maxime borealibus. Instante hieme interdum sed rarissime occurrit in Scaniæ fluviis et lacubus vel in mari. Vescitur piscibus. Ova 8 - 12 albida parere dicitur.



SECTIO POSTERIOR.

Digitis omnibus membrana junctis.

GENUS.

C A R B O.

Rostrum mediocre vel longum, rectum, subcylindricum, compressum, supra teres, edentulum, maxilla inferiore apice crassiore, superiore ungue exserto, dependente.

Orbita, *Genæ* et *Gula* nuda.

Nares rima obliterata juxta basin rostri.

Cauda rotundata.

Pedes breves, robusti, digitis omnibus membrana integra junctis.

CCLVI. CARBO CORMORANUS, *Meyer.*

DIAGN: Nigricans, collari, maculis femorum et striis colli albis. Cauda rotundata rectricibus quatuordecim.

SYNONYMA.

Carbo Cormoranus, Meyer Liv. u. Esthl. p. 265. Temm. Manuel d'Ornith. p. 587.

Pelecanus Carbo, Lin. Fn. Sv. p. 51. n. 145. Gmel. Syst. I. 2. p. 573. Lath. Ind. II. p. 886.
Le Cormoron, Buff. Ois. VII. p. 310. t. 26. Pl. enl. 927.
Corvorant, Pen. Brit. Zool. II. p. 608. Lath. Syn. VI. p. 593.
Der Schwarze Pelikan, Bechst. N. D. IV. 750.
Svecis: Hafs-tjäder. Alkrok. *Norvegis*: Skarv.

DESCRIPTIO.

Longit. 27-30 poll. Rostrum a fronte 3 poll. A sinu oris $4\frac{5}{8}$ poll. A flexura alæ ad apicem 14 poll.

Rostrum cinereo-nigricans. Regio oculorum nuda viridi-lutea marginibus palpebrarum rubris. Gula nuda flavescens. Pedes nigri. Cauda rotundata, rectricibus quatuordecim.

Senior habitu æstivali:

Occiput cristatum. Caput et superior pars colli nigra lineis longitudinalibus albis. Sub gula collare album ad latera capitis se extendens. Femora pennis longis pure albis. Ceterum collum, cauda et corpus subtus nigra viridi nitentia. Dorsum et alæ supra pennis in medio griseis colore æneo nitentibus, nigro marginatis.

Senior habitu hiemali:

Caput læve. Gula et latera capitis inferiora albida. Caput supra, collum, pectus et totum corpus subtus nigra viridi nitentia. Striæ minutæ albæ in collo. Alæ et cauda nigra. Dorsum ut in anteced.

Avis junior: Caput supra nigricans. Collum et superior pars pectoris fuliginosa, gulâ sordide albâ. Pars inferior pectoris et abdomen alba, fusco obsolete ma-

culata. Dorsum anterius, scapulares et tectrices alarum in medio grisea subnitentia, marginibus nigris cincta.

HISTORIA.

Habitat in maribus Scandinaviam alluentibus, præsertim ad oras et insulas Norvegiæ septentrionalis. Vescitur piscibus. Nidulatur in scopulorum rimis. Ova 3-4 sordide virescenti-alba, oblonga, extremitate utraque æquali.

CCLVII. CARBO GRACULUS, *Mey.*

Diagn: Nigricans, Gula nigra, maculis femorum et striis colli albis. Cauda cuneiformis rectricibus duodecim.

SYNONYMA.

Carbo Graculus, Meyer Taschenb. II. p. 578. Temm. Man. d'Ornith. p. 589.

Pelecanus Graculus, Lath. Ind. II. p. 887. n. 15. Gmel. Syst. I. 2. p. 574.

Pelecanus Capensis, Sparrm. Mus. Carls. III. t. 61.

Shag, Pen. Brit. Zool. II. p. 610. n. 292. Lath. Syn. VI. p. 598.

Le petit Cormoran ou Nigaud, Buff. Ois. VIII. p. 319.

Krähen Pelikan, Bechst. N. D. IV. p. 762.

Norveg: Smaa Skarv.

DESCRIPTIO.

Longit. 23-24 poll.

Rostrum cinereo-rufescens, supra nigricans. Regio oculorum et gula nuda rufescenti-lutea. Iris rufo-

fusca. Pedes nigri. Cauda cuneiformis rectricibus duodecim.

Senior habitu æstivali:

Occiput cristatum. Caput et superior pars colli nigra lineis longitudinalibus albis. Gula nigra. Femora pennis longis pure albis. Ceterum collum et corpus subtus viridi-nigricantia. Dorsum et alæ supra pennis in medio saturate cinereis nigro late marginatis.

Senior habitu hiemali:

Caput læve. Caput, gula, collum, dorsum et corpus subtus virescenti-nigra. Striæ minutæ albæ in collo.

HISTORIA.

Habitat iisdem fere locis ac antecedens. Tempore hiemali rarius tamen oras nostras frequentat. Vescitur piscibus. In rupium rimis et in arboribus nidulatur. Ova 2-3 albida.

GENUS.

S U L A *).

Rostrum longum, rectum, basi crassum, dehinc decrescens, apice acuminato, deflexo, marginibus incisuris serratis.

Facies et *gula* nuda.

Nares lineares, occultæ, juxta basin.

Pedes breves, robusti, digitis omnibus membrana integra junctis; ungue digiti medii serrato.

Cauda cuneiformis rectricibus duodecim.

CCLVIII. SULA ALBA, *Mey.*

DIAGN: Alba, remigibus nigris, facie coerulea.

Junior: Fusca punctis triangularibus albis adspersa.

SYNONYMA.

Sula alba, Meyer Tashenb. II. p. 582.

Pelecanus Bassanus, Lin. Syst. I. p. 217. n. 5. Fn. Sv. p. 52. n. 147. Retz. Fn. p. 146. n. 105. Gmel. Syst. I. 2. p. 577. Lath. Ind. II. p. 891.

---

*) Ad hoc Genus pertinet præter mox describendam speciem, (quam *Sulam borealem* nominarem), *Pelecanus Carolinus* Lin. *Pel. Fiber* Lin. et pl.

Fou blanc ou Le Basan, Temm. Man. p. 593. Buff. Ois. VIII. p. 376. Pl. enl. 278.

The Gannet, Pen. Brit. Zool. II. p. 612. tab. 103. Lath. Syn. VI. p. 608.

Der Bassanische Pelikan, Bechst. N. D. IV. p. 765.

Junior:

Pelecanus maculatus, Gmel. Syst. I. 2. p. 579.

Le Fou tacheté, Buff. Ois. VIII. p. 375. Pl. enl. 986.

Svecis et Norvegis: Sula, Havsule.

DESCRIPTIO.

Longit. 2 ped. 7 poll. — 3 ped.

Rostrum basi coeruleo-cinereum, apice album. Orbita nuda coerulescens. Facies et gula nuda coeruleo-nigricantia. Iris lutea. Pedes antice virides, postice et membrana natatoria nigra. Ungues albi.

Vertex et occiput lutea, ceterum caput et corpus totum alba remigibus alulaque notha nigris.

Junior; Caput et collum cinereo-fusca maculis minutis triangularibus adspersa. Dorsum cinereo-fuscum maculis triangularibus albis rarioribus et majoribus. Corpus subtus albidum maculis minutis fuscis. Remiges et rectrices nigricantes.

HISTORIA.

Habitat in oceano Scandinaviæ maxime borealis, nec nisi raro et hieme rigida oras Norvegiæ et Sveciæ occidentalis visitat. Nidulatur in insulis a terra maxime remotis. Ovum unum album.



SUPPLEMENTUM
ET EMENDATIONES IN PARTEM PRIOREM ORNITHOLOGIÆ SVECICÆ.

Pag. 44. *(Falco peregrinus).* HISTORIA: In plagis Sveciæ australioribus rarius obvenit, neque heic nisi uno loco nidulantem adhuc offendi, scil. in rupe prærupta Blekingiæ, *Walhall* (unde nomen ei *Walhök* a vulgo imponitur) ubi quotannis domicilium habet et se propagat. Advenit post medium mens. Martii, vel ad initium M. Aprilis et abit mens. Novembri. In rupibus Sveciæ borealis et Norvegiæ haud rara est. In insula *Lowannen* (vide Orn. Sv. II. p. 140.) ubi *Alcæ Arcticæ* infensissimus est, in rimis rupium nidificantem *quoque* invenimus.

Pag. 51. *(Falco Tinnunculus)* Habitat frequens, tum in australioribus tum in borealibus peninsulæ plagis. Heic in præruptis montibus nidulatur. — In Scaniam post initia mens. Aprilis advenit.

Pag. 65. lin. 10. *Strix Uralensis* Hoc Synonymum deleatur; distinctam enim adtinet speciem, quæ in boreali *quoque* Scandinavia observata est. Hujus igitur Diagnosin adjungam.

CCLVIII. STRIX MACROURA, *Natt.*

DIAGN: Supra fusco-cinerea maculis majoribus, ovalibus, albis; subtus albida maculis longitudinalibus fuscis. Cauda longa, cuneiformis, fusca,

tæniis septem transversalibus, albidis. Longit. 21-22 poll. Cauda 10½ poll.

SYNONYMA.

Strix macroura, Mey. Vögel Liv. u. Esthl. p. 29. — *Chouette de l'Oural*, Temm. Man. d'Ornith. p. 56.

HABITAT

in vastis Sveciæ borealis sylvis. In Lofoden Norvegiæ a Cl. Boie fuit visa.

Pag. 66. *Strix Ulula* Lin. HISTORIA adde: In sylvis vastis Norrlandiæ, ex. gr. Herjedaliæ. Dalecarliæ &c. frequens occurrit. Eandem exacte regionem æstate occupat, ac *Corvus infaustus*. In Scania non nisi hieme et quidem raro obvenit.

Pag. 80. *Corvus clericus*. Huic similem *Coronem*, macula gulari alba, sed aliquantum minori, juxta Arup Scaniæ, medio mens. Junii 1817, fuit occisus. Junior erat avis.

Pag. 85. *Corvus Monedula*. Domicilium ejus maxime boreale in peninsula Scandinavica est Stichlerstad, ultra Nidrosiam, ubi in templo quotannis nidulatur.

Pag. 89. *Corvus infaustus*. HISTORIA: Habitat passim frequens in pinetis regionum Sveciæ et Norvegiæ borealium. Circa Holmiam et Christianiam rarissime obvenit, sed in Dalekarlia, Herjedalia et Westrobothnia, in Guldbrandsdalia, Gulldalia &c. frequens occurrit. Quoad consuetudines ad *Lanium glandarium* proxime accedit. Sicut ille Tetraones aliasque aves a Norrlandis autumno laqueis captas interdum plane devorat. Vescitur ceterum baccis, insectis, mammalibus minoribus et aviculis. Ova nondum vidimus; mature vero nidulatur; vidimus enim d. 20. mens. Junii 7-8 pullos, jam volatui aptos, qui parentes, a quibus nutriebantur, comitabantur.

Pag. 102. adde: SECTIO II.

Pedibus gressoriis.

GENUS.

M E R O P S.

Rostrum mediocre, acutum, parum curvatum, compressum, supra subtusque carinatum.

Nares laterales, parvæ, juxta basin rostri sitæ.

Pedes breves, digitis tribus anticis, quorum extimus cum medio usque ad ultimam articulationem junctus est; postico libero, basi lato.

CCLIX MEROPS APIASTER, LIN.

DIAGN. Dorsum ferrugineum, corpus subtus virescenti-coeruleum. Gula fulva. Fascia per oculos nigra. Rectrices mediæ binæ longiores. Longit. II. poll.

Mas et femina hujus speciei, sub æstate anni 1816 haud procul ab Ystad Scaniæ visi sunt, alterque sexus plumbo occisus fuit.

SECTIO III.

Pedibus scansoriis, &c.

Pag. 105. PICUS CANICEPS, *mihi*, lege: PICUS CANUS, *Temm.*

DIAGN. Viridis, capite, collo et corpore subtus cinereis; fascia frontali (in mare) coccinea; tæ-

nia nigra inter nares et oculos, aliaque tenuiore ad latera juguli.

Pag. 138. *Fringilla Montifringilla.* Innumerandos greges, versus septemtrionem dimigrantes, in Norvegia meridionali, dieb. 8-12 mens. Maji. observavimus. Iam initio mens. Iunii in sylvis subalpinis trans montes *Dovrefield* sitis, et postea per totam æstatem in sylvis septemtrionis per paria habitantes vidimus. Quoad consuetudines cum *fringilla cœlibe* maxime conveniunt. Interdum in fagetis Scaniæ hybernant et glandes fageas devastant.

Pag. 166. *Emberiza Hortulana.* In Norvegia quoque usque ad Dovrefield passim frequens occurrit.

Pag. 170. *Emberiza Schoeniclus.* In Scandinaviæ borealis pratis depressis et fruticosis passim frequens occurrit. Post medium Septembrem australiores terras petens saliceta Scaniæ visitat.

Pag. 177. *Turdus Iliacus.* Habitat frequens in superioris Sveciæ et Norvegiæ sylvaticis humidioribus. Nidulatur in fruticosis. Ova 6 coeruleo-virescentia, nigro maculata, mense Iunio invenimus.

Pag. 189. *Muscicapa Grisola.* Occurrit æstate in Scandinavia usque ad circulum arcticum.

Pag. 192. Passim in borealibus etiam regionibus usque ad circulum arcticum.

Pag. 205. *Sylvia hortensis.* Hanc speciem in sylvis Sveciæ superioris et Norvegiæ frondosis, multis locis observavimus usque ad circulum polarem.

Pag. 220. *Sylvia Hippolais*, in Norvegiæ quoque sylvis usque ultra Nidrosiam occurrit.

CCLX. SYLVIA RUFA, *Lath.*

Diagn. Supra saturate grisea, superciliis flavescentibus; subtus sordide alba, flavo immixto. Pedes et rostrum nigro-fusca. Alarum tectrices subtus stramineæ.

SYNONYMA.

Sylvia abietina, Nilss. Act. Holm. 1819. p. 115. Tab. V. (figura, quoad rostrum et pedes, mala). *Sylvia rufa*, Lath. Ind. II. p. 516. *Bec-fin veloce*, Tem. Man. d'Ornith. p. 125. *Weiden Sänger*, Bechst. N. D. III. p. 649.

DESCRIPTIONEM

vide Acta Holm. l. c.

HISTORIA.

Habitat in pinetis Norvegiæ et, sine dubio etiam, Sveciæ borealis, haud rara. Cantans in summo abietis cacumine plerumque sedit. Cantus, quo facile etiam eminus dignoscitur, singularis magis quam amoenus, his fere syllabis exprimi potest: *kipp*, *kipp*, *kipp*, — *kjapp*, *kjapp*, *kjapp*, — *teer*, *teer*. — Vescitur Insectis eorumque larvis. *Vide cet. Act. Holm. l. c.*


Pag. 244. *Anthus pratensis.* Obvenit in omnibus Scandinaviæ regionibus usque intra circulum polarem. Alpes boreales quoque adscendit et in earum lateribus humidioribus inter gramina nidulatur.

Pag. 247. *Anthus rupestris*, in rupibus litoris Scandinavici a Scania et Blekingia usque ad Helgolandiam et Salten Norvegiæ obvenit.

Pag. 267. *Sturnus vulgaris.* In Scandinavia longe versus septemtrionem adscendit. In regionibus quoque arcticis illum hinc inde habitantem invenimus.

Index

nominum Latinorum & Svecicorum.



Typis *HARTV. FRID. POPP.*



Tab. I.

Tab. II.



Tab. III.



Tab. IV.



Tab. V.



Tab. VI.



Tab. VII.



Tab. VIII.




Tab. IX. Fig. 1.



Tab. IX. Fig. 2.





Tab. X.




Tab. XI.



